John
Crawford,
M.D.

Lorry, A. C.

DE MELANCHOLIA ET *MORBIS MELANCHOLICIS.*

TOMUS ALTER

Tentamina ad horum curationem complectens.

His ſaltem accumulem donis. *Virgil. Æneid. VI.*

LUTETIÆ PARISIORUM,

Apud P. GUILLELMUM CAVELIER, viâ San-Jacobæâ, ſub ſigno Lilii aurei.

M. DCC. LXV.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

... THE ... 1913 ... UNIVERSITY OF MARYLAND.

Imb.
16229

Crawford

CL. VIRO

STEPHANO-LUDOVICO

GEOFFROY,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI,

MAGNI NOMINIS MAGNO HÆREDI,

IN AMICITIÆ A PUERITIÂ INCHOATÆ,

ET SIMUL COMMORITURÆ,

TESSERAM, PIGNUS, MONUMENTUM

ALTERAM HANC OPERIS SUI PARTEM

DICAT, VOVET, CONSECRAT

A. CAROLUS LORRY, D. M. P.

INDEX TITULORUM.

PARS PRIMA.

De curatione Melancholiæ nerveæ.

CAP. I. *De curatione conſtitutionis quæ reddat pronos in nerveam Melancholiam*, pag. 4

ART. I. *De curatione Debilitatis atque Tenſionis nativæ*, 6

ART. II. *De curatione Debilitatis nerveæ acquiſitæ*, 44

APPENDIX.

De Debilitatis nerveæ in variis partibus deliteſcentis curatione, 75

CAP. II. *De curatione ipſius Melancholiæ nerveæ*, 90

ART. I. *De curatione cauſarum Melancholiæ nervoſæ*, 91

APPENDIX.

De Muſices ad ſanandam Melancholiam effectibus, 105

ART. II. *De curatione primariorum Melancholiæ nerveæ effectuum*, 119
§. I. *De iis auxiliis quæ Tenſionem melancholicam tollunt*, ibid.
§. II. *De tollendis Senſuum Symptomatibus*, 126
§. III. *De tollendis Motûs Symptomatibus, ſive de Anti-ſpaſmodicis*, 138
§. IV. *De tollendâ melancholicâ Atoniâ*, 147
ART. III. *De conſenſu & repugnantiâ Melancholiæ nerveæ cum remediis vacuantibus*, 153
§. I. *De Venæ-ſectione in Melancholiâ nerveâ*, 155
§. II. *De Vomitu & Catharſi in Melancholiâ nerveâ*, 160
ART. IV. *De Remediis quibuſdam in Melancholiâ nerveâ ſpecificis*, 164
§. I. *De efficaciâ Kina-kinæ in Melancholiâ nerveâ*, ibid.
§. II. *De uſu Balneorum ſimplicium in Melancholiâ nerveâ*, 167
§. III. *De Dietæ lacteæ uſu in Melancholiâ nerveâ*, 171
COROLLARIUM.
Methodum Therapeuticam in variis Melancholiæ nerveæ ſpeciebus exhibens, 175
CAP. III. *De Curatione Morborum qui nomine à Melancholiâ nerveâ differunt, ad ipſam verò reipsâ referuntur*, 182
ART. I. *De Morbis qui nomine tantùm à Melancholiâ nerveâ diſtinguntur*, 183
§. I. *De Affectione hyſtericâ & hypochondriacâ*, ibid.

§. II. *De Maniæ verè nerveæ curatione*, 186
§. III. *De convulſivo Morbo ſanando*, 189
Art. II. *De curatione Morborum qui à Melancholiâ degenere pendent*, 191
§. I. *De Febris lentæ nerveæ curatione*, ibid.
§. II. *De Tabe nerveâ*, 195
§. III. *De Paralyſi & Hydrope nerveis*, 198

PARS ALTERA.

De Melancholiæ Humoralis curatione.

CAP. I. *De illorum curatione qui ad Melancholiam humoralem prædiſpoſiti ſunt*, 205
CAP. II. *De curatione cauſarum variarum, quibus Melancholia intrà corpus introducitur*, 239
CAP. III. *De Melancholiæ humoralis, ſeu ipſius morbi curatione*, 259
Art. I. *De curatione Melancholiæ qualem Veteres deſcripsêre*, 260
APPENDIX.
De Veterum Helleboriſmo, 228
Art. II. *De Methodo Melancholiæ humoralis curativâ*, 320
§. I. *De Melancholiæ humoralis univerſalis curatione*, 321
§. II. *De Melancholiæ humoralis hypochondriacæ Methodo curativâ*, 350

§. III. *De Melancholiæ caput occupantis curatione*, 361
§. IV. *De curatione Humoris Melancholici in varias partes decumbentis*, 470
CAP. IV. *De Curatione Morborum melancholicorum, novo nomine diſtinctorum*, 378
ART. I. *De curatione eorum Morborum qui nomine tantùm à Melancholiâ abludunt*, 379
§. I. *De curatione Affectionis hyſtericæ humoralis*, ibid.
§. II. *De curatione Maniæ melancholicæ humoralis*, 381
ART. II. *De Morbis ab Humore Melancholico degenere pendentibus*, 395
§. I. *De Hydropis Melancholiæ humorali ſupervenientis curatione*, 396
§. II. *De curatione Phthiſeos quæ Melancholiam humoralem excipit*, 398

Explicit Index Titulorum.

DE MELANCHOLIA

DE CURATIONE MELANCHOLIÆ,

E T

MORBORUM MELANCHOLICORUM.

IN hunc finem tota intendebatur de naturâ atque ſymptomatibus Morborum Melancholicorum tractatio, ut ad lucem aliquam evidentiorem curatio eorumdem poſſet evehi & novo cultu adornari; hujus enim in gratiam cætera quæcumque artis Medicæ ſagax ſollicitudo inquirit peraguntur, atque in hanc unam collineant.

Omne igitur illud quod de morborum horumce diviſione, de diversâ prorsùs utriuſque Melancholiæ naturâ demonſtratum confidimus, in memoriam iterùm revocare videtur inutile. Prima pars operis, alterius quaſi filo regit veſtigia, nec in præcipuis curationum adhibendarum differentiis, alia diviſio admittenda, quam quæ ipſos à ſe invicem morbos diſtinguit atque diſcriminat. Hinc de nerveâ primùm Melancholiâ, poſteà de

eâ quæ ab humorum vitio pendet agentes, tùm illa quæ antiqui circa utriuſque morbi ſanationem inſtituêre, tùm ea quæ recentiorum addidit obſervatio atque ſedulitas, quantùm noſtra patietur mediocritas, exequemur.

Primâ ergò curationis noſtræ parte, ea perpendemus, quibus ſenſuum atque motuum abnormis aut immodica mobilitas aut demùm exquiſita nimis vellicati organi ſenſilitas, poſſit regi, temperari, compeſci. Poſteriore verò, media illa proſequemur, quibus ater hoſtilis humor aut in ipsâ ſuâ origine porsùs amandari queat, aut adultior atque invaleſcens debellari.

In utrâque verò is erit tractationis ordo. Ipſo in limine, impendentis morbi cauſæ arcendæ, avertendæ, debellandæ ſunt; arte efficaci tollenda conditio illa corporis, ad morbum prono impetu deferens; ut ipſe morbus, antequam emicet & irrumpat, prævertatur, &, ut cum Galeno loquar, in ipſo exortu ſuffocetur. Indè verò, magis ſedulos adhuc & majori remediorum apparatu inſtructos, morbus ipſe totâ ſuâ ferociâ deſæviens, repoſcet. Sua cuique gradui aptanda erit curatio. Quibus expoſitis quid ſibi peculiare vindicent ſymptomata, ſupererit expendendum.

PARS PRIMA.

De curatione Melancholiæ nerveæ.

DE nerveâ Melancholiâ id tantùm concedi poſtulamus, eam duplicem eſſe diſtinguendam. Alteram in quâ motuum atque ſenſuum organa, in eo tantummodo peccant atque vitiantur, quatenùs ab incurrentium objectorum impulſu, ita percelluntur, ut indè vividiùs quàm ipſa naturæ temperata conditio poſtulat, ſentiant aut moveantur. Alteram verò, in quâ motus ille atque ſenſus ita vitiatus eſt, ut non tantùm ultra nativum tonum evehantur organa, ſed etiam extra ordinem naturæ, abſurdis aut motu aut ſenſu, impulſa ferantur & abripiantur.

Quæ quidem ultima Melancholiæ nerveæ ſpecies & minùs ſimplex, & magis morbi nomine digna eſt priore hujus morbi genere : eaque ut alibi fusè expoſitum eſt, non ſolùm à cauſis multùm inter ſe diverſis pendet, ſed etiam ab interno fomite originem ducere poteſt, ac ſub Spaſmi nomine & ab antiquis omnibus, & ab Arabibus, præcipuèque Avicennâ (*a*), tractata eſt. Prior verò infirmitatem potiùs quàm morbum conſtituit, & eam inducit miſerrimam corporis conditionem, quâ illabentibus undequaque inſidiis patet & obſequitur. Recentioribus ſub nomine mobilitatis atque ſenſilitatis poſt Sydenhamum cognita

(*a*) Fen. 2. Tract. I. Cap. V.

eſt, à vetuſtioribus verò Medicis ſæpè ſub debilitatis atque imbecillitatis ἀσθενείας deſcripta fuit, ſed nec luculenter, nec eâ quâ cætera ſolebant expiſcari naturæ veſtigia, attentione.

Hæc verò, ut in priore hujus operis parte ſatis probatum confidimus, cæterarum omnium Melancholicarum ægritudinum quaſi parens eſt atque ſcaturigo; aliis ſæpiùs viam ſternit, niſi præ violentiâ cauſarum diſtractæ atque divulſæ machinæ fibræ in ipſo ſuo tono ſtatìm pervertantur atque peſſumdentur.

Ut ergò à ſimplicioribus ad magis compoſita prono itinere devehamur, prima nobis cura eſſe debet in emendandâ, ſi fieri poſſit, ipsâ corporis diſpoſitione, quæ faciat in Melancholiam nerveam pronos atque proclives.

CAPUT PRIMUM.

De curatione conſtitutionis quæ reddat pronos in nerveam Melancholiam.

Constitutio illa, nihil aliud ſupponit in corporis Rudimentis præter tenuitatem ſummam, quâ tenſionis ad exequendas functiones requiſitæ pars major ad ſingulam quamque particulam pertinere debet, cùm illæ ipsâ ſuâ tenuitate, minorem cauſis impellentibus ſuperficiem reſiſtentem offerant, adeóque facilius ab iis, è nativo ſtatu dejiciantur, atque deturbentur. Hinc quò per ſe tenuior eſt quæque fibrilla, eò etiam ad tenſio-

nem, atque effectum tenſionis, rupturam ſcilicet, eſſe debet maximè proclivis. Niſi tamen aut alluentis liquidi præſentia tenſioni nativæ obſtet, aut deficientibus viribus, deficiat ipſa etiam tenſio. Utriuſque porrò conditionis exempla reperire eſt; prioris, in aquosâ colluvie, poſterioris verò in iis qui per hæmorrhagias debilitati fuere, etſi ante ipſam hæmorrhagiam tenuibus fibris fuerint donati.

Verùm ſi duo illi caſus tollantur, qui per ſe tenuitatem fibræ comitari non tenentur, ſed ei ſuperaccidere aliquandò poſſunt; quò fibra tenuior eſt, eò & tenſionis magis obtinet, undè etiam & rupturæ periculum majus incurrit. Adeoque qui debilis atque delicatæ conſtitutionis ſunt homines, ii omnibus morbis ab erethiſmo pendentibus, atque tenſionem inducentibus, quales ſunt inflammatorii, maximè vexantur, vel minimâ de causâ. Et cùm in iis faciliùs rumpatur vaſorum textura, purulentiam etiam admittunt illi faciliùs; undè ex illâ præcipuè hominum claſſe, formatur infelix Phtiſicorum ſoboles, quibus miſerrimo hæreditatis jure rumpuntur vaſa pulmonum, ruptaque ulcerantur. Cùm porrò acuti omnes morbi, plus minúſve ad inflammationem referantur, nihil mirum eſt, ſi iidem acutis ægritudinibus conflictentur frequentiùs atque leviori de causâ. Nec minùs intelligitur cur etiam reconvaleſcant faciliùs ex ſummi Hippocratis ſententiâ; levior enim cauſa, majorem medicamentorum actionem admittit, majoremque naturæ actuoſæ efficaciam. Si verò in tenſione illâ, atque ſenſilitate præter modum auctâ, tota unicè

conſiſtat corporis vitiati conditio, morbum adeſſe vix propriè dici poteſt; nullam enim aut in functionibus læſionem, aut in excretis mutationem ſupponit illa, quam tamen inducere prompta eſt, ſed ſi abſit cauſa lædens, omnia ex ordine peraguntur. An ergò curationi ſubjicienda eſt? An Medicæ artis ſedulitatem non eludit? Mutari certè & in meliùs converti poſſe ipſam temperiem innatam mox probabimus illi qui non ſatis adverterit, quantùm ſæpè robur infirmis accedat, quàm facili habitu ſenſus occalleſcant. Verùm debilitas illa alia nativa eſt, alia infortunio contracta atque acquiſita. Hæc cauſis depulſis vincitur, illa mutato nativo fibrarum tono emendatur. Utramque diſtinctis articulis pertractare ordo ipſe poſtulat.

ARTICULUS PRIMUS.

De curatione debilitatis atque tenſionis nativæ.

Sub intemperiei nativæ nomine, non ſolùm eam intelligendam poſtulamus, quæ à parentibus ad nepotes tranſmiſſa, progeniem infirmam ab ortu infirmo efficit, & in quâ debiles creantur debilibus; ſed eam etiam quæ pravâ corporis inſtitutione efformata, in habitum trahitur à primis annis infantiæ. Perindè enim eſt, ſive corpus infirmum per ſe fuerit, ſive perverſæ educationi debeat acceptam debilitatem. Utrique eadem medela competit, niſi quòd ea quæ

vitio adminiſtrationis contracta eſt, faciliùs corrigatur, quàm ea quæ cum primævo ſtamine nata eſt. Naturâ enim repugnante ars parum proficit.

Quod autem agendum indicatur in illâ corporis conſtitutione, eſt ut ſimul robur fibris accedat, recedatque tenſio illa quâ rupturam minitabantur. Utrumque ab aucto robore pendere ſatìs apparebit, ſi quid ſit robur ſatìs intellexerimus.

Robur verò nihil aliud ſignificat, niſi vim illam quâ cohærent partes inter ſe mutuò, ita ut ſi fortiùs premantur, ſeparationi ſuæ magis reſiſtant; hinc etiam ſi tendantur magis fibræ robuſtæ, minores tenſionis effectus exerent, tùm quia cauſis impellentibus minùs cedunt, tùm quia nunquam majores ſunt effectus tenſionis, quàm cum mox rumpenda eſt fibra. Igitur licèt robuſtior fibra denſior atque ſtrictior ſit, tamen minùs tenſa jure pronuntiari poteſt, quod, ut ratio ſuadet, ſic experientiæ teſſerâ in priore Operis noſtri Parte comprobatum confidimus.

Robur porrò illud an ab artis auxilio debilioribus fibris conciliari poſſit, prima quæſtio ſe ſe offert enodanda. Cui quidem reſpondere non dubitabimus rem ſic fieri poſſe, quam reverâ quotidiano uſu factam vel maximè barbararum gentium teſtimoniis confirmatur.

Et certè naturæ opus eſt nullâ arte imitabile, quo tenuiſſima ſive vegetantium, ſive animantium ſtamina in immanem, à tenerrimis exordiis, molem augentur atque concreſcunt, dum roborantur ſimul & non minus firmitate quàm longitudine creſcunt, datâ tamen hac inconcuſsâ lege,

ut ubi ad præſcriptum à nunquam violandâ naturâ apicem pervenere, tunc nutritionem reſpuant, eâque obruantur, nedùm augeſcendo invaleant; undè ab ipſo fonte qui ipſis vigorem infundebat accedit rigiditas, induratio, decrementum, atque demum mors ineluctabilis. Stupendum certè miraculum, ſi non quotidiano uſu minùs attendentibus vileſceret. Verùm animis ad meditationem natis non minùs admiratione digna eſt, quàm generatio cujus ope rediviva ex ſuis ſeminibus reſurgunt corpora perpetuâ ſucceſſione, illa prodigialis accretio, quâ glans querna, terræ commiſſa in immanem arborem extollitur, quæ cùm cacumine cœlos attingat, radice tendit ad tartara. Illa tamen annis labentibus, elangueſcere debet, & prorsùs emori, non minùs quàm homuncio ille, qui brevi ævo, ad ſumma nititur, & majora molitur quàm quæ ipſi ſperare permittit brevì delenda corporis tenuiſſimi fabrica.

Parùm, hercle, in naturæ obſervatione ſaperet, qui id arti tribuere auſus, quod ſibimetipſi natura denegavit, ſponderet homini robur Elephantinum, aut Coloſſeam molem. Naturæ tantùm imitatrix imperfecta, ſine illius adminiculo ars vacillat. Verùm nec impium nec temerarium videtur ſpondere illud, poſſe naturæ imitatione, imo & deſumptis ab ejus ubere venâ auxiliis, robur nativum ad aliquam mediocritatem intendi, ut quotidianâ imprudentiâ labefactatum, in priſtinam reſtituitur integritatem. Quod verò artis promiſſa non vana ſint, nec contemptu proſequenda, tùm ratio, tùm experientia ſuffragantur.

Ratio quidem facilè demonſtrat non denegatum eſſe mortalibus, naturæ mechaniſmum, aut arte promovere, aut imitando aſſequi. In roborandis enim corporis partibus, legitimo utitur natura ſanguinis per minima diverſorum ordinum vaſcula circuitu, cujus impulſu perpetuò renovato, ros ille nutritius ſubtiliſſimus qui ab utero materno ad ultimam uſque ſenectæ metam corpus undequâque perluit, in ipsâ naturæ officinâ ad exquiſitiſſimam tenuitatem deductus, ultimis vaſorum penicillis, præ inſigni ſtaminum debilitate ferè diffluentibus applicatur, apprimitur. Hac applicatione, ſtamina mollitie mucosâ in utero materno ferè diffluentia evolvit primùm, dein ſolidiora efficit, & demùm indurat, ad oſſeam uſque duritiem.

Si ergò victu rectè & ex præſcripto artis inſtituto, ingens ad rorem illum informandum materies ſanguini ſuppeditetur, ſi auctis ſenſim vaſorum ictibus fortiùs applicetur illa, & in altiora vaſorum penetralia quaſi impellatur; nonne inde robur augeri fibrarum auctâ ipſarum nutritione æquum eſt? Modò ſibi provideat ars, ne nimis officiosâ ſedulitate præſcriptos tranſcendat limites, obruatque quod ipſi roborandum erat; ne impetu nimio vaſcula tenuiora, organicamque mucaginem rumpat, aut præpoſteris viribus, dum maturare robur ſatagit, infringat proportionem ad totius æquilibrium neceſſariam. Undè ſæpè in ancipiti verſari videbitur qui hanc ſibi operam inſumpſerit, ſummâque indigere illâ prudentiâ quæ artem efficit. Hinc aut ars præpoſtera, aut ipſa etiam devia natura, tot producit

tophos, tumores inorganicos, concrementa; modò cornuum, modò pilorum, modò oſſearum maſſarum ſpecie, quibus Hiſtoriæ Medicæ ſcatent.

Nec minùs artis efficaciam experientia demonſtrat. Quod enim ſæpiùs aut caſus, aut induſtria Barbarorum effecit, quidni perpetuum ab arte fieri poſſit? In eo ſi quidem ars reponitur, ut exemplo viam monſtrante è ſingularibus collectis, univerſalia præcepta extundat. Porrò quis negare auſit, ſæpè partus ſeptimeſtres, infantes imbelles atque delicatulos, in robuſtos atque toroſos milites evaſiſſe, impunè comeſſationibus, præpoſteræ veneri, & omnibus vitæ perditæ deliciis, animas projicientes. Cùm contrà qui nativo gaudere robore videbantur, pravâ morum inſtitutione, imbecillitatem atque infirmitatem corpori induxere. Id porrò adeò quotidianum eſt, ut longiori tractatione differere de rebus adeò cognitis, vanam ludere operam videretur.

Quâ igitur ratione poſſit natura, ſapientibus ex ejus penu deſumptis adjuta inſtitutis, vires debilitati conciliare, ante omnia operæ pretium eſt ſtatuere: pro demonſtrato enim habemus, eum qui fibrarum nativæ debilitati præſens auxilium tulerit, nerveæ etiam Melancholiæ radicem præcidere poſſe.

Cùm porrò Reipublicæ ſummè interſit, ut qui aliquando firmiſſimum robur atque præſidium illi præſtare debent, ſufficiant oneri ferendo quod ab ipſis ſuo jure patria repoſcit, antiquiſſimum fuit ſapientium gentium inſtitutum, ut rectâ edu-

cation corporis atque animi, aſſueſcerent à teneris pueri, & labores tolerare, & firmare corpus adversùs rerum externarum inſultus, quos ſpernere, atque pro nihilo habere debet, patriæ ſtrenuus auxiliator.

Pro axiomate igitur ante omnia ponendum eſt, quòd robur fibræ in eâ proprietate totum conſiſtat, ut ab impellentibus quibuſcumque cauſis minus è nativo ſtatu dejiciatur illa, adeòque multò minùs rupturæ periculum incùrrat quàm aliæ quæcumque debiliores. Huc ergo ars tendere debet, & in illud tota conniti, ut cuivis impetui fibra aſſuefiat, & quaſi immota adversùs illum præſtet, quod ex principiis in priore parte poſitis aſſequemur, ſi ſenſim fibra ab uno ad aliud extremorum cautè deducta fuerit, ut à vehementiſſimo frigore ad æſtum maximum, à tepidâ lavatione ad glaciem, ut antiquitùs factum in balneis atque palæſtris legimus, ſi ferculorum atque ciborum ipſa diverſitas, doceat nunc famem pati, nunc vires reparare, etiam minus ad ſalubritatis ſtateram comparatis eduliis. Fit enim inde, ſi cautelæ alibi proponendæ obſerventur, aſſuefactio quædam quâ ob minorem familiaremque ſtimulum, tendantur minus, minus moveantur fibræ, adeòque minus divulſionis periculum incurrant.

Non ergò in turpi veterno aut otio languente robur expectandum eſt, non in ancipitis circuitûs morâ, nec in præcipiti ſemper ejus furore, ſed nunc circuitus major in intima uſque penetralia corporis, partes inſinuare debet nutritias, nunc ibi hærentes atque hæſitantes applicare,

quietis ſuccedaneæ officium eſt. Ea non iners; non otio torpens, ſed moderato artificioſa motu partes nutritias verſat huc & illuc, ſibi aptat & quaſi ad corporis normam effingit atque delineat. Et ut optima parens natura vigiliæ atque ſomni vices diſtinxit, in uſum corporis, atque alternam renovationem atque reparationem, ſic ars, vitæ variabilis exercitio, robur addit, atque perficit opus à naturâ inchoatum. Scilicet id præcepit primùm, homini peccati reo, atque pœnæ addicto, ipſe naturæ ſummus procreator atque reparator Deus.

Id verò in ipſis heroïcorum temporum incunabulis ferunt plurimum formandis heroïbus contuliſſe, qui labores ſupra vulgarium hominum robur, videntur magno vulgi admirabundi ſtupore exantlaſſe. Sic Achillem inſtituit Chiron, quem celeritate pedum, vi atque magnitudine corporis ſeſe ipſum jactantem nobis depinxit Homerus; dum alibi pugilatu, palæſtræ exercitiis, umbratilibus certaminibus, ſphæriſteriis ſe ſe exercentes, inter armorum moras, morum deſcriptor veraciſſimus, nobis fingit Reges atque milites. Nec puellas minùs ex Alcinoi familiâ in pilæ & ſphæræ exercitiis exercitatas, & in ipſo maris littore contendentes, memorat.

Nec in fabuloſis tantùm vetuſtiorum Poetarum monumentis exercitiorum illorum injecta mentio. Nonne Jacob ad luctam ab Angelo provocatur, in quâ vetuſtiſſimum patriarcham hujus inſtitutionis eruditum reperimus.

Jam verò ſi ex minus cognitis iſtis temporibus ad certiora hiſtoricorum monumenta nos

convertamus, Socraticis (*a*) temporibus, palæſtras gymnaſiaque quaſi adultam artem & maximè ſeveris fundatam apud Græcos reperimus præceptis. Antiquioribus Perſis, jam prædicatam, educandi liberos ad corporis robur adaugendum, methodum, Xenophonte teſte, legimus. In eâ nullus cibus eſt qui non labore quæſitus, & ipsâ ſuâ ſimplicitate repudiandus, niſi fame vindice. Nullus ſomnus quem non vigiliæ compenſaverint (*b*), nec calor niſi poſt algorem; undè per omnia impreſſionum extrema deductum corpus, iis omnibus aſſuefiebat viciſſitudinibus quas tolerare, humanæ naturæ conditio imperat. Sic porrò ex alibi poſitis principiis, increſcebat corporis vigor, quo quidem aucto & incrementa capiente, non ſolùm vigebat laborum tolerantia, ſed animi etiam fortitudo ampliabatur, cùm pleraſque ille mutuetur à corpore ideas, quæ illud induratum, minùs afficientes, minùs etiam animum afficere neceſſe eſt.

Hæc eſt illa adeò apud antiquos decantata Gymnaſtice, quæ primævâ ſuî inſtitutione in illud unum intendebatur, ut robur nativum aut adaugeretur, aut ſervaretur, cùm apud illos tanti æſtimaretur corporis fortitudo, quam aiebant animi firmitatem præſagire, ut nullâ aliâ de re jactabundos magis reperias heroas, quàm de corporis magnitudine atque præcellentiâ.

Verùm illa poſteà ad uſus alios detorta, licèt perversâ hominum conditione quâ omnia pejorantur, infamis à Platone & Hippocrate habita

(*a*) Plato. Dialog. ἐρασταὶ. de republicâ paſſim.
(*b*) Cyropæd. Lib. 1.

fuerit, in eo laudata ſemper & uſurpata quòd roborandis adoleſcentibus, à pueritiâ egreſſis, plurimùm profuerit. Undè etiam apud nos Gymnaſiorum nomen ad ea loca ſervatum eſt, in quibus juvenes ad litteras & virtutem informantur.

His in locis ſub ſeverâ Gymnaſiarchæ diſciplinâ, ſub inſtitutione Pædotribæ hujus artis profeſſoris (*a*), curſu, luctando, haſtâ, diſco, pugillatu, pilâ ſaliendo ſeſe exercebant, & niſi ante ſolem exorientem adfuiſſent, præfecto Gymnaſii haud mediocres pœnas pendebant. Hic erat Hippodromos, in quo deſultorios equos conſcendebant, omniaque generatim agebant corporis exercitia, quibus fiebat ut toroſi, fortes, mole craſſi, pinguedine parcâ evaderent, quales videmus Herculis illas antiquas ſtatuas, quæ hodiè adhucdum pictoribus externæ Anatomiæ ediſcendæ tantâ cum admiratione inſerviunt. Triplex autem erat Gymnaſtices inſtitutum. Primum ut ſanitas aut juvenilis nec ſatis adhuc firma roboraretur, aut adultorum infirmata reſtitueretur. Alterum ut bellicis exercitiis aptiores & agiliores evaderent, Platoni de Republicâ agenti, præcipuè commendatum. Tertium verò ut palma in certaminibus Gymnaſticis reportaretur, qui quidem ultimus ſeſe exercendi ſcopus, jure à Philoſophis exploſus & Medicis, præcipuè verò Hippocrate reprehenſus, in id tantùm collineabat, ut cives niſi ad ludicra inutiles, mole inutili præſtarent & robore invicto. Undè nulla ratio eſt cur quis ſudet & algeat, multa faciat feratque, venere & vino abſtineat, illa re-

(*a*) Plaut. *Bacchides.*

pudiet edulia, his ad ſtateram utatur, officiaque ſpernat civilia, quibus adaugendis & promovendis homo natus eſt. Unde athletæ ſic dicti, jure meritoque inter adultioris Græciæ mala numerati ab Ariſtophane fuere, à vulgo etiam poſteà contempti, imò eorum etiam nomen in opprobrium verſum eſt, & meritò hujus inſtitutorem diætæ athleticæ Herodicum, cum Platone atque Hippocrate, imò & Galeno reprehendemus.

Præterea verò fatendum eſt quòd qui unius tantum generis exercitium callebat, aliis ineptior ipsâ muſculorum roboratione inæquali evaderet, quod ad univerſi corporis roborationem minus conducit. Unde ingenui adoleſcentes quinque exercitiorum generibus æqualiter exercebantur. Hinc nomen illud πένταθλοι factum, iis qui non primas in quovis generis certamine reportarent, ſed ſecundas in omnibus agerent cum laude.

A noſtro prorsùs inſtituto alienum foret longius in hoc palæſtræ athleticæ genere inſudare, ſed genus utile tantùm proſequemur in illud deſtinatum, ut debiliora corpora roborarentur, quod quandam corporis educationem conſtituebat omnibus ingenuis communem apud Græcos imò & temporibus poſterioribus, teſte Plutarcho, apud Romanos, apud quos ita invaluit, ut non niſi fatiſcentis Imperii Romani ruinis obrutum fuerit, locum ejus invadente barbarâ atque militari inſtitutione, cui demùm ſucceſſit per univerſam Europam, mollis & inaſſueta malo, liberorum educatio.

Rurſus verò ſalutaris illa, & patriæ utilis palæſtræ exercitatio, in duplicem accommodabatur

finem, militarem unum, undè militaris diæta quam commendat Plato. Verùm homines qui huic ſe dedebant, bellicum inſtitutum ante oculos ſibi objiciebant, quos vigilum canum more, ut ait idem Philoſophus, ſomnum ſpernere, famem, ſitim tolerare, parcimoniâ atque duritiâ vivendi normam, ut cum Plauto loquar, addiſcere æquum erat. Ingens porrò varietas exercitiorum commendabatur iis qui militiæ gratiâ inſtituebantur & laboribus firmabantur multò magis vehementibus & aſſiduis, & ad extrema maximè oppoſita, eodem palæſtræ inſtituto, per methodum magiſtri deducebantur. Inde ſcilicet non ſolùm corpus robuſtum, ſed ad toleranda quæque firmius, mente ſimul firmitatem eamdem ſortiente, reddebatur, teſte Solone apud Lucianum.

Alter verò Medicus erat & ſecundùm Artis præcepta concinnatus, in eo conſtituebatur. Ephebis à pueritiâ primâ egreſſis, imò & puellis apud Græcos, ſeorsìm à pueris, quin & apud Lacædemonios promiſcuè, ſine ullo caſtitatis damno, methodus præſcribebatur, quâ ſalubriter degere poſſent, corporis infirmitatem vincere, robur conciliare. Scilicet adventante aurorâ ſub ipſum ſolis exortum, cùm nondum aëris calor invaluerat, ne vires citò diffluerent, turgidis, nutritiâ benè coctâ heſternâ materie, vaſis, ut feliciùs applicaretur illa, comitibus præceptoribus ex ſervorum ordine ut plurimùm, vel propinquis quos ἐρα̃ςαι dicebant, ad Gymnaſium deducebantur. Ibi Artis opus erat, genus exercitii gradumque cuique accommodare, hos vexare luctâ, pugilatu, hos curſibus conficere, graciles contrà

contrà lentè & tardè ad gradus exercitationis majores progredi jubebant. Uberiùs infirmos antè & poſt exercitationes ceromate ungebant, ſpargebant pulvere, imò & ceromata ſeu olea medicata ad partes roborandas adhibebant. Frictio in gracilibus lenta & mollis, ſtrigiliſque minor uſus erat.

De varietate autem harum illarumve exercitationum, quæ ad has illaſve partes roborandas, atque ad juſtum robur & volumen deducendas adhibebantur, id medici, ſeu potiùs pædotribæ arti debebatur. Sic his lectio alta, clara, his lucta, his ſphæra, his halteres, ſaltus, curſus, præſcripta leguntur. His appendi per brachia funibus, ſicque moveri, ſalutare judicabatur. Quæ omnia non ſolùm ad robur, ſed ad rectitudinem conciliandam conferebant, agilitatem & muſculorum poſitionem rectam efficiebant. Volutari ſæpiùs alii uncti oleo in arenâ jubebantur. His equi conſcenſus præſcribebatur, illis interdicebatur. Legimus apud Suetonium, Germanicum Tiberii imperatoris nepotem, gracilitate crurum laborantem, ſanatum fuiſſe equitationis beneficio. Hinc jejunus equos conſcendere juſſus. Sed alii mulus, alii equus gradarius, aſturco, ſuccuſſatarius imperabatur. Ut autem jejuniis juncta exercitatio, corporis obeſitatem in Nicomacho Smyrnæo ſuſtulit, ſic reficiendis gracilibus adhibitâ exercitatione levi, juncta quies longior. Geſtatio in lecticâ, carrucâ, carpentis, in lecto penſili ſeu ſcimpodio, extenuatis & marcidis, concedebatur, aliaque agitationis mollioris genera quæ referre longum foret. Poſteà verò navigatio præſcripta, quæ tempore Plinii à Româ in Ægyptum

ad præcavendam phtiſim pulmonalem celebrata fuit, non quòd ullum, notante eodem ſperarent aëris beneficium, ſed ipſo itineris motu ſanitatem reſtituente. Demùm cùm per gradus ad equitationem perveniſſent, ad majora exercitia capeſcenda brevì apti evaſerant.

Optimâ quidem methodo omnia hæc concinnabantur, ſed eâ ſedulitate atque ſeveritate quæ præceptis fidem derogaret, quandoquidem nihil adeò universè verum, ut non aliquid demere debeat peculiaris unicuique ſanitas. Hinc factum ut mediocris ingenii homines pretium minutis præceptis adderent, imò fraudem pompoſis ſtrophis obvelarent. Certè & ad firmanda corpora, & ad militarem inſtitutionem laudanda magis forſan priſcorum educatio Romanorum ruſtica, in campo Martio, qui ad Tiberim idcircò adjacebat, ut & natationi & balneo exercitati juvenes uti poſſent, quam nimis ad normam librata Græcorum diligentia. Quo factum eſt ut ipſe ſummus laudator Gymnaſtices Galenus, non unâ vice in pædotribas invehatur, qui quam ſuam fecerant artem, mille præjudicatis dehoneſtaverant opinionibus, univerſalia nimiùm præcepta ponentes; quod vitium artis ſalutiferæ Miniſtris minùs eruditis familiare eſt.

Nec minùs apud Europæos, licèt alia cogitantes, videmus quanta interſit differentia inter inceſſum & fortitudinem juvenum, qui eo exercitii vehementiſſimo genere utuntur, quod Veteres Oplomachiam, Schiamachiam vocavêre, nos *tirer des armes* vernaculâ locutione diximus. Qui ſcilicèt huic vehementiùs indulgent, & agiliores

& firmorum laterum præ cæteris agnoſcuntur, ut contrà nimia equitatio latos humeros, abdomen prominulum,ut plurimùm efficit. Generatìm verò ſæpiùs evenit ut quos ad militiæ munia capeſcenda graciles miſimus, toroſos atque rotundos reperiamus reduces, uſque adeò exercitii vis extenditur ad corroboranda corpora. Robur porrò ut minùs graciles, ſic minùs tenſas, aut ſaltem minùs peſſimis nimiæ tenſionis effectibus obnoxias fibras præſtat ex mechaniſmo ſuperiùs allato.

Patet inde quibus circumſcribatur limitibus Celſi conſilium, ad graciles fibras, tenſaſque ac delicatas, in virilem fortitudinem evehendas.

Scilicet qui ſuæ ſpontis eſt, inquit, & ſanus haberi poteſt, nullis ſe legibus obligare debet. In id Autori clariſſimo aſſentiemur, ſed gracilis ſensìm ita in exceſſus ferri poteſt qui vel minimè tolerabiles dici potuiſſent, ſi aliquos in eis capeſcendis gradus ſervaverit. Si contrà, omiſſo medio, ab uno in oppoſitum ſe quaſi impetu ferat, rupturæ periculum vix evaſerit, aut ſaltem ejus quæ periculum rupturæ ſequitur, infirmitatis. Undè ergo penitùs à ſcopo aberrabit. Hinc rectè Sanctorius de hoc Celſi conſilio, periculoſum pronuntiat, non quòd rationi aut naturæ rerum repugnet; ſed quòd paucis omninò conceſſum ſit, auream illam mediocritatem tenere, quæ, dum hinc atque illinc vagamur, ſæpiùs excidit.

Si autem periculoſum eſt conſilium illud omnibus, vix ſine ſummâ prudentiâ applicari poſſe videtur debilibus, fibrâ tenui & facilè rumpendâ donatis, cùm extrema, exceſſum conſtituere nata, ſeſe in illis quaſi tangant, cùm damnum vix reſar-

ciendum, jactura vix reparabilis ſit, adeòque plus cautelæ nutritio atque roboratio infirmorum poſtulet, quàm ſimplex, in ſano atque robuſto, ſanitatis conſervatio.

Hinc igitur, quamvis Hippocrates, quamvis Sanctorius ipſe eamdem concluſionem, licèt aliam experiundi viam ingreſſus, deducens, aliquod exceſſui in potu & cibo, ſi raro tantùm accidat pretium videatur tribuiſſe; gracilibus roborandis, ſummè ſedulam & attentam præſcribemus vivendi normam. Graviter enim delicta quævis ſentiunt infirmiores, teſte eodem Celſo.

Indè ergo principium ordiemur, ut ſemper proportione reſpondeat viribus, materia nutrimenti. Cùm porrò Veteres aliam fortem & validam admiſerint, aliam imbecillem & quæ facilis concoctui citò diffletur, tertiam verò medii generis inter utramque poſitam, tum facilitate ad concoctionem, tum firmitate ad nutriendum, tantùm aliam ſuperantem, quantùm ab aliâ ſuperatur, rem ita inſtruemus, ut fortiſſimis fortiſſima, imbecillima imbecillimis tribuantur; ſic videmus Naturam cujus veſtigiis immorari noſtri eſt officii, lac infantibus paraſſe quo ſine offensâ nutriantur. Sic ipſe Medicinæ parens in morbis acutis robori nutrimenta aptat. Imbecillima autem ſunt poſt liquida nutrimenta & debilitatis corporibus accommodata, ne Naturam gravent, imò ne illam obruant, corpora illa quæ à Naturâ mutuata, Ars efficit molliora & nutritioni propiora.

Talia ſunt farinacea, fermentatione, coctione bene præparata, ita ut rudem atque craſſam molem, ſalivali menſtruo ſolventi vix cedentem

amiſerint. Talia ſunt etiam ſucci ſaponacei fructuum, ſeu ſimplices, ſeu quos à fermentatione liberos reddidit aquæ ablatio, vel additio muci oleo ita imbuti, ut jam oleoſa pars emineat, quale eſt ſaccharum. Huc etiam referuntur olera molliſſima, carnes animalium bene exercitatorum, ſanorum, juniorum, ut ſunt pulli gallinacei, perdices, cuniculi, ſi vetulorum carnes prohibeantur; piſces ſaxatiles de quorum ætate atque delectu nihil dicendum habemus.

Poſteà gracilibus præcipuè convenit potus ex aquâ, ſi ei addatur vini pauculum generoſi, benè fermentati, minùs aceſcentis. Illud præferendum eſt ad emendandam fibræ gracilem tenuitatem quod partibus oleoſis abundet, cum paucâ terrâ ita remixtis ut aliquid ſtyptici remaneat, undè adunentur & quaſi ad ſe invicem apprimantur conſtitutiva fibrarum elementa. Exulare juſſerim muſtorum illa omnia genera quæ fermentatione ſuppreſsâ turgida, ſi illicò aëris acceſſus concedatur, ſpumantem pateram coronant, nareſque & oculos ſcintillulis exultantibus ſummè odoratis feriunt. Parùm enim nutriunt ſolvuntque tenui ſaponis nexu humores; & cùm ſummam inducant rarefactionem, rupturæ periculum fibris conciliant, vaſiſque præſertim pulmonalibus. Corpus ergò enervant, fibras non nutriunt, ſed reſolvunt. Hinc Silenum aſelli tardè gradientis dorſo ſubvectum, molli adipe diffluentem, pingunt Poëtæ, nefaſque eſſet vel pictoribus Libero barbam appingere.

Ea verò ita exhibenda ſunt ut probè à ventriculo accepta, in ſanguinem pedetentìm immiſſa,

turbas nullas excitent. Debilitati proprium eſt, adeòque gracilitati ſummæ atque fibrarum tenuitati ut vel leviſſima cauſa mobilitatem illarum intendat, adeòque aliquid erethiſmi concitet. Hinc familiare eſt debilibus ut à cibo pulſus augeatur, rubeſcant genæ, & ſi ad extremum debilitatis deventum ſit, vel obruatur cibis ventriculus, aut ſi acriores cibi fuerint, febris quædam erumpat, quæ præcipiti motu aucto, nutritioni obſtat, vireſque incaſſum conſumit; hæc ſi non emicet, ſæpè frigus acerrimum enaſcitur. Hinc illa eſto regula in cibandis debilibus, ne quis ab alimentorum hauſtu ſentiatur, ſive caloris, ſive frigoris ſenſus.

Sæpiùs verò, an rariùs, dandi ſint cibi debilibus roborandis, multi dubitant. Hippocrates conſuetudinis, ſeu habitûs vitæ rationem habendam voluit. Sed cuinam præmia dabis conſuetudini? Cùm ſæpiùs alendos voluit infantes Hippocrates, ſequendam ſancivit gracilibus regulam. Parvâ ſimul copiâ infundit in venas chylum Natura, ne obruatur novâ materie, ferendoque oneri impar concoctioni non ſufficiat tum vaſorum actio, tum ſanguis ipſe cujus officium eſt ut paulatìm intra ſuam voraginem acceptas chyli partes, miſcendo, alterando, quaquaversùm ferendo, immutet, colore donet, & conſiſtentiâ nativâ. Hinc quò pauciorem accipiet, eò feliciorem ad exitum perducet opus. Sæpiùs ergo, ſed parciùs alendi ſunt graciles.

Nec tamen ita rem intelligi velim ut quaſi perpetuo novoque ingluviei generi debilior Natura indulgeat. Limites præbebit ipſa obſervatio quæ docet ſeptem poſt horas vix aliquid non mu-

tati intra ſanguinem ſupereſſe. Præſcribit ſic agendum eſſe, nutricum lac, quod à jejunio ſeptem horarum jam vix aliquid retinet, quod alimenti naturam ſapiat. His fretus obſervationibus, infantibus quater in die, ut apud Gallos & ferè omnes Europæos moris eſt, cibum conceſſerim, ſed molliorem illum ſimul & tenuiorem, ſi præſertim graciles ſint. Rectè etiam inſtitutum eſt, ut levius ſit jentaculum, quantum interpellat inani ventre ad uſque meridiem durare, leviſſimum ſit pomeridianis horis deguſtatorium, prandium plenius, cœna levis, niſi patrius mos cœnam pleniorem, prandium leve ſuaſerit. Sit autem baſis ſemper, panis bellè fermentatione ſubactus, rectè coctus, addantur levia olera, fructus horæi, nec niſi increſcenti ætati carnes, quæ nimis citò putreſcunt atque diffluunt, concedantur. Quæ verò incommoda à farinoſis non fermentatis in infantes redundare ſoleant, hîc loci non eſt enumerare. Vide doctè de iis differentem Swietenum articulo fibræ debilis & laxæ. Sic ſumptus cibus & facilè concoquitur, & aſſiduâ reparatione, vires non ſolùm ſuſtentat, ſed & auget, & proficit ad eſſentiam, robur & incrementum, ut verbis Hippocraticis utar. Alimentum verò in rorem nutritium mutatum ſemel, jam appulit ad molles illas fibrillas, quæ tenuitate ſuâ nihil niſi mucum exprimunt, mucum *organiſatum*, ut phyſicè pluſquàm latinè loquar, ſæpè exquiſitâ ſenſilitate donatum. Hîc verò quaſi intruſio & applicatio peragitur ope circuitûs ſanguinis & vis illius tonicæ prementis, trudentis, attrahentis per univerſam corporis molem diffuſæ, quæ quo-

niam variabilis eſt, licèt abſit nunquàm, hujus vices dirigunt, nunc ſomnus, & vigilia alternis totam vitam occupantes, nunc diſcriminata quietis atque exercitii tempora.

Somno quidem dirigendo multa utilia præcepta reliquêre Veteres, qui poſt Hippocratem putaverunt favere potiſſimùm illum concoctioni dum calorem intrò revocaret, exteriora verò frigeſcerent. Quanquam Hippocrates omnia æquè frigeſcere in ſomno diſtinctè pronuntiaverit. Et universìm concoctricem facultatem Galenus (*a*) ſomno adſcribit. Scilicèt corpus animale mechanicâ vegetantium lege gubernatur ſomni tempore, & ut animam ſeorsìm tunc à corpore vitam exercere pronuntiavit Hippocrates, ita corpus ſeorsìm ab animâ vitam agit. Hinc ſomnum nimium colliquefacere humores aſſerit Medicinæ parens. Quamvis verò colliqueſcentia illa primo intuitu ad vigilias quæ actione intenſiori plus in fluida exercent imperii, potiùs referenda videatur, ſenſus Hippocraticus is eſt, per ſomnum majorem & æquabilem vigere concoctionem; porrò concoctio ultrà terminum producta, jam actionem exerit inutilem ubi actione non opus eſt. Indè tabeſcentia & colliquefactio. Ut autem quid de ſomni utilitate & ejus ad corpus debile roborandum adminiſtratione cenſendum ſit ſentiatur, pauca liceat obſervatione demonſtrata præfari.

Crediderat obſervationi fidens Sanctorius nunquam ſine grato animi ſenſu à Medicis appellandus, ſomno maximam fieri perſpirationem, adeòque conſumptionem humidi, quod dum ſu-

(*a*) Comment. in 5. lib. Epid.

perſluum foret, bonis machinæ rebus, ſemper effluere neceſſe eſt; ſed protractiore ſomno, utilia etiam deterebantur. In quo quidem à Galeno (*a*) & Veteribus diſſentiebat, qui ſomnum humectare ſpiritumque & effluvia cohibere natum, aſſeveravêre. Reſtituit Antiquis fidem Gorterus qui minùs perſpirare per ſomnum corpora demonſtravit, indèque errorem inductum Sanctorio probavit, quòd duabus à ſomno horis maximum fiat & quaſi torrentis ad inſtar perſpirabilis humoris effluvium. Res ab illo ad uſque demonſtrationem deducta. Sed huic inſiſtere hujus loci non eſt. Nos idem cum cl. Viro ſentimus, ingens eſſe poſt ſomnum liquidi perſpirabilis tenuioris effluvium, per ſoporem cohibiti. Rem & ſtatera ſeptemtrionalis probat & experientia. Hinc graviores à ſomno, exactis tantummodò duabus horis ſumus leviores. Hinc ingens urinæ vis exilit, ſi frigore ambientis atmoſphæræ cohibeatur illa perſpiratio. Somno verò ut omnia laxata ſunt, nec jam aguntur fibræ ſenſiles à ſopitis ſenſibus, indèque oriundis animi affectibus; omnia vel minima vaſcula hiant, fitque per anguſtiſſimos meatus tranſitus humorum, atque circulatio facilior, plenior, quâ veluti intumeſcant dormientium corpora, ſomnoque turgeſcant. Verùm etiam hæret in vaſculis illis humor & deficiente vigilantium tono non agitur, ſeu reſtitat, à vigiliæ & exercitii vi excitandus. Undè etiam aliquod exercitii genus, quaſi ſpontè efficit Natura; dum oſcitationibus, pandiculationibus, muſculos evigilantium agitat, quo uſque æquilibris tonus redierit, ruborque faciei

(*a*) Comm. 2. in lib. de ratione victûs in acutis. cap. 55.

plenioris & quaſi inflatæ qui in ſomno emicat, fuerit diſcuſſus. Nec minùs intelliguntur quæ intercedunt differentiæ inter pacatum placidumque ſoporem, & inter ſomnolentiam illam turbulentam atque agitatam inſomniis. Plenariam enim & commodam relaxationem ſopitorum ſenſuum ſupponit ille, hæc verò tumultum deſignat à ſenſibus internis commotum atque concitatum, dimidiam ergo quietem atque relaxationem.

Quid ex his ſomni primariis effectibus ad roborationem corporis concludamus, facile erit deducere. Somno enim omnia dum laxantur, partes ſanguinis ad ſe invicem magis adduci neceſſe eſt, hinc ſequitur coadunari magis illas quæ nutritiæ ſunt. Tum verò hiant tenuiſſimâ vaſa, hinc in illa delabitur ros nutritius. Sed ipsâ vaſorum laxitate, & vi vitæ deficiente minùs applicantur, minùs ab heterogeneis depurantur, adeòque quæ fit per ſomnum nutritio, laxa eſt, mollis, infirma.

Redeunte verò vigiliâ, ſtringitur univerſum corpus per tonicam actionem, exprimuntur vaſa tenuiſſima, exhalat per vim perſpirationis ingentem, quidquid erat humidius. Hinc apprimitur, intruditur gluten nutritium, & dum tenuia quæque exhalant & exprimuntur, fit nutritio firmior. Omnia igitur quæ de dirigendo ſomno dari poſſunt præcepta, ab hiſce phyſicis mutationibus pendent.

Videtur fœtus in utero animalis inſtar dormientis vivere. Hìc progreſſum ingentem Natura expetit, nil firmi poſtulat. Naſcenti vigilia primùm cognoſcitur, quâ firmior evadat nutritio,

ſed quo tempore maximum fit incrementum, viget etiam ſummoperè ſomnus. Sensìm plus actioni datur, minus ſomno conceditur, plus etiam augeſcit firmitas. Hinc quæ nimioperè ſomno indulgent fœminæ, aliquando diffluunt adipe & ab eo perpetuam nanciſcuntur laxitatem, ſed ſemper debiles remanent & fibrarum tenuium. Undè adeò frequens mulierculis hæmorrhagiarum periculum. Licèt ergo uberiorem faciat nutritionem ſomnus, ſuperfluumque cogat intra corpus exundare, debiles, infirmoſque homines relinquet; quos aliqua tamen laxitas à melancholicis nerveis diſtinguit & diſcriminat.

Vigiliæ contrà ſi ultra modum protrahantur omnia contraria efficient. Robori quidem ſi moderatæ ſint, favent, ſed exſiccant; macilentiam, tenſionem ipſo habitu contractam efficiunt, undè alter ſtatus alteri medelam præbet, ex ipſius Naturæ inſtituto.

Pueris ergo gracilibus præſertim ac tenuibus, plus ſomni quàm adultis concedi debet, cùm alantur ad incrementum præcipuè. Hic poſteà ſensìm minuendus eſt, ubi corpus increſcendi metas attingit; tunc plus de firmitate corporis cogitandum eſt, minùs de incremento. Naturæ ſcilicet obſequioſi qui ſomni facultatem eò majorem animalibus omnibus dedit, quò ſunt origini propiora.

Nec tamen ii ſumus, qui indulgendum cenſeamus conſuetudini illi quæ apud anus invaluit, ut per duodecim aut tredecim horas integras ſomnum largiorem puerulis concedamus; nihil enim magis effœminat, laxioremque nutritionem præ-

bendo,obeſitati quidem totius molis corporeæ favet, ſed ſimul roborationi obſtat, cùm partes nimioperè alluendo ſeparet.

Patet indè plus eſſe exercitatis ſomni concedendum, minus verò otioſis; cibum aliquâ ſui parte ſomni vices rependere; diætâ utentibus tenuiori plus eſſe ſomni concedendum. Sicque alterum alteri, aliquando poſſe ſupplere. Adipem augeri ſomno ſimul & flacciditatem; tenſionem contrà, macilentiam atque robur à vigiliis induci.

Nec minoris pretii apud Antiquos in gymnaſiis, & præſertim in athleticâ diſciplinâ fuit, ratio ſomni ad cibos atque exercitium. Hinc videntur labores & exercitationes diſſitis à cibo horis inſtitutæ, eo ſcilicet conſilio, Galeno teſte, ut eorum ope excrementa quæ in ultimis anguſtiis hærebant, diſcuterentur. Credebant verò quòd ſi exercitiis vehementibus indulgere fuiſſet animus ventriculo adhuc cibis repleto; periculum foret ne cruda nimiâ celeritate intra corporis adyta penetrarent, undè & nauſea primùm naſceretur, & poſteà vertigo, tum artuum laſſatio, ſomni inquietudo, bilis atque ſalivæ in conditionem crudam mutatio. Hinc à cibo & frictiones & curſus atque luctam damnabant, quietem atque ſomnum poſt alimenta, præſertim ſenibus præſcribebant; ut videmus Neſtori familiare, quod juſtum ſeni ait Homerus. Imò exercitium inter & cibum, balnea locabant, ita ut à labore balneum, à balneo cibus adhiberetur. Nec quæ tempora animalibus ad ſomnum conceſſit Natura ipſis prætervisa ſunt. Serò maturè cœna inſtruebatur, indè defatigatis per diurnos labores, juventutis artubus placidus ſopor

concedebatur, cùm tenebræ per terram diffuſæ, eſſe à laboribus vacandum præſcribebant. Illo verò præcipuè tempore, & aer externus vaporibus inquinatur, & perſpiratio minùs facilis eſt. At ſub ipsâ aurorâ, reſtitutâ corporis alacritate ſol novus, ad novos labores revocabat, & protinùs inſtaurabatur juvenilis inſtitutio, cujus inſtituti ſi rationem non redderet expoſita de Perſpiratione Doctrina, ſectandam tamen ſuaderet ruſticorum experientia, quos alacres, agiles atque ſanos, ad extremam uſque ſenectam ideò videmus vigere invidendâ divitioribus ſanitate, quia minùs à naturæ præceptis aberrant, quæ ipſis ſacra facit operum agriculturæ neceſſitas.

Ab hiſce cauſis primò manè in Gymnaſia & palæſtras, & ſub ipſius auroræ diluculo, juvenes, quorum robori inſudandum erat præcipuè intrabant;cum viris,iiſque qui jam firmum robur adepti erant ſolis,ſerotina concederetur exercitatio. At ephebi antequam progrederentur ultra, in apodyterio exuebantur, nudique artus frictione erigebantur ad actionem. Tum pulvere & oleo uncti, ut ſimul fibris flexilitas & robur induceretur, & vires intra continerentur, variis exercitationum generibus fatigati ſtrigili rursùs atque frictione extergebantur, unde κόνις ἅλος naſcebatur. Poſtquàm verò multiplex exercitiorum genus exanthlaverant ad ſalutarem uſque defatigationem, ut fibris flexilitas ſimul ſervaretur, nec aliquid detrimenti robur acciperet, balnea inde ſubibant.

Verùm non per balnea lavatio illa ſimplex & inerudita, qualis apud nos in uſu eſt, intelligitur. Ars erat balneatoris & alyptæ, ipſos

pro vario virium gradu, primò in vaporarium, deinde in tepidarium, caldariumve diu vel parum detinere. Poſteà per varios caloris gradus in frigidarium, aut piſcinam natatoriam deducti, unicâ die, unico antemeridiano tempore qui juvenes erant roborandi, omnia per extrema quæ corpus pati poſſit, cum prudentiâ devolvebantur. Tùm rursùs uncti, fricati robur accipiebant atque ſimul famem quâ ſpernere cibum vilem non fas erat. Hic cibus ut Spartanorum olus atrum, meliori Spartæ tempore juventuti ſemper parcus & ad menſuram concedebatur. Qui cibus cùm regi cuidam minùs acceptus videretur, ſciſcitareturque à Spartano, quì id fieret ut eo Spartani delectarentur, reſponſum fuit, labore Spartano priùs parandam fuiſſe famem, docente Plutarcho in libro de inſtitutis Laconicorum. Reliqua diei pars aut civilibus officiis, aut ſtudiis auſterioribus, aut deambulationibus dedita, cœnâ excipiebatur, poſt eam ſomno licebat indulgere, parco illi & non mollibus provocato culcitris, ſed ſæpè ſi roboris ratio habebatur, ſub dio, & inſtratis pellibus animalium, ut frequenter apud Homerum & antiquos videre eſt.

Quantùm omnia hæc ad rationis normam fuerint inſtituta inveſtiganti, ſatis erit ad doctrinam de perſpiratione attendere, quam primus inſtituit Sanctorius, auxere & emendavere, Dodartius, Keillius, Gorterus.

Ex his porrò conſtat, quanti ſit pretii, tenuiſſimam excrementorum partem, quæ formâ inſenſili avolat, intra ſanguinem non hærere. Hæc

LIBRARY OF THE UNIVERSITY FOUNDED 1413

poſt ſomnum potiſſimùm cocta atque præparata, duobus ſolet horis poſt primam evigilationem quaſi torrentis impetu abripi. Verùm poſt illud ſemel exactum tempus, qui nimis perſpirant debiliores ſunt, ipſo ſic docente Hippocrate. Undè vaſorum ſtrictura, humorumque tunc temporis utilium retentio ad robur confert; quod cùm experientia Veteres edocuiſſet, nil mirum ſi frigori ſemper alternæ vices cum ſudatione, in palæſtris, balneis atque gymnaſiis veterum conceſſæ fuerint; nec ullus fuit qui à tepidario atque vaporario in frigidarium non immergeretur. Hinc in veteribus illis exercitiorum atque balneorum viciſſitudinibus, quum ſcilicèt ungerentur, pulvere inſpergerentur, fricarentur dein & ſtrigili quaſi verrerentur, dein abluerentur frigidâ, febris quædam intermittens excitabantur, cujus frigoris atque caloris viciſſitudinibus, roborari corpus experientiæ eſt. Id autem frigori tributum vel apud maximè barbaras gentes, probat inſtitutum illud quo ſeſe jactant recèns natos ſævo gelu & undis duraſſe. Imò & hodiè apud Moſcovitas moris eſt, ut calidiſſima balnea ſubeant, dein ſe in nive nudos vel puellos adhuc provolvant, roboris ſe inde multùm nanciſci experti, quo & frigora & æſtum poſſint impunè perferre. Quid quòd in calidioribus Americæ locis ad ſudores compeſcendos vernice quaſi cutem obducant, ne nimio ſudore labaſcat natura, rem imitante in inſectis Reaumurio. Uſque adeò omnibus experientia demonſtravit, nimium humorum de corpore exitum non vacare debilitationis periculo.

Videmus tamen apud Græcos atque Romanos, exercitia illa primæ ætati non conceſſa, ſed infantuli nondùm ære lavabantur, quòd Phyſices principiis conſonum putamus. Cùm enim rapido incremento corpus eget, vix de roboratione licet ſomniari, quin periculum incurramus proceritati corporis nocendi, adeòqùe partium evolutioni. Hinc nondùm publicis balneis lavabantur ante pubertatem pueri, quanquam etiam puberes, ſæpè ſub puerorum nomine deſignatos repperias.

Supereſt ut de uſu veneris dicamus ad quam ipſum corporis robur, primâ nitentes juventâ allicit ita potentibus ſtimulis, ut negatâ ſæpè tùm corpus, tùm mens ipſa conflagret & penitùs pervertatur.

Robuſtis quidem præcepta tantùm tùm phyſice tùm præſertim ethice ſuppeditat quibus diſcant, animo imperitare, corporiſque impetum frænare. Sed ſæpè eadem flamma gracilium & delicatorum medullas conſumit, quos prorsùs à venere arcendos, ſi corroborare cupis, me ſaltem judice, ſuadet experientia è Phyſicis deſumpta, tùm etiam quòd in talibus abſtinere omninò, quàm moderari facilius ſit.

Nihil enim tanto corporis diſpendio, perditur ac ſemen, præſertim ſi immaturum atque crudum adhuc in juvenili ætate, aut perverſo conſilio, aut ipſo intinctæ libidine mentis fervore, nixibus violentis ex corpore effundatur. Brevis enim Epilepſia quæ comitatur coitum nervos offendit, vellicat, irritat, imò & rumpere poteſt fibrillas immani diſtenſione ita actas, ut nec mens, nec vultus

vultus idem remaneat in Venere abutentibus. Nec verò minima pars mali in eo conſiſtit, quòd ſeminalis liquor roborandis atque nutriendis partibus magnam ſymbolum conferat, & vim in fibras evidenter cardiacam exerat. Sciunt enim omnes in ejus aut præſentiâ, aut abſentiâ totam conſiſtere, quæ viros inter atque Eunuchos intercedit differentiam; quorum hi fœmineam videntur induiſſe gracilitatem, virile robur depoſuiſſe. Si ergò à fœmineo contuitu atque contubernio juvenes prohibeantur, duplex indè orietur utilitas, & quòd pretioſus liquor corpori roborando ſervabitur, & quòd ingens animi affectuum campus præcidetur, urit enim & incendit animum videndo fœmina, nec patitur meminiſſe, aut legum aut præceptorum quæ ſevera ipſis imponit diſciplina.

Nunc verò an corpori roborando fibriſque ad ſe invicem adducendis aliquid conferre poſſint animi affectus, nova exoritur quæſtio. Nec ambigua erit ejus ſolutio. Scilicet non dubium eſt quin cùm præcipui corporis motus ab affectâ mente pendeant, vivaces illi & efficaces, qui circuitum ſanguinis augent, qui muſculis actionem repetitam impertiunt, ſpirituumque fluxum adaugent, nutritioni etiam conducere apti ſint. In hoc quidem ſtatuendo, dogmata Sanctorii ſequemur qui duplicem affectuum animi claſſem recenſet, quorum altera perſpirationem ſupprimit, altera verò contrà eam adauget & intendit. Hi ſunt actuoſi omnes, qui robur videntur pro tempore conciliare, & qui dum tenſioni favent, ei etiam perferendæ pares homines efficiant, non

quidem per inutile illud perſpirationis incrementum, ſed quòd augmentum illius vacuationis, roboris ſit ſignum non dubium. Verùm hîc diſtinctio ingens adhibenda. Si quidem omne vehementiſſimum atque ſubitum, fibras potiùs deſtruere aptum eſt quàm inſtaurare. Sed ſi intrà leges rationis animus afficiatur, variaſque experiatur pathematum vices, certè aliquid indè nutritionis fœlicitati accedet, tùm & ipſa exceſſuum aſſuetudo, fibras minùs commovendas efficiet. Hinc nullibi robuſtiores reperiuntur populi quàm in locis quos importuna bellorum exercet frequentia, ubi diſcunt à pueritiâ, & mortem & præliorum diſcrimina non exhorrere. Hinc animi atque corporis fortitudo ſæpiùs concurrunt, debilitaſque paventes ac poplitibus ſuccidentes facit. Fiduciam ſuî nobilem ac fortem, incutit animus virium corporis conſcius, qui brevì docet & aperta ſpernere pericula, & vitæ diſpendio benè credat emi, quo tendunt animoſi, honorem. Quæ quidem obſervata jamdudùm Hippocratis auctoritate confirmata fuere. Hic dùm Europæ atque Aſiæ incolas à ſe invicem diſcriminat, otium imbelle Aſiaticorum ſub Regio jugo degentium tanquàm infirmitatis cauſam habet, robur verò Europæis indè inſpiratum putat, quòd rerum publicarum tumultu, neceſſariò ad fortitudinem exſtimularentur. *Lib. de aëre, locis & aquis.*

Patet indè quòd etſi animi tranquillitas corporis nutritioni faveat aliquatenùs, tamen ei altius cunei in morem agendæ neceſſarium ſit animi affectus concurrere. Hinc ut otium animi atque corporis pinguedine mulieres cogit diffluere, to-

roſitas contrà, animi atque corporis exercitiis adaugetur. Mollities in illis aquosâ nutritione diffluit, in his impactum altè materiei nutrientis robur cum ejuſdem denſitate concurrit.

Forſan verò adhibendis externis illis & quaſi ab arte, prout à recentibus tractatur, remotis auxiliis diutiùs inſiſtere videbimur; quid roborandis debilibus ipſa nobis ſuppeditet diæteticè, quid è materiâ Medicâ deſumpta ſubſidia proſint quærentibus, ea tamen & minoris eſſe ponderis & utilitatis minoris quàm quivis ſibi poſſet fingere, demonſtratu facile eſt.

Dentur ne alimenta quæ intrà corpus admiſſa non modò nutritionem, ſed etiam robur poſſint inducere, in hoc prima verſatur quæſtio. Quis dubitat enim ſi talia dentur, ea intùs adhibenda eſſe? Si porrò per robur, activitatem tranſitoriam intelligimus, certè facile eſt reperire alimenta quæ partibus acribus volatilibus, cordis motum exſtimulent, actionem nervorum intendant, adeòque vires videantur non ſolùm exhauſtas reſarcire, ſed etiam amplificare. Sed ſi requiratur ſubſtantia quævis quæ plus aliâ robur innatum & quaſi nutritionem fibris impertiat majorem; ea ex claſſe alimentorum concoctu maximè facilium quærenda eſt, & ex eo materiæ nutrientis genere quod citiùs à viſceribus concoquatur, chylum facilem & perfectiorem præbeat. Vix enim prodeſt quid ingeratur, ſed quid concoquatur. Undè nulla dari alimenta concludimus quæ eo virtutis genere donentur. In quâ quidem noſtrâ ſententiâ, non negabimus nos à præceptoribus noſtris differre; ſed jure & merito ut ex

ipsâ rerum naturâ facilè probandum conſidimus.

Adſtringentia & acido auſtera ad hunc uſum invocari volunt multi; & ipſe videtur aliquam ad roborandum iis facultatem tribuiſſe magnus Boerhaavius. Hinc vina auſtera debilioribus commendat. Conſilium illud in hoc nititur quòd laxitatem fibræ, ſimul cum debilitate ejuſdem vult coincidere. Nos porrò laxitatem aliquandò cum debilitate concurrere non negabimus. Complexio illa laxitatis cum debilitate, cachecticos vexat, & in iis reperitur qui molli adipe diffluunt & ſaginâ obruuntur. Sed ita complicantur & componuntur affectus illi, ut alterius effectus, effectibus alterius directè opponantur ſibique invicem quaſi medeantur. Hinc adſtringentia quæ admixto fibris terreo principio eas etiam jam vitali actione deſtitutas in corium immutant, ſi fibræ debili jungantur, aliquatenùs roborare poſſunt; ſed nutritioni obſtant, obſtant etiam activitati.

Quòd autem de acido-auſteris atque aſtringentibus dicimus, idem etiam de ſpirituoſis intelligendum, quæ non ſolùm agunt ſolida ad ſe invicem adducendo, qualis eſt adſtringentium actio, ſed etiam experimento Helmontiano, tenerrima liquida coagulant, adeòque crudam & immaturam duritiem, plaſticæ & proportionali tenacitati ſubſtituunt. Ea enim omnia fibrarum partes ad ſe quidem adducunt, ſed ne rori nutritio pateant illæ ſimul efficiunt; adeòque nutritionis progreſſus, aut tardant, aut impediunt redduntque fibras duriores quidem, ſed ſimul

frangi faciles, & flexilitate prorsùs deſtitutas.

Ars eſt mercatilis, catellis brevem ſtaturam conciliare, dum recens natos frequenter ſpiritu vini abluunt, illoſque eo ingurgitant. Tollitur fibris eorum flexilitas, hinc impeditâ nutritione tendinibus cartilago, muſculis moles fibroſa, corium pelli, ſubſtituitur. Non creſcunt illi, ſed nec agunt, & rigiditas ſenilis, quæ robori ferè eâdem ratione opponitur atque debilitas infantilis, miſeris ante diem incumbit. Hinc rugæ corium dehoneſtant. Quo factum, ut jam eo monſtrorum puſillo genere minùs delectentur mulieres.

Patet indè quàm parùm adſtringentia illa robori inducendo apta ſint, adeòque ab hac noſtrâ methodo quantòpere ableganda ſint.

Nec majorem fidem adhibendam ſenties illis quæ nutrientium titulo maximè nec injuriâ quidem, gaudent; viſcoſis, mucilagineis, gummoſis. Hæc ſi benè digerantur, optimè nutriunt, ſed & vires ruſticorum & latera exercitata exigunt, ut eorum tenacitas infringatur. Sin minùs indivulſa intrà debilem ventriculum hæſitant, tuncque excrementa cumulare nata ſunt. Adeòque debilibus interdicuntur.

Galenus quidem lac debilibus præſcribebat, ſed quod in acquiſitâ debilitate debellandâ plurimùm præſtat, in nativâ parum prodeſt; cùm concoctione tantùm plus minuſve facili præſtet alio alimento, nec alias vires præter nutritias exerceat.

Nec nos credimus à lectoribus, veniam poſtulaturos, ſi parùm de cardiacis illis adeò de-

çantatis & elixiriis, eſſentiis vitalibus à quibus ſibi ſpondebat immortalitatem Paracelſus parùm inſiſtamus. Eorum enim brevis effectus citò deferveſcit, debilitatemque viribus adſcititiis ſuccedaneam relinquunt illa rarefacere nata, & artificiali calore corrugare.

Analeptica verò quæ vires exhauſtas reparant, & inſtaurant citâ & facili nutritione, hîc etiam vix locum habent; cùm ad robur inducendum non tantùm facilè applicabilia requirantur, ſed etiam quæ fortiter intùs appreſſa, fortiter etiam fibræ immorentur. Quod à methodo plus pendet applicandi, quàm ab applicatâ materie.

Si aliquid ergo ab ipsâ materie nutritionis emolumenti repetendum eſt; ab ejus varietate potiùs quàm à determinatâ qualitate repetendum eſt illud. Varietas aliquem ſecum ſtimulum importat, quæ languentis ſtomachi vires poſſit exſtimulare, vaſorumque actionem intendere. Hujus autem præcepti extenſionem ſic accipi velim. Ut non ultra rationis limites extendatur ille diverſitatis ambitus, nec acris aut erodens materies, aut glutinoſâ & indomita ſub varietatis titulo apponatur. Sed ex illo genere ſumatur quod viribus ventriculi cedat, & vaſorum & exercitationis expenſis, additione reſpondeat.

Alteram per externa medicamenta roborandi methodum videntur apud Veteres adhibuiſſe Pædotribæ. Illâ ſcilicet non ſolùm frigus gelidæ aquæ inducebant poſt calores aquæ humidos ut fibras ſtringerent ac corroborarent, non ſolùm natationem in frigidâ, poſt moram in vaporario atque caldario adhibebant, ſed etiam frictiones

validas cum oleis aromaticis fragrantibuſque validiſſimis, quibus inſinuatis intra poros abſorbentes jam patulos à vapore humido & hiantes, robur infunderetur. Talia erant ceromata pretioſa de quibus Athenæus (*a*) mentionem facit, ut ſunt crocinum, amaracinum, telinum, irinum & recentioribus roſaceum. Alii alyptæ aquam oleo addebant ad hunc finem, teſte Ariſtotele (*b*). Tum verò ceroma cum pulvere addito fiebat, indèque cùm evaderet athleta robuſtior, ingentium virium argumentum erat, ſi quis Ἀκόνιτις, ſine pulvere, palmam ſibi prætendebat. Alii calidas infundebant membris arenas, ſulphureas ſæpè & minerales, teſte Luciano (*c*). Tantæ molis erat robur ſervare atque adaugere. Hinc brevì acta uſque ad ſuperſtitionem roboris adaugendi cupido, deraſum etiam ex athletarum corporibus pulverem inter remedia locavit ſub nomine Κονίσαλυ, ſive Πάτυ; docentibus ſic Dioſcoride (*d*), Plinio (*e*), Galeno (*f*). Quod unguentum quàm parùm ad robur nativum adaugendum conferre poſſit, ex præcedentibus demonſtrare facile eſt. Quòd verò aliquid ceromata illa ad vires adaugendas conducerent, indè pendebat, quòd frictio multiplex concomitaretur illorum uſum. Frictionis verò ex ipſo Hippocrate (g) facultas in corpore multiplex eſt. Prima ſcilicet alimentum ad vaſa, albernâ vacuatione adducere, adductum verò intùs intrudere. Sed ita conſtituta

(*a*) Deipnoſoph. 5. (*b*) Probl. 5.
(*c*) Dialogo Περὶ γυμνάσιων. (*d*) Lib. I. cap. 3.
(*e*) Lib. XIV. cap. 8. (*f*) Meth. med. lib. 8.
(g) De Nat. humanâ. De Aliment. De Victu in acut.

eſt ingenii humani fragilitas, ut raris pretium ingens addatur atque compoſitis. Nec negandum eſt, quòd cùm huic alyptarum arti lucrum appoſitum fuerit, quo fieret illud majus, multa fuiſſe vana addita, quibus momentum & pondus arti conciliaretur. Hinc tot inventa, ut videtur, frictionum genera, mollis, tranſverſa, poppyſmus, &c.

Britannis mos eſt qui nerveâ debilitate plurimùm inter Europæos laborant, ut dum calida lavacra reſpuunt, frigidâ & gelidâ quidem ament per medium hyemis frigus innatare, ſuſdèque immergi, perfundi. Imò & infantes delicatulos, languore laborantes, febre tabificâ pænè confectos hac ratione in priſtinam non ſolùm ſanitatem, ſed etiam ad ingens roboris incrementum perveniſſe vidi. Antiquum eſt gelidâ perfundi, & videtur mos ille, ut apud veteres Italos, Virgilio ita docente, ſic referente Tacito apud Germanos obtinuiſſe. Scilicet quo magis aliæ vileſcunt artes, eò major viribus corporeis honos additur. In illis enim ſua ſibi jura reperiunt Barbari, nec ullum apud ipſos in bello artificium eſt, ſed impetus, quo viribus editior alios cædit, ut in grege taurus. Hinc corpori robuſto, non ſolùm decus manet, ſed ſecuritas etiam ab eo propria pendet, ubi res omnes dextrâ vindice adminiſtrantur. Sed Medicæ Artis fuit, quòd Auguſti Cæſaris tempore, roborantium & ſanitati conſulentium nomine, frigida balnea cæteris remotis Muſa Antonius ſuaſerat, dum gelidâ mergerentur undâ per frigus medium. Qui uſus ad uſque Plinii tempora invaluerat. Hic enim tremulos viros conſulares, ex ejuſ-

modi balneis recèns egreſſos irridet, quaſi moris & conſuetudinis victimas.

Videntur ergo Angli ultimam tantùm theoriæ quæ Antiquos in balneorum uſu dirigebat partem admittere, quâ ſcilicet laxatæ à calidiore balneo fibræ rurſus roborantur, atque, ut Veterum more loquar, condenſantur per admiſſum gelidæ aquæ frigus. Sic eo privantur beneficio quod alterna caloris atque frigoris viciſſitudo debet inferre, febrium intermittentium more. Ab hac alternâ actione fit ut hinc patula hient nutritioni vaſcula, illinc verò admiſſa materies fortiter apprimatur. Attamen non negandum eſt ingens accedere fibris à balnei frigidioris impreſſione robur, ſi cautè atque conſultò admittatur. Robore enim aucto textum cellularem arctant illa, adipem conſumunt. Hinc qui iis indulgent aſſiduò, robuſtiores primùm, dein etiam macilentiores redduntur, docentibus ſic Cheynæo, Ruſſellio, aliiſque obſervatoribus Anglis.

Jam pridem evanuêre ex hominum memoriâ deliciæ illæ balneorum, quas Antiqui tum ad commoditatem, tum ad luxum invenerant. Vix Eruditi conſentiunt de modò intelligendi famoſa illa nomina, balnea penſilia, quæ tardè admodùm admiſit Romana ſeveritas, concamerata ſudatio, tepidarium, frigidarium, labrum, Oceanus, Piſcina; circa quorum ſtructuram Architecti antiqui Vitruvius aliique ut & circa horum aſpectus requirendos, & ſpatia occûpanda tam multa dixêre, ut non ſolùm in iis exſtruendis voluptati atque deliciis ſervitum, ſed etiam de ſanitate cogitatum videatur. Remanet theoria, quæ

ab ipsâ petita Naturâ forſan aliquando reviviſcet ; adhuc enim aliqua ejus veſtigia reperiuntur apud Orientales populos, Græcæ illius Aſiæ incolas, quos & aëris æſtus & recepta apud illos Relligio frequentibus lavacris reddit obnoxios.

Ut autem omnia ſuperiùs dicta contrahantur, probatum confidimus roborationem imbecillitatis nativæ à rectâ atque forti materiæ nutritivæ applicatione pendere ; ad quam requiritur proportionalis viribus corporis nutriendi materies, nec defectu, nec exceſſu peccans. Augetur verò applicatio illa fortiori exercitio, ſi eo præſertim tempore adhibeatur quo materies jam concocta, applicationi prompta eſt. Apti temporis indicium præbet, excretorum maturatio. Tum verò laxanda eſt huic excipiendæ fibrarum compages, atque dein eo peracto quaſi ſubitò ſtringenda. Nec minùs evincitur parum fidei adhibendum eſſe cujuſvis generis medicamentis, quantumcumque roborantium titulo inſigniantur. Nec verò præmaturè eſt de robore cogitandum, antequàm ad incrementi apicem corpus pervenerit, cum eò minùs fibræ incremento cedant, quò robuſtiores ſint & ad reſiſtendum aptiores, methodum Antiquorum imitati, qui pueros nondum primam egreſſos pueritiam, vix ad lavacra admittebant. Præterea dum alternam frigoris atque caloris in balneo activitatem prædicamus, eam evidenter ream facimus parentum malè ſedulorum curam, qui ventos, aërem, gelu exoſi, iis exponere pueros timent, cùm ex receptâ theoriâ imbecillimos efficere debeant. Nec minùs in artem peccant qui uni alimentorum ge-

neri ita miſellos aſſuefaciunt, ut ab inſolito vellicatu nullum nanciſcatur robur ventriculus, nullum ſentiat ſtimulum Natura. Sed ut illorum ſtulta eſt ſedulitas, ſic eorum imprudens eſt negligentia, qui nullâ tenellæ adhibitâ machinæ ratione, omnem curam reſpuunt, ſed exempli gratiâ, famem ingentem ingurgitatione ſedant, immania exercitia, omnimodâ quiete excipiunt.

Accidit ſæpè pueris, quibus nimia cibi copia intruditur, nec firmatur exercitio corpus, ut immane brevi temporis ſpatio, illo quo ad pubertatem properant, fiat corporis augmentum. Hos ita debiles fieri neceſſe eſt, ut pauci tabem evadant brevìque plures moriantur. Nec mirum ſi dum oſſeam compagem mollior ſubit materies, graventur præpoſterâ ejus ubertate fibræ quæ contextum tenerrimum obtinent. Hinc non nutriuntur, elongantur tamen & à ſe invicem contactuum puncta recedunt, undè ſemper præſens rupturæ periculum illis imminet. Adde quòd rarò ſine aceſcentis per læſam concoctionem materiæ penu tale incrementum accedat. His exercitium lene, frictiones præſertim ad ſpinam dorſi, quâ muſculi plures, ligamenta numeroſa pererrant, diæta ſicca, frigidiora lavacra cum cautelâ adhibita conducere debent, imò & quatenùs in præcipiti vitium eſt, aromatica, vellicantia, ſtimulantia à rupturæ periculo vindicata, proſunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De curatione Debilitatis nerveæ acquiſitæ.

Plurimæ ſunt cauſæ quibus innatæ vires franguntur atque debilitantur, arte poſteà vix reparabiles. Hæc verò contracta infortunio calamitas, jam ex ordine Naturæ efformata dici non poteſt, aut inter intemperies naturales numerari. Conſtituit verò illa nerveæ Melancholiæ exordium atque fundamentum, tenſionemque, ut prior de quâ egimus præternaturalem ſupponit; adeòque & rupturæ metum importat aliquem, niſi vaſorum vis reſiſtat, eique materiæ innato robore obſiſtat.

Ut autem debilitas acquiſita elementum eſt primarium nerveæ Melancholiæ ſimplicis, ita in eâ præſertim reperitur quæ à vitiato partium ſenſui atque motui dicatarum tono, pendet. Quanquam in hac poſtremâ agat inæqualiùs, & nunquam ubique & in corpore univerſo ſimul eumdem exerceat impetum.

Differt ergo aliquatenùs debilitas nativa ab acquiſitâ; ſcilicèt debilitas quæ à Naturâ pendet, ſemper materiæ imbecillitatem ſupponit, rupturæque metum, ex ipsâ neceſſitate intentat. Acquiſita verò non ſemper idem minatur periculum; ſed ad hanc conſtituendam ſufficit tenſilitas atque vibratilitas prætermodùm aucta, quæ facilior eſt quidem in gracilibus. Sed etiam ab

ingenti cauſâ poteſt in robuſtioribus reperiri. Prior delicatis atque debilibus fibrarum ſtaminibus propria eſt. Alteram vel in medio vitæ robuſtioris curriculo circumſtantia plura invehunt.

Vibratilitatis enim hujus tot cauſæ ſunt, quot occurrunt quæ poſſint habitum tenſionis inducere, de quibus cùm in primâ hujus Operis Parte abundè dixerimus, hîc iis iterùm inſiſtere vana foret opera. Prima fuit fibræ ipſius gracilitas, altera tenſionis habitus acquiſitus, ab æſtu aut intenſiore, aut nimiùm obſtinato, ab acri gelu, ab alimentis aromaticis, acribus, oleoſis, potuum ſpirituoſorum abuſu. Maximam hîc contulêre ſymbolam affectus animi quicumque, ita protracti, ut hominem perpetuò divexent, & à cæteris omnibus alienum in ſe quaſi vertant; aliaque millena, quæ cùm tenſionem addant, obſtentque nutritioni, non gracilitatem ipſam fibræ producunt, ſed gracilitatis effectus. Imò una eſt ſola quæ veram poſſit debilitatem atque gracilitatem inducere, ſimulque fibræ robuſtioris craſſitiem deterere, & ei tenuitatem conciliare; ea eſt acris intùs enata materies, ſtamina mucoſa in ipsâ ſuâ ſubſtantiâ deſtruens unionemque terreæ fibrarum partis, cum glutine adjuncto diſrumpens. Talis eſt ea quæ ſcorbuticos, phthiſicos, tabo venereo diffluentes invadit.

Ea autem cauſarum harumce agendi norma eſt, ut dum primâ ſuî impreſſione corpus impetunt, ipſum quidem ſubvertant, & ſuſdèque præceps agant. Has ſi primo in limine adorientes fugare licuerit, priſtinam incolumitatem reſtitues, & quaſi pacatâ procellâ ſerenam reduces tranquil-

litatem. Verùm ſi quâdam obſtinatæ pervicaciâ ſeſe induruerint, tum vix profuerit ipſas ſuſtuliſſe. Durabilem enim corpori labem inuſſere, memoremque ſuî notam impreſſere altiùs, quam corpus læſum ſervat, ſervabitque, donec per exceſſus oppoſitos, læſæ atque proſtratæ res, ad mediocritatem illam auream, quæ ſanitatem conſtituit, reducantur.

Cauſis igitur vibratilitatis nimiæ removendis, primùm inſudare debet Medicus, curam nerveæ debilitatis ſuſcipiens, antequam de partium roborandarum arte cogitet. Robur enim illud, ſola ſibi relicta, ſi fuerit vitii expers, & alieno libera contagio, efficiet Natura. Cauſæ verò, per mutationes oppoſitas tolluntur. At in iis etiam emendandis opus eſt prudentiâ non vulgari, cùm jam alibi probatum ſit, omne nimium, omne ſubitum, omne inſolitum etiam in melius, ipſo autore Hippocrate, non carere periculo. Scilicet ab alio dum in alium exceſſum deducuntur fibræ, titubat atque vacillat earum tonus; ſed reſurgit acrior, dum à naturali mediocritate removetur, & ſub inſolito ſenſu, acutiores vibrationes efficit, dum non ipſâ aſſuetudine ille mitigatur & hebeſcit.

Per gradus igitur ſibi ſuccedaneos mutanda in melius conſuetudo. Rumperentur fibræ quæ ab æſtu immodico in hybernum frigus præcipites ruerent, nec ſenſilitate ſolùm ſuas hîc agente partes, ſed etiam ipsâ rupturam faciente, rarefactione, cujus leges & hiſtoriam ad Naturæ exemplar adumbravit Boerhaavius. Si quotidiano potui aſſueti, meliora docti, ſine ullo intermedio ſenſu, ab illo ceſſare velint; tremere illos, ac vix greſſu

firmo incedere valentes videas. Plethoram atque convulſiones enormes ſæpè nervis vividè titillatis intulit intermiſſa ſubitò Venus. Scilicet repugnat Naturæ,per extrema quodam impetu corripi, quæ ſemper gradus affectat, & per eos deducta, vel vehementiſſimorum effectuum ſuſtentandorum idonea eſt.

Quos igitur Africæ ardentis ſol acrior peruſſit, hos non ad gelidos ſeptentriones ablegare velis. Modum ipſa impoſuit Natura, quæ dum infinitis regionibus, utramque temperiem à ſe invicem diſtare voluit, edocuit ſatìs per moderata tantùm poſſe ad extrema perveniri. Quæ etiam ab æſtuantis æſtatis fervoribus, ad glaciem hybernam per autumnalem nos aſſuefacit teporem, nec minùs nos à torpore hyemali, ad æſtuoſi canis rabiem per vernam moderationem deducit.

Cùm verò aëris inclementia tantùm in inducendâ debilitate nerveâ conducat, ſatìs intelligitur quàm multa poſſit in debilitate nerveâ acquiſitâ perſanandâ, ſolum vertere, & ab æſtu atque frigore in temperatas regiones pervenire.

Omnibus nervorum morbis præcipuè patent, qui aridiora loca ſimul & æſtuoſa incolunt, quia ſiccitas & ariditas fibræ etſi forſan minùs gracilem reddat, tenſiorem tamen efficit, adeòque magis vibratilem. Hinc oritur debilitatis nerveæ acquiſitæ genus, quòd ad omnes externas impreſſiones capeſcendas magìs promptos reddat & habiles. Debilitas verò illa in eos præcipuè decumbit, quos veſana lucri fames, deteſtataque hominibus inopia, quaſi exules ad calidiora Maris rubri littora, Arabiæ arenas, aut Americæ æſtum

abducit ſub curru nimiùm propinqui ſolis. Hos porrò vix aliud in priſtinam reſtituit integritatem, quam citò à causâ mali recedere, & magis puro ſeſe committere aëri. Si tamen arti ſalutiferæ dociles, humectantem victum ſedulò & ſuperſtitiosè colant, ſi negent ſpirituoſis ſeſe proluere, ſi cibos ex animalibus petitos & formident & fugiant, tunc loci inclementiam ſuperabunt, & quod denſitati ſucci nutritii addit aëris percoquentis æſtus, cedet contrà in robur.

Extrema utut inter ſe adverſis pugnantia frontibus, uniuntur in eo quòd noceant. Hinc ſummum frigus nervos etiam vellicat, ſed cùm ab eo tutos atque tectos ſeſe continere ipſa ejus penetrabilis ſævities ſuadeat, & pororum adſtrictorum conſtipatio robori aliquatenùs conducat; fatendum eſt vix nerveâ debilitate laborare Septentrionales populos, ſi non amaverint duritiem cœli potibus ſpirituoſis temperare, quod vitium à populis politioribus, in barbaros deductum, meliùs in eos imperium exercuiſſe, quàm aut Artes, aut virtutum exempla ad illos delata, ſi viatoribus fides adhiberi debet, audimus.

Non loci nebuloſæ humiditati, non aëris ſpiſſitudini, quæ vix aliquam obtinere poteſt efficaciam, adſcribendum eſt, quòd in temperatâ Angliâ, cultuque & habitu locorum amœnâ fœcunditate celebri, adeò graſſentur nervorum morbi quatenùs aut intenditur, aut pervertitur partis ſentientis atque mobilis activitas. Vix etiam admitti pro causâ poſſe videntur Minerarum halitus, aut alia cujuſvis generis effluvia. Sed in ipſo Hiſtoriæ Naturalis limine conſtitutos pudere

pudere non decet, ſi multa nos ignorare fateamur, quæ poſteris vel fors afferet, vel deteget induſtria. Generatìm verò aëra, aquas, affectus animi, ſpes varias, & ut in commercio ſæpè incertas, mores patrios incuſare fas eſt, ſpirituoſique potûs abuſum, imò & inſtitutionem à puerili ætate, quibus cauſis fit, ut Scientiarum atque Litterarum cultores, primo intuitu libri non difficilè dijudicent, an ab Anglo, an ab Italo, an à Gallo opus lectioni ſubjectum prodierit? Nec minùs inceſſus ipſe, faciei lineamenta, geſtus, patriam viri produnt, quò minùs miremur, ſi aliqua inter ipſos indigenas morbos intercedat differentia.

Omnibus his mutare ſolum convenit, & niſi radicibus altis nervea debilitas inſederit, rarò aliâ opus eſt methodo. Memini me ab amico Londinenſi, per Litteras enixè rogatum, ut virum ingenio & doctrinâ præclarum, quem debilitate nerveâ laborantem Pariſios migrare ſuaſerat, quantociùs inviſerem, remediaque, ſi quibus opus foret, adminiſtrarem ſedulò. Adventanti adfui, nec ſine ſtupore, omninò perſanatum inveni; quod nuperrimè etiam repetito exemplo vidi, quanquam per anni integri curriculum tentata fuiſſent in aëre Britanno remedia. Tam parva tamen eſt locorum diſtantia, ut paucorum dierum intervallo iter perficiatur. Id tamen de omnibus non æquè verum eſt, pro variâ ſcilicèt mali veteraſcentis, aut recentioris vehementiâ.

Eſt & alia forſan ab aëre pendens debilitas nervea, quæ etiam ad animi affectus referri poſſit, junioribus familiaris præſertim Alpium inco-

FOUNDED 1813
UNIVERSITY OF MARYLAND

lis. Hæc patriæ derelictæ ſummum injicit deſiderium, noſtalgiam, *Pothopatridalgiam* Græco nomine dicunt. Sordeſcunt omnia in præſenti vitæ conditione, omnia faſtidiuntur vel exoptanda maximè (*a*). Unam ſibi fingunt felicitatem ſi loca amata reviſant, & ſæpè morbus ille invitâ arte, fruſtaneiſque auxiliis in febrem lentam nerveam abit, niſi ociùs patriæ miſeri reddantur, quibus ipſe aër ſemel hauſtus, quaſi vires afflare videtur. Vidi ſic delicatam mulierem, quæ ad inferioris Germaniæ littora, marito nupta, immani convulſionum genere ibi torquebatur, quas illicò tolleret vel in ipſis Galliæ finibus aër patrius. Ter marito devota, idem tentavit iter, ter convulſionibus horrendis vexata, tandem neceſſitati ceſſit, & Galliæ reddita, ſana nunc atque incolumis vivit.

Nec certè aliis in morbis qui ipſam viſcerum depaſcerentur ſubſtantiam, aliqua unquam fuit aëris patrii efficacia. Nam mechanico vitio mechanica ferenda ſunt præſidia; quòd verò hunc aërem in ulcere pulmonum aliqui commendaverint, id à minùs perſpectâ rei naturâ factum. Vitium enim in ſubſtantiâ partium poſitum emendare nemo poteſt, ſed ut Fernelii noſtri verbis utar, illius eſt recreare qui creavit.

(*a*) Nonne vides etiam cœli novitate & aquarum
Tentari, procul à patriâ quicumque domoque
Adveniunt? Ideò quia longè diſcrepat aër;
Nam quid Britannum cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto eſt, quâ mundi claudicat axis,
Quidve quod in Ponto eſt differre à Gadibus, atque
Uſque ad nigra virum percoctaque ſæcla calore.
Lucret. VI.

Forſitan ſæpiùs ad debilitatem nerveam efformandam, cum aëris vitio concurrit, alimentorum titulo exhibita moles, quæ nedum reparet & inſtauret, deſtruit; ſive eâ copiâ ingerantur cibi, quam vires edomare non valeant, undè redundat excrementis omne vaſculoſum ſyſtema, ſive peccent illi acrimoniâ quæ rodat aut vellicet tenuiſſima nutrienda ſtamina. Copiam minuere, tollere qualitates nocivas, Artis officium eſt. Imò aliquatenùs eo peccandum eſt exceſſu, qui directâ fronte pugnet cum eo per quod vitium ſtetit, donec mutatâ humorum craſi, omnia ad mediocritatem pervenerint. Rarò verò ad hanc indicationem ſi ſimplex ſit, eâ feſtinatione opus eſt quæ Naturæ vim inferat; vixque ejus leges noſſe videntur, qui eam ſublevandi nomine, debilitate nerveâ laborantes catharticis ægrotos vexant, ſudoriferis diffluere cogunt. Vires enim frangi, tolli utiliora, firmari contra malam diatheſim præpoſterâ medicatione neceſſe eſt.

Ea verò quæ dum ſtimulo vellicante fibras acuunt, ſimul venas inflant, ea non ſtatim & præcipitantiùs ſapientis fas eſt deſerere, cùm præceps à nimio tono in atoniam tranſitus, peſſimam debilitatem fibris inducat, convulſivam illam malorumque ingentium procreatricem. Simile, ſed aliâ de causâ, iis incumbit periculum, qui ſtatim conſueta exercitia omiſſo medio intermittunt; qui à vacuationibus conſuetis ceſſant, qui ſtringunt, aut pravo conſilio repercutiunt hæmorrhoidas. Horum aliis plethora diſtendens, vaſa & implet, imò & rumpit, aliis acre repercuſſum partes vellicat, rodit & prorsùs deſtruit.

Iis verò minimum erit malum, ſi ſolâ debilitate nerveâ laboraverint.

Nec Venus ipſa, ſi fieri ſine ſcelere poſſit, non eſt niſi sensìm ableganda. Quodcumque enim leges prohibuêre ſubito reſcindendum eſſe, ſummo etiam corporis damno, ſuadet Philoſophia moralis, quam ſummo cultu ante omnia proſequi debent Medici. Semen retentum, nervi ab eo vellicati, & ipſam mentem remordentes, plethoram, irritationem accire, convulſiones concitare apta ſunt inſtrumenta. Nimis etiam ſapere aliquando periculoſum. Verùm ubi ſervatâ apprimè menſurâ, de iis omnibus exceſſibus plenariam reportaverunt mens & corpus victoriam, ita ut exercitio victa fuerit plethora, deliniente victu mitificata acredo, tunc brevì ipſe morbus fugabitur ſine ullo alio medicaminis extraneo auxilio.

Quæri hîc ſolet detur ne una & deſcribenda victûs ratio, quæ Melancholiâ nerveâ laborantibus uniformiter competat. Certum porrò eſt omnes eas ſubſtantias quæ illam à naturâ partium temperaturam & miſcelam nactæ ſunt, ut nullam ſecum acredinem intra humores devehant, ſed dulces guſtu atque facultate, ut verbis Hippocraticis utar, aquæ indolem ſervant, èique eam tenacitatem conciliant quâ poſſint humoribus intimiùs uniri, poſſe tenſionem, ariditatem præſentem emendare, ſimulque parte nutritiâ laxante, fovere, demulcere, enutrire. Hinc iis fibra tenſa & gracilis mirè delectatur. Hinc etiam omnium acutarum ægritudinum, in quibus tenſio ſumma eſt, victus debet eſſe humectans. Verùm

non ita rem intelligi velim atque accipi, quaſi quod inflammatoriæ diatheſi convenit regimen, noſtræ etiam infirmitati competeret. Sunt certi fines extra quos rectum conſiſtere non poteſt. Nimia enim aqua dum enerves reddit atque imbecillos, periculum quidem rupturæ tollit, ſed atoniam inducere poteſt, imò ſpaſmos invehit, præcipuè quâ præcipua ſit ſanguinearum partium miſcela, in pulmonibus ſcilicèt, arctatis & conſpirantibus in aqueum vappidumque chylum ſenſilibus fibris. Quem ſpaſmum norunt probè qui aliquandò per venas canis apertas ingentem aquæ vim injecêre.

Verùm in hac noſtrâ debilitate, niſi vitæ viribus apprimè accommodatum ſit regimen, & pro earum ratione ſit contrà aut debilius aut fortius, utrimque periculum inſtat; nam debilior victus parùm nutrit, adeòque deſtruit vires nedum reficiat; ſi verò validius ſit, gravat, non nutrit. Hinc humectans quidem regimen præſcribemus alienum à ſpirituoſis, acribus, aromaticis, piperatis, fumo & ſale induratis cibis, ſed eâ proportione quæ viribus conveniat. Et Hippocratis aſſeclæ deterius paulò, ſi ipſum conſuetudo ſacrum effecerit, meliori quidem, ſed inaſſueto præferemus. Aut ſaltem ſi aliquid mutandum incubuerit, ſensìm ſine ſenſu ab alio in aliud delabemur.

Eſt tamen in ciborum delectu aliquod varietati pretium à Celſo jam olim annotatum, & cui hîc inſiſtere eò operæ pretium magis eſt, quò plus aliqui eidem in perpetuum uſum alimento, pretii dederunt. Sed ſi illud annotemus, quod expe-

rientia conſtans demonſtravit, Naturam & in alimentorum concoctione, & in aliâ quacumque functione ſemper agere per ſtimulum admiſſum, certè rationi par eſt, multò plus illam exſtimulari, per inſueta cum moderatione admiſſa, quàm per uniformem ſubſtantiam, quæ ei brevì ita familiaris evadit, ut vix ſentiatur. Hinc Hippocrates obſervatione aſſeruit quod experimentis Sanctorius ſancivit, aliquod etiam emolumentum ab exceſſu levi in machinam redundare. Sed in hiſce conſiliis largiendis ſummâ opus eſt prudentiâ, ne in peſſima quæque proni homines frænis remotis abripiantur; iiſque ita ſuadenda eſt varietas, ut intelligant eſſe etiam in moderatione gradus, in varietate limites, per quos exſpatiari licitum ſit, ſed quos tranſgredi nefas. Novum verò varietati illi prædicandæ pretium addit, quòd ſemper atonia ſpaſmum ſequatur, penè ejus veſtigia premens, eò notabilior illa quò ſpaſmus vehementior. Hinc ſtimulo mediocri arrectas ſuſtentare fibras, nec pati ut ſegnes quaſi indormiant, Medici prævidentis officium eſt.

Habenda prætereà ratio eſt ætatis in præſcribendo regimine, junioribus enim plura conceſſeris. Attendendum ſexui, nam minùs edaces ſunt & magìs plethoricæ mulieres; nec fas eſt eſſe negligentes loci & tempeſtatis, cùm humectantia requirant, & tempeſtas æſtiva & regio calida. Aſſuetis horis demùm ſerviendum eſt. Nam ut notat Hippocrates (*de priſcâ Medicinâ*), ſi quis prandere conſuetus, non prandeat, illicò naſcuntur & ventriculi labor & nauſea, & vertigo tenebricoſa, quæ non afficiat illos, quos jejuno

ventre ſolitos diem durare cœna tantùm reficit. Si quis inaſſuetus prandeat, plethoram illicò ſentit ei prorsùs peculiarem.

Sed, ut jam diximus, præcipua adhibendi cibi proportio à laboribus & exercitiis pendet, ad quam & ſomni & vigiliarum ratio refertur. Somnus enim torpori atque otio, vigilia verò exercitio atque labori rectè conferuntur, laxat humectatque ſomnus, arefaciunt contrà & tenſionem accerſcunt vigiliæ.

Methodo igitur ſex res non naturales adminiſtrandi legitimâ atque convenienti potiùs quàm medicamento cuivis, vel ſpecioſiſſimis inſignito titulis, debebitur eà quæ adverſari debilitati imminenti poſſit cautela, aut jam natæ profligandæ apta Medicina. Nec tamen ubi jam ad ſummum pervenêre gradum nocentes cauſæ, excluduntur medicamenta quæ nocivum ſtatum prorsùs immutare valent. Tenſionem præternaturalem ab æſtivo fervore natam acida, laxantia, demulcentia qualia ſuppeditat ipſa medicatrix Natura in fructibus horæis maturis, tollent penitùs. Necnon juvabunt balnea, aquæ potus ſimplex. Plethoram præſentem ſolvet venæ-ſectio, recidivam cavebit exercitium, acria dulcibus involventur, ſalina aqueis, oleoſa ſaponaceis, de quibus omnibus Autores videre eſt, qui de methodo medendi ſcripſerunt. Cùm ea ſit indicatio morboſæ debilitatis, ut per cauſas vincatur atque tollatur.

Quid jam de animi affectibus agamus, qui cùm ad motus machinæ regendos, exſuſcitandos aut compeſcendos, maximum obtineant imperium, ita eum ſuſdèque funditùs vertere poſ-

ſunt, & penitùs concutere, ut pro maximâ atque frequentiſſimâ debilitatis nerveæ acquiſitæ causâ, jure & meritò habeantur. Hos luctantes atque frementes regere, iis ita imperitare ut ſerviant, non tantùm ad animi placidam felicitatem maximi momenti eſt, ſed etiam neceſſarium eſt ad ſartam, tectamque ſervandam corporis ſalubritatem.

Ut enim Melancholia nihil aliud eſt præter animi affectum, nullâ ab externâ causâ repetendum, aut ſaltem nullâ cauſæ nexum proportione, ſatis animo comprehenditur quantùm ad eam concitandam ea valeat perverſa mentis conſuetudo, quâ vel expaveſcit, vel deſperat, vel angitur, vel mille modis cruciatur, ut quiſque vel in ſe ipſo experiri poteſt, facultatem affectu concitari, ita ut ira iracundum, metus repetitus meticuloſum efficiat. Hinc illa quæ puerorum animis mollitiem inducat, educatio inſtituta, affigit humi divinæ auræ particulam, & fœminarum in morem laſcivientis imaginationis chimæris ſubmittit. Contra emenſa atque ſpreta pluriès pericula animo virile robur conciliant. Hinc ſæpè verſæ in fugam atque terrore correptæ, innumeræ populorum minùs exercitatorum acies, à paucis veteranis & ardore virili incenſis militibus. Hinc ipſe animus prudenter excitatus ad arma, victoriam felicem peperit, Tyrtœus ſic mares animos ad Martia bella exacuiſſe dicitur. Maxima certè pars curationis quam ſibi debilitas nervea vindicat, indè repetenda dici poteſt, ut leges quibus aſſueſcere poſſint & quaſi manſueſcere affectus animi ſtudiosè perpendamus.

Dicitur Demoſthenes coram iracundis maris fluctibus concionari ſolitus, ut diſceret indè varios auræ popularis fluctus ſpernere, & tumultum contradicentium acquiſitâ firmitate contemperare. Nec mirum, cùm dicendi facundiâ celeberrimi Oratores fateantur ſe, ſi aliquot menſibus ab eo certaminis genere deſtiterint, coram Senatu & populo primùm dicentes tremore percelli, quem poſteà ipſe orationis æſtus valeat ſuperare. Incipiente belli fragore milites concutiuntur toti & palleſcunt, qui poſteà ei aſſueti inter exploſa bellica tormenta indormiunt, & ſomnum proflant toto pectore. Ex his ſatis apparet quantùm indurari, ut ita dicam, poſſit natura, cùm quæ ei inſueta & inſolita erant, ſensìm in familiaritatem vertuntur; niſi illa ita animum perculerint, ut dum totam mentem occupant, ſuſdèque machinam agant, ut in prioris hujuſce Operis parte, abundè diſtinctum confidimus.

Verùm ex illis principiis ingens curationis naſcitur fons in nerveâ debilitate, quatenùs ita regitur corpus ut ſensìm aſſuefactum, vel vehementiſſima quæque ſine periculosâ tenſione perferat, quæ quidem facultas maximi eſt pretii non in ſanandâ ſolùm, ſed & in roborandâ nerveâ compage.

Multas videre eſt fœminas ita prætermodùm debiles, ut ad minimum fragorem convellantur. Harum unam, aliis animo minùs impotentem ſic ſanatam vidi, dum tympanorum pulſantium fragorem è longinquo ad ſe propiùs ſensìm accedere juſſit, ibique vehementiſſimè pulſare. Sensìm enim minùs atque minùs afficiebatur, ita ut ipſa

pulſare tympanum jam non recuſaret. Vicit altera innatum ut ſaltem ipſa credebat horrorem, cùm ſubitò in horridum objectum ſemet præcipitem dedit; aliâ prorsùs methodo, nec periculo vacante. Multis ipsâ ratione duce, præjudicia victa ſunt. Et in omnibus hiſce malum maximum eſt hoſtili impulſui cedere, nec ſeſe ſuperiorem vanis terroribus credere, qui niſi parent imperant, & quos quo temporis puncto deſpexeris, viciſti. Ipſa etiam autoritas publica, legum armata præſidio, ſalutarique terrore animos imbuens, medicinalem hîc opem poteſt afferre, vetans ne vicinæ debilitatis contagia poſſint ſerpere. Hæc agit graviore inflicto metu infamiæ fugiendæ quâ mentes implet, ne cedant illæ præpoſteræ ſibimet ipſis nocendi libertati. Certè hac methodo ingruentes debilitatis nerveæ cauſas ſuperaveris, ſi non corpus & mentem omninò edomuerint, undè non ſolùm vincendo malo, ſed & roborationi fibram quæ nobis nunc expendenda incumbit, ampla præbetur materies.

Debilitatem nativam fibrarum ſenſui atque motui dicatarum, non aliâ ratione deſtrui poſſe vidimus, quàm ſi materies alimenti debitâ copiâ ad illas acceſſerit, applicetur vi debitâ, libero circuitu humorum alluentium fingatur atque depuretur. Debilitati acquiſitæ eædem leges competunt. Sed præstereà debilitati huic noſtræ, causâ devictâ atque ceſſante ſupereſt, aut tonus nimius atque vibratio perſeverans, aut illo penitùs devicto atonia.

Ambo illi unius ſpaſmi effectus licèt omninò inter ſe abludant, imò & directè opponan-

tur, robur addi fibris æquè poſtulant. Tenſio enim in priori caſu à ſolâ debilitate diſtractæ fibræ pendet, in poſteriori verò atona eadem fatiſcit & collabitur. In utroque naturæ vis labaſcit, ergo ab externis auxilia petenda ſunt. Præſidia autem illa vel medicamenta ſunt, vel in eo conſiſtunt, ut vires corporis in alium objectum, aut in varias ſenſationes ita dirigantur, ut deſueſcat jam corpus patere cauſis quæ vibrationem effecêre; adeòque fibræ aliam eamque moderatam concipientes impreſſionem, primam nocivamque illam perdant prorsùs & deleant. De medicamentis huc conducentibus agemus poſteà. Nunc de poſteriori methodo quæ multò potentior eſt, ante aliam tractandum.

Vocatur methodus illa nomine ab ipsâ rei eſſentiâ mutuato, diſtractio atque diverſio, quia divertitur pars ſentiens, atque avocatur ab importuno mali ſenſu.

Ut verò intelligatur quantùm in perſanandâ acquiſitâ debilitate nerveæ fibræ, valeat diſtractio ad objecta quæ ab afficiente causâ diverſa ſint, attendendum eſt ad eos qui impreſſiones in partibus ſentientibus natas ſequuntur phyſicos effectus. Rigeſcit quaſi pars & erethiſmo conſtricta, in vibrationes eò citiores & vehementiores abit, quò cauſa concutiens fortior eſt & pars ipſa magis eximio ſenſu donata. Vibrationes autem illæ licèt in affectam partem primariò agant, poſteà verò in illas quæ communione quâdam illi junguntur, eximiùs reſiliant, tamen ita per omne ſenſitivum corpus diffunduntur, ut Hippocrate ſic notante, debiliores omnes ſenſationes

vividâ præſente ſenſatione obſcurentur, quaſi loco cedant & ad omnia corporis loca undequaque referantur.

Revelluntur quodam modo ſenſationes omnes in objectum unum, undè debilitas cæterarum functionum & nervorum impotentia naſcitur tum ab erethiſmo, tum à ſtupore indè orto. Si porrò huc arte pervenire potueris, ut removeatur ſenſus ille totam machinam obtundens ſimul & infirmans, cauſam debilitatis ſuſtuleris omninò, imò & dum varietati novæ ſenſationis attendit Natura, novoque percellitur impetu, nixus novos exerit, undè robur naſcatur. Id autem duplici tantùm ratione obtineri poſſe, ipſa rei demonſtrat meditatio.

Prima ſenſum acutum aut perpetuâ anxietate intolerandum tollendi methodus eſt, ſi ſenſui illi alter aut vehementior, aut ſaltem efficaciâ æqualis opponatur, quod ut in affectibus animi aliquandò poſſibile eſt, ita in omnibus aliis caſibus periculoſum. Diſcrimen enim præſens alio diſcrimine æquè metuendo tollas; tum verò etiam alternæ illæ vices nimioperè fibrarum tonum diſtrahunt, rupturæ metum inducunt, æquilibrium circuituum ad vitam neceſſariò concurrentium ita prorsùs concutiunt, ut in immodicis illis exceſſibus ſeſe excipientibus mutuò, interemptos fuiſſe homines, vix refellendæ teſtentur hiſtoriæ Policratæ, Philippidis, Diagoræ & aliorum.

Altera verò eſt, ſi uniformi atque conſtanter crucianti apponatur moderatorum ſenſuum perpetuò variata diverſitas. Utut enim levis ſit ad illa attentio, cùm renovetur illa perpetuò, atque

ſibi continuò ſuccedat, ſensìm de tenſione detrahit unicâ, & novo ſenſu ſentientem partem divertit, dum in alia atque alia arrigit. Hinc eſt quòd varietatem in cibo, in victu, in aëre, in exercitiis, demùm in omni vitæ genere Medici commendaverint. Hinc in roborandâ debilitate nerveâ tantùm boni præſtant itinera ſanitatis ratione ſuſcepta, quæ varia gymnaſiorum exercitia apud Antiquos adeò famoſa apud nos indiligentes, & de ſanitate tum noſtrâ tum alienâ minùs ſedulos, ſupplevêre.

Vix enim apud veteres Medicos de itineribus ſanitatis causâ ſuſceptis, mentio unquam injicitur. Imò ſi unquam aliquid ab itineribus commodi acceptum fuit, illud non in ipſius viæ ſucceſſum aut diſtractionem refundebant. Verùm ſi apud Romanos, Plinio atque Galeno teſte, Phtiſici in Ægyptum atque ad Tabias ablegarentur, ibique ad priſtinam revocarentur ſanitatis incolumitatem, id virtuti innatæ aëris atque ſulphurearum quas aut terra Ægypti, Nilo fœcundata, profundit, aut bitumine ſcatens Neapolitana regio remiſcet cum atmoſphærâ, acceptum credebat Galenus, cùm ſuffumigii inſtar aër ille balſamicus pulmonum ſubiret veſiculas. Navigationi enim quod tribuit Plinius, videtur potiùs feciſſe ut Medicorum inſtituta vituperaret, quàm ex aliquâ Naturæ obſervatione. Undè verò altum illud de itineribus ſanitatis causâ ſuſcipiendis apud Veteres ſilentium? Plures certè ad problema illud enodandum cauſæ concurrunt. 1°. Prævertebat debilitatem illam maturus gymnaſiorum uſus. 2°. Idem uſus imminentem ſanabat.

3°. Verò ut multò magis vigebat apud ipſos amor patriæ, ita eam deſeruiſſe piaculum; & præterea vix diffundebantur præterquàm ad vicinas gentes commercia. Hinc dum quatuor hoſpitum, ſive viatorum claſſes, hoſpitio dignos recenſet Plato, eos præcipuâ attentione dignas animadvertit, qui morum atque legum obſervandarum gratiâ peregrinarentur. Altè de illis ſilet qui ſanitatis corroborandæ causâ itinera ſuſciperent. Undè apud Antiquos videtur plus Philoſophiæ promovendæ causâ, quàm ſanitatis reſtituendæ, à patriæ finibus viros illuſtres exulaſſe. Ut autem luculentiùs pateat, quantam ſpem in roborando animo atque corpore gymnaſticæ darent, eaque ſibi indè promitterent, quæ nos itineribus vitâque militari acquirenda concupiſcimus, & vix tamen attingimus, liceat hîc ex Luciano (*Dialog. Anacharſis ſive de gymnaſiis*), breviter excerpere, quæ ridenti varias artuum poſituras aut pancratio aut luctâ ſeſe exercentium, Anacharſi Scythæ ſapientiſſimus Solon exponit: « Non » enim, inquit, aut corona quam pauci conſequuntur, aut honoris ſtudium quod quidem poſito certamine plurimos exſtimulat, præcipua » fuit horum inſtituendorum cauſa. Ubi ſcilicèt » primæ ætatis cura matribus atque nutricibus » concredita eſt, tunc pudor, & robur, & metus » innaſcuntur, tuncque primùm facto jam ſatis » firmo corpore, exemplo ab agricolis mutuato, » qui tantummodò eas dirigunt plantas quibus » jam truncus aliquid validitatis habet, ut rectæ » forteſque creſcant, animi corporiſque exercitationibus firmamus. Variis illis quidem quibus

» omnes corporis artus ſuum cuique nanciſcuntur (ἀκμὴν) faſtigium. »

« Δυσπαθέστερα γάρ καὶ καρτερώτερα τα σώματα γιγνόνται ἀυτοῖς διαπονούμενα. Vides enim quales futuros » armatos neceſſe ſit qui nudi etiam metum hoſtibus injiciant, qui non pigram carnis albamque » molem λυσάρκιαν ἄργον, καὶ λευκὴν ἀσάρκιαν οια γυναίκῶν » σώματα ὑπὸ σκιᾶ μεμαράσμενα, τρεμόντα, ἀθμαινόντα, » laboribus non ferendis obtrudant. Simul verò » pergit idem Solon : Firmatur talibus exercitiis » animus, ut jam pericula prætervideantur, naſcatur intima ſuî fiducia, nec illi ad ſanguinis aſpectum turbantur. »

Legi certè Medicis meretur integra Solonis apud Lucianum Tractatio, qui eò uſque ad animum corroborandum progreditur, ut putet non inutile eſſe ſpectaculum quo feræ imò & bellicæ aves inter ſe certantes oculis exponuntur, cùm incendat illud animos ad rem ſi ſeſe dederit occaſio, ſtrenuè gerendam. Nec certè ad edomandam illam animi imbecillitatem quâ fugimus quæcumque aliquam ſecum periculi ideam important, aliquid magis confert, quàm à teneris imbui atque aſſuefieri, ſi cum corporis exercitiis mentem ſimul grandiorem effecerit Philoſophiæ illud ſtudium, quo exacuitur & amor patriæ, & parentum caritas, & ſtimulus ille qui tacitos remordet, nos non in privatam utilitatem, ſed in publica commoda natos eſſe. Notat ſic Vegetius de Re militari, plures à debilitate ſanatos fuiſſe per bellicos labores, quàm Medicorum auxilio.

Mos verò apud barbaras gentes, Turcas, Perſas, Arabas hodie dum adhuc viget, ut in balneis

adſint miniſtri qui artus fortiter diſtrahant, percutiant, fricent, & contundant paſtæ ad inſtar ſubigendæ, variiſque torqueant poſituris, quam ſine dubio conſuetudinem à parentibus olim artium politiorum cultoribus traxêre. Cùm enim indè ſe & validiores, & exercitiis magis aptos exire experti ſint, morem antiquum tenuit gens bello dedita & inter maximas virtutes corporis fortitudinem reponens. Apud nos verò ſi patriæ fines linquere, peregrinoſque luſtrare non ſiverit mediocris vitæ conditio, omnia exercitiorum genera ad meras deambulationes ſive equitando, ſeu pedeſtri inceſſu, vel demùm lecticis penſilibus, terminantur; avitæ ſcilicèt fortitudinis obliti laborum intolerantes, luxu diffluentes, omnibus Phyſices legibus obſecundaſſe nos credimus, ſi quotidianum cibum quotidiano rependerimus exercitio. Hoc Hippocratico axiomati innixi, (*De victûs ratione ſanorum lib.* 1°.), « cibi labo- » reſque adverſas poteſtates habent, dum labo- » res nati ſunt conſumere ſuperflua, cibi verò » & potus vacuata replere ». Hanc certè proportionem ſervare ad ſalubritatem corporis neceſſe eſt. Sed ad hujus firmitatem adaugendam atque robur reſarciendum, utile eſt & paulò plenioribus cibis uti, & laboribus ſeſe dedere fortioribus; non ita tamen ut aut athleticam ingluviem imitari velimus, aut à civilibus officiis homines laborum inutilium farragine velimus avocare. Verùm ubi eò debilitatis pervenerit quis, ut jam in morbum vertatur, tunc noſtra tota in eo vertitur hygiene ut itinera ſanitatis causâ inſtituantur. Parvulum certè remedium, quod progreſſibus potiùs

potiùs mali obſtet, quàm illum arceat penitùs, & validum afflet robur partibus ut vehementiora Veterum exercitia.

Quæ ſit deambulationi hora aptiſſima quæritur. Optima eſt ex uniformi Sanctorii, Gorteri, Keillii, Dodartii doctrinâ, quæ quinque poſt pleniorem paſtum horas ſequitur. Quo ſcilicèt tempore tenuiora excrementa per inſenſilem perſpirationem avolantia jam eum tenuitatis gradum adepta ſunt, quo nihil niſi impetum exitûs moliuntur, adeòque & ipſa nutritia materies fortiùs applicari ſe ſinit. Sed quanquam multa de deambulatione Veteres, & ſalubri corporis motu dixerint, non ea tamen ſub laborum (πόνων) nomine comprehendi poteſt.

Itinera verò ad roborandum corpus multò plus valent, nec unico tantùm nomine conducunt. Primùm quidem ingenti cœli atque locorum varietate animum occupant atque diſtinent, undè ab effectibus ἀθυμίας avocant. Poſteà verò firmant etiam animum, dum non ſine levi ſaltem diſcrimine peraguntur. Tum variata ſemper corporis ſuccuſſio perpetuaque agitatio, nunc volutans, nunc quatiens, nunc varias æquilibrii formas corpori inducens, unico inhærere tono fibras impedit, firmat adeò & materiæ nutritiæ fortiùs applicandæ, altiùs inſinuandæ accommodatas reddit. Nullum enim eſt iter quod non ex quovis horum motuum genere conflètur.

Alia ſunt etiam commoda quæ ex itineribus pendent; victus nunquam uniformis, ſæpiùs ut properantibus ſobrius imò durus. Tum & renovati ſemper aëris beneficia non minima ſunt,

cùm præcipuè campeſtris ille nunc inter clivos atque colles ſpiretur, nunc in imis convallibus magis denſus atque elaſticus afflétur.

Quantùm enim ad reſarciendas atque reparandas vires valeat atmoſphæra novis perpetuò fœta vivificis partibus, conſtans docet obſervatio; ſive lateat in aëre vitalis aura, ſpiritus ipſos reficiens, ſive ipſe magis elaſticus altiùs inſinuet ſeſe, & ipſarum ſolidarum partium ſtructuram, quaſi pars elementaris ſubeat. Nemo eſt qui non ſe & leviorem & alacriorem in aëre agreſti ſentiat, graviorem contrà in fumoſis urbibus in quibus congeſta ſimul animalia aërem corrumpunt, & reſpirationi inhabilem reddunt, undè ruri meliùs & pleniùs explicantur pulmones, circuitus facilior, & ipſa uberior inutilium perſpiratio. Hinc robuſtiùs educantur infantes in agreſtibus locis, quàm in urbe. Hinc ruſtica progenies urbanis toroſitate corporis adeò differt. Non mirum ergo ſi ad infantilem præcavendam debilitatem, corrigendamque illam quæ à paternâ pendet infirmitate, nutrices eſſe ruri eligendas, ruri ablegandas, victuque ruſtico alendas, imò & firmandas laboribus, omnes Medici conclament; ut aëris, ventorum, victûs benè concocti beneficio, ſtaminum primigeniorum infirmitas emendetur. Quibus quidem emolumentis fruuntur, qui à loco in locum devecti, cœlum ſimul & animum immutant.

Patet indè ſua etiam ob valetudinem viatoribus ſervanda eſſe præcepta. Si enim robuſto & exercitato iter ſuſcipiendum ſit & in rhedâ penſili exequatur ille exercitium itineris, genus eſt

otii quoddam, ſi ad vitam præteritam conferatur. Contrà labor ingens exurgit debili, inaſſueto, fœminæ, qui totam penitùs machinam commutet, ita ut rarum non ſit admodùm ephemeram febrem indè naſci, quiete ſolâ, ut Hippocrates monet, reparabilem. Ut autem ars in exercitio ſemper corporis vires intuetur, mollique cunarum agitatione infantes exercet, luctâ atque pancratio, aut pugilatu curſuve adultos, ſic celeritatem, delectum vehiculorum, victûs moderationem, ætati, ſexui, familiaritati vel conſuetudini horum exercitiorum confert atque comparat. Stragulis incumbere ad exercitium Phtiſicos volebat Galenus, indè lentâ agitatione ſuccedit navigatio in fluminum alveo placido atque leniter decurrente, poſteà in mari. Debiliores hiſce lenibus agitationibus diſcunt poſteà per ſtrata viarum carpentis lecticiſque lento paſſu vehi, poſteà abripiuntur curruum velocitate. Si vires auctæ indè fuerint, progrediuntur ad optimam illam equitationis exercitationem, quò brevì apti fiunt ventos curſu prævertere & ad omnium motuum genera ſeſe firmos præſtare. Nulla certè alia methodus tam celeriter, tam funditùs corpus immutat, ſaltem ex iis quæ nunc in uſu ſunt. Argumentum inſignis illius mutationis præbet quæ adeò ſtomachum ſubvertit minùs aſſuetorum, navigatio, undè concludere licet quòd etſi minùs violenta ſit quæ in cæteris corporis organis inducitur mutatio, non minores forſan obtinet effectus, quibus vacuantur excrementa, tenuatur verò magis & firmiùs applicatur materies nutritia. Nonne ubi

inſuetus equum aſcendit, ipſi ab equo deſcendenti omnes tremere videas artus corporis, & dolore ad oſſa uſque gravi membra quaſi rumpi. Ingens certè inductæ mutationis in hærentiâ liquidi demonſtratio.

Ipſa verò locorum varietas, oſcillationes etiam varias pro aſpectu cœli vario inducit, ipſe victus languentes fibras exſtimulat non idem à mane ad veſperam, nec forſan aliud eſt pretium, in patrio illo atque natali aëre ad ſuſcitandas vires exhauſtas adeò celebrato, quàm quod quæritur hinc ex animi conſolatione, quæ à propinquis carioribus quæritur, illinc ex mutatione victûs, qui fibris ab earum origine magis familiaris, earum oſcillationi magis concors eſt.

Certè ſi experimenta & obſervationes conſulueris, conſentit omninò cum hucuſque adhibitis rationibus experientia. Quotieſcumque enim ſuadentur, debilitatis loginqua itinera, ſi nullum adſit in interiori viſcerum ſubſtantiâ ipſam exedens vitium, quod emendare nemo poteſt; rarum eſt indè non ſolummodò ſanatum non redire viatorem, ſed & robuſtiorem etiam & jam ſpernendis periculis idoneum.

Unus nobis ante alios teſtis aderit, Naturæ ſanctiſſimus myſtes Sydenhamus, qui tam multa de equitationis efficaciâ ſcripſit, ut aliquid præceptis ejus addi poſſe deſperandum ſit, cui omnes ſuffragantur Britanni, gens ad obſervationem nata, & quæ itinera tum ad patriæ emolumentum, tum ad ſanitatis reſtitutionem adeò ſectatur.

Præcipuus certè videtur in debilitatis nerveæ curatione pendere ſucceſſus à rectâ rerum non-naturalium adminiſtratione, ſine quibus vix ultrà progredi conceditur. Quæcumque enim fuerit cauſa quæ illam intulerit, facultatem potiùs corporis læſit, quàm functionem; undè non in violentâ medicamentorum actione præſidium illi quærendum eſt, ſed in illis à quibus orta eſt læſio, moderandis atque regendis.

Verumtamen datis medicamentis ſæpiùs evenit ut vel protinùs pro debilitate nerveâ robur atque alacritas ſuccedant, aliquando ſensìm ſine ſenſu quaſi robur inſinuetur. Quod protinùs exarſit, promptè reſtinguitur; quod verò firmiùs ſeſe inſinuavit, verè durabile eſt. Prima palliativa medicamenta & ſunt & dicuntur, altera verò ipſum robur perditum videntur reddere, partibus additis molem fibrarum ad ſe adducentibus.

Primam claſſem conſtituent ea quæ ſtimulo leni in fibras agunt, eiſque tenſionem conciliant uniformem, prorsùs adverſam irregulari & abnormi; ea agunt eâdem ratione quâ febris, quæ ſpaſmis prorsùs adverſatur, quatenùs univerſalem inducit erethiſmum. Alteram verò conſtituunt quæ fibras indurant, ad ſeſe invicem approximant, & mortuorum etiam animalium coria, novâ firmiorique texturâ donant. Prætereà verò hîc etiam numerari debent quæ magnam materiæ nutritiæ vim ad fibras debiliores important, ſine ingenti virium concoctricium expensâ, qualia ſunt quæ inſtaurantia, reparantia, cardiaca, nutrientia vocantur.

Inter præcipua prioris claſſis auxilia vinum recenſetur, fermentatione ſive ex uvis, ſixe ex fructibus, ſive etiam ex Cerere elicitum. Illud verò inter potus à Naturâ conceſſos recenſetur, nec immeritò, cùm ita nati ſint homines, ut in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumant. Sed verè medicamenti titulo debet gaudere.

Hujus autem omnis actio in tono fibrarum aucto, & rarefactione liquidis inductâ conſiſtit. Hi autem effectus ubi aliquod temporis ſpatium expleverint, deſinunt in atoniam & relaxationem, quam & aſſiduus potorum tremor & ipſa crurum vacillatio ſatis indicant.

Verumtamen fatendum eſt, laxatis atque diſtractis præ ſummâ defatigatione fibris ingens ab ipſo ſubſidium vel antiquiſſimis temporibus fuiſſe quæſitum, Homero teſte. Si enim ad ſinceræ moderationis leges ſumatur, nec ùltrà progredi ſinat libido perverſa, non tantùm quatenùs ſpiritu fœtum agit, ſed etiam parte extractivâ elaboratiſſimâ, oleoque tenuiſſimo dives, in ultimos vaſorum mæandros inſinuat ſeſe, roborranteſque particulas materiæ nutritiæ miſcet & adjungit. Nec nocuerit tunc fibrillas leni ſtimulo ad actionem exſuſcitaſſe, quo & vaſa alacriùs nutritionem accipiant, & ſibi arctiùs apprimant. Hinc in generoſo vino duplicem effectum admittere fas erit. Debilitatis nerveæ palliativum alterum, alterum etiam verè ſanativum. Primum à ſpirituosâ atque mobili parte pendentem. Secundum verò ab extractivâ nutritiâ verè corroborantem. Prætereà verò in pluribus vinis adeſt terrea pars reverâ ſtrin-

gens, quâ fibræ vaſorum ad ſe in intimiorem unionem adducuntur. Hæc diſtractis à vehementi tenſione fibris novas vires addit. Nec tamen remedium illud omnibus æquè competit. Nocet fibris à Naturâ gracilibus, inſidias ſtruit ægris qui ab affectu animi laborant. Sed ſaltem dulce lenimen fatigatis præ nimiâ diſtractione fibris affert. Undè omnibus ferè debilitate nerveâ laborantibus & Melancholicis vinum in pretio eſt, & non rarò videmus vel maximè delicatas mulieres eo ſe ingurgitare, undè ebrioſæ fiunt, & dulcis veneni inſidiis tandem jugulantur; quod non ſemel accidiſſe omnes uno ore Medici fatebuntur. Vinum verò poſt aliquod tempus debilius reperitur; jam ſtimulo aſſuetæ fibræ, illud minùs ſentiunt, undè ad liquores mero ſpiritu conſtantes miſeri progrediuntur, ſanitatem imò & vitam levi tranſitorioque levamine paſciſcentes.

Aſtringentia terrea ſecundam hujuſce curationis paginam implent. Medicamenta quidem hæc in curandâ debilitate nativâ prorsùs exulare juſſimus, cùm in illo caſu fibris ſolâ ciborum adminiſtratione, atque ad labores collatione, robur deficiens quærendum eſſet, nocerentque huic operi, quæ fibras arctando, materiem intùs adigi & retineri prohiberent. Sed cùm ſæpè debilitas acquiſita à fibrarum diſtractione repetenda ſit, pendeat etiam aliquandò ab atoniâ, certè ingenti ſucceſſu poſſunt in noſtrâ debilitate in uſum revocari, modò ſtomachum atque inteſtina ſuperare poſſint; quod fiet, ſi non deligantur illa ex craſſiorum genere, quæ ideò terrea ſunt, quia

conflantur ex principiis rudibus & nondum tenuatis, ſeu, ut cum Veteribus loquar, craſſarum partium.

Tenuatam autem terram, nec tamen ſtipticâ vi deſtitutam, in iis reperire eſt ſubſtantiis, quæ à calidioribus locis ut plurimùm advectæ cardiacam ſimul atque roborantem vim, hinc oleo copioſo debent acceptam, illinc verò adſtringentem, terreæ parti quæ ab ipſo oleo defenditur, quominùs cum ſale unionem contrahat. Reperitur etiam facultas eadem in eo corporum genere, quæ cùm excitato fervore, in acido ſoluta fuerint, ſummam tenuitatem adipiſcuntur, eamque ab eo per artem præcipitata retinent. Ea omnia ſi moderatè ſumantur, aliquatenùs fibras nerveas corrugant, nec ullam fluidis coagulationem indunt. Quæ quidem cùm eodem virtutis genere polleant, gradu tantùm atque admixtis inter ſe diſcrepant.

Inter indigenas plantas, in remiſſiore gradu ſtringenti virtute donantur, omnes quas vulgò vulnerarias, quaſi labiis vulnerum adſtringendis utiles, vocant. Bugula, Sanicula, Virga aurea, Poligonatum, Brunella, Pyrola, Conſolida arvenſis, Bellis, aliæque plures quibus Autorum Scripta implentur, radices Helenii, Anacampſerotis, Lapathi, Rapontici, &c. quas hîc enumerare non ſatagemus. Modò enim de indicatione conſtet, de nominibus plantarum recenſendis parùm curabimus. Plus valent niſi ſæpè eas aromatica pars ſupereminens periculoſas reddat, ex quæ aromaticæ ſunt, ut ſunt flores Tiliæ, Chamæmeli, folia Menthæ, Menthaſtri, Salviæ, Abſynthii,

Meliſſæ, &c. Imò ſi rem altiùs inquiramus, forſan non alio titulo agunt, ea quæ dicuntur antiſpaſmodica, niſi quòd dum levi, homotonoque ſtimulo fibras exſtimulant, roboranti etiam atque adſtringente virtute donantur, quâ illas & ſtrictiores ſimul & firmiores reddunt; ſunt certè omnia illa, ut viſcus quernus, non levi amarore, ſimul cum adſtringenti terreo ſapore prædita. Verùm de his alibi dicemus.

Eminent verò roborante ſimul atque leviter adſtringente vi, gummi plura aut reſinoſa apud Indos quæſita, tenuiſſimis prædita partibus quas aromatico grato ſapore & odore teſtantur. Talia ſunt Maſtiche, Olibanum, Succus Catechu, Terra Japonica dictum, Hypociſtis, Myrrha, Balſama nativa, aliaque hujuſmodi quæ ſtringunt atque roborant diſtractas aut æſtu, aut labore nimio, aut gravante cacochymiæ pondere, fibrillas, adeòque quæ non in omni affectione nerveâ competunt; ſed tamen aliquandò reſarciendæ debilitati nerveæ conferre poſſunt.

Inter mineralia verò non pauca titulo medicamentorum jactantur, quaſi debilitatem nerveam in integrum reſtituere queant, ſine ullo alio titulo, quàm quæ ſuppeditavit inter labores chymicos natus enthuſiaſmus.

Dubium eſt an quæ eo inter mineralia titulo gaudent, primas poſſint vias ſuperare. Nullam ſaltem ſervant, nec in ſalibus, nec in oleis, imò nec in ipsâ terrâ à mineralibus elicitâ cum corporibus animalibus analogiam. Salia ſtimulant & aperiunt, immutata verò ex corpore exeunt. Mineralia olea inflammant, ſi quæ ſunt in hoc

regno quæ ad vegetabilia non referantur. Originem pleraque vegetabilem ſentiunt, qualia ex ſuccino & bituminibus operoſa ars educit. Terra verò, licèt ſimplicior & ad vegetale principium accedens, notam habet hucuſque indelebilem, quâ fit ut addito phlogiſto metalli formam depoſitam induat, nec in officinâ naturali niſi poſt multas tenuantis cauſæ operationes in animalem vertitur. Antihectica igitur Poterii, facultates illæ quæ ab Autoribus plurimis Antimonio tribuuntur, ut ab ejus uſu corpora evadant robuſtiora, totidem nobis figmenta videbuntur, donec teſſeram iis experientia contulerit quam ratio concedere non poteſt. Adeòque ne vanam videamur operam ludere in iis quæ nullum poſſunt ægrotantibus ſubſidium afferre, de unico tantùm loquemur, quem ſua commendat virtus quâ videtur cum nerveâ debilitate adversâ fronte pugnare.

Ferrum apud Chymicos Martis nomine inſignitum, inter omnia metalla maximæ in ſocietate humanâ utilitatis & ad uſus vitæ maximè comparatum, undequaque per univerſum telluris ambitum diffunditur. Nec neceſſarium eſt ut exquiratur illud, intimiora terræ viſcera perfodere, ſæpè ipſam ejus ſuperficiem occupat, ſuoque colore, ſaporeque agnoſci ſe ſinit. Nulla eſt tellus quæ ferrum chymicè tractata ſuppeditare non poſſit; imò & intra vegetabilium vaſa tenuiſſima, tenuior ſerpit ferrea pars, nec minimam confert, in eorum exaltandis coloribus iiſque variandis ſymbolum. Nunc enim cum acido viriдeſcit, nunc cum terrâ flaveſcit ochri ſpecie, nunc cum phlogiſti quadam parte cæruleum ap-

paret ferrum, nigreſcit ſi ſemi ſolutum pendet in fluido, rubeſcit cum oleis remixtum, & quos in Naturæ officinâ colores ferrum, fucatis corporibus, videtur inducere, Ars Naturæ imitatrix æmulatur, ne quid aut ad utilitatem, aut ad luxum huic metallo deſit.

Nec corporibus animalibus extraneum dici poteſt; cùm nulli ſint animalium cineres ex quibus non extrahatur, cùm ſanguis eorum adeò ferro ſcateat, ut in cæruleum Boruſſicum totum prorsùs ferreum Arte vertatur. Imò obſervata Recentiorum docent, quòd quò robuſtius eſt animal, eò plus partibus rubris ſcateat ejus ſanguis. Quò verò rubedine intenſiori eniteſcit, eò plus etiam ferri ex eo extrahitur, ita ut Naturæ ſagaciſſimus Myſta Hallerus rubedinem ſanguinis ferro prorsùs adſcribere videatur, mulieresque ideò cachecticas pronuntiet, quia vix aliquid ferri intra eorum cruorem rubedine deſtitutum reperiatur.

Verùm non fluida ſolùm animalium, ferreum aliquid habent, ſolidis adhæret illud, ut facilè evincere poſſis ex eorum combuſtione. Forſan in glutinis nutritii conflatione aliquid confert. Altè ſaltem ad illud uſque Naturæ penetrale inſinuat ſeſe metallum penetrabile, undè apparet eſſe illius in debilitate nerveâ curandâ non minimum momentum, cùm minùs in debilibus, magis in robuſtis reperiatur.

Et certè adeò diverſus eſt ſtatus in quo ferrum reperitur variis in quibus invenitur locis, ut jure meritòque pro univerſali habeatur actote, inter Naturæ principia ponendum atque ſa-

crandum. Nunc phlogiſto ſeu ſubtiliſſimâ illa inflammabili parte donatum, quâ metalla omnia formam atque dotes accipiunt, ſeſe fulgens prodit, nunc rigidum, nunc elaſticum. Cùm aliis corporibus proprietates novas impertiat, novas etiam ab iis mutuatur. Nunc ochræ nomine vix aliquid habet metallici. Nunc etiam aëri ſubtiliſſimo remixtum ſpiritûs ad inſtar nares ferit, in aliquibus aquis mineralibus, quod quidem volatile à ferri ſubtiliſſimis particulis pendere eò plus crediderim, quòd vini partes etiam eâdem volatilitate donet, parteſque ab eo aërias explicet, & in apertum aëra cum impetu trudat. Hinc cum acido quocumque, vitriolum, tartarus martialis evadit, cum phlogiſto chalybs, cum aquâ, ſalis ad inſtar ſolutum liquor evadit, ſolius olei craſſioris conſortium reſpuens ſaltem contactum fugiens, tot rubiginis formas fingit, quot ipſi matrices offeruntur. Quid quòd ipſi ſoli id competat, quòd quaſi analyſi chymicæ pateat, merumque oleum aliquandò ab ipſo eliciatur, teſtibus in hac rerum expoſitione clariſſimis Stahlio, Geoffræo, Lemeryoque filio, qui poſterior in Actis Pariſienſibus circa hujus naturam atque proprietates maximam lucem indefeſſis laboribus attulit.

Ex his conſtat, duplici potiſſimùm partium genere ferrum conſtare, quarum aliæ merè terreæ ſunt, terrâ evidenter vitreſcibili conſtantes, quæque forſan aliquâ vitriolicâ particulâ contextæ, ſtringunt vaſa fibraſque quibus applicantur, aliæ verò ſulphureâ, ſive etiam mavis, oleosâ parte conflatæ ſunt, undè etiam calefacto ferro aliquis odor bronchia exaſperans accedit: hæ

verò roborantes ſunt & tonicæ, videnturque ad ſanguinis ſtructuram conferre, & ipſi quaſi animam quandam afflare. Indè fit ut ſi à nimiâ ſtricturâ, indèque naſcendâ irritatione poſſit immune ſervari ferrum, nulla in rerum naturâ magis roborans, magis debilitati adverſa inveniri poſſit ſubſtantia.

Multæ tamen ſunt cauſæ, quæ prohibent quominùs debilitati nerveæ ferrum conducat. Gracilitati fibrarum vix prodeſſe poteſt, quatenùs dum illas accurtat, tenſioni nocet, humorem exedentem pejorat nedum corrigat, tenſionem auget; adeòque plus inducit de metu rupturæ, quàm veri atque ſolidi roboris conciliat, undè adeò Phtiſicis nocere annotatur. Sed iis ſummoperè conducit, qui à circulationis defectu materiâ defraudantur nutritiâ, quales ſunt illi quibus debilitati jungitur cachexia, quòd adeò frequenter junioribus fæminis nondum aut malè menſtruatis accidit, iiſque quibus ſpaſmus ex ipſo atoniæ ſinu naſcitur, quod eſſe frequentiſſimum & quâ ratione, alibi ſatis evictum in priore hujus parte confidimus. In ſylvam ligna non inſaniùs feramus, quàm ſi de ſeligendis ejus præparatis, de adminiſtrandi ferrum methodo longiùs loquamur. Cùm tota practicorum Medicorum cohors de eâ re adeò fusè egerit; variæque ejus præparationes à variis variè accipiantur.

Tot porrò atque tam variis de cauſis debilitas illa nervea intra corpus humanum naſcitur, ut ſatis indè pateat quòd admittenda medicamina cauſis reſponſare debeant; nec minùs indè Sapienti concludere licebit ipſam debilitatem illam,

ſi ſeorsìm à cauſis ſumatur, eſſe præſertim rectâ ſex rerum non-naturalium adminiſtratione perſanandam, in quo quidem præceptoribus noſtris veteribus Medicis atque Philoſophis, eſſe nos multò inferiores ultrò confitebimur; imò abjicienda eſt ſpes ut illos unquam æquare poſſimus. Quanquam ingentes indè fructus omnis uno ore Antiquitas expectandos cenſuerit, & ipſe Lucianus, dum Anacharſim Scytham atque Solonem de gymnaſticâ colloquentes inducit, priorem ſolis impatientem ad umbram confugiſſe notat, alterum verò de ejus effectibus ne minimùm quidem aut anxium, aut ſollicitum pingit. Supereſt ut aliquid ultrà dicamus de variarum partium debilitate peculiari, quatenùs ad inducendam Melancholiam minùs quidem impenditur univerſali de quâ egimus, ſed tamen & in procreando malo conferre poteſt, & in eo curando plurimi etiam momenti eſſe debet.

APPENDIX.

De Debilitatis nerveæ in variis partibus deliteſcentis curatione.

Ex aſſiduâ legum quibus animalium natura regitur meditatione, reparationem atque robur à collatis ad alimenta corporis viribus, pendere deduxerat Hippocrates, undè axiomata illa nata, quibus omnem hygienem vir ſagaciſſimus ſuperſtruit (*a*) : « Qui comedit, ſanus vivere non po- » teſt niſi laboret « ; vel breviùs ad Græcorum facundiam accommodatè ; ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Hoc fundamento tota Artis gymnaſticæ Medicinalis theoria nititur, cui rectè & ad leges artis moderatæ tantùm fiduciæ tribuerunt, ut eâ ſolâ tum ad conſervanda in ſtatu ſano corpora, tum ad ea roboranda veteres Græci atque Romani uſi fuerint.

Aſſuetudo verò laborum, dictante ſic eodem Principe Medicinæ (*b*), robur eſt & ipſa quoddam. Ecquid enim aliud eſt robuſtum eſſe, quàm ea firmiter ferre, quibus imbecilliores commoventur atque conturbantur ? Et indè otiandi conſuetudinem pernicioſam Celſus (*c*) pronuntiat, quia poteſt incidere laboris neceſſitas. Verùm ſi omnia æquè omnibus competerent, jam deeſſet artificium, ſed præſcriptos uniuſcujuſque

(*a*) Lib. I. de Diætâ. (*b*) 2. Aphor. 49. 50.
(*c*) Lib. I. cap. 3.

inſtrumenti facultatibus limites non tranſgredi; ſed in illis ita immorari, ut ſuum cuique tribuatur, id artem conſtituit. Undè in gymnaſtice duplex præceptorum genus diſtinguendum eſt. Alia enim univerſalia ſunt, & ad omnes caſus æquè pertinent, nec ullam deprecantur exceptionem. Alia aliquos tantùm caſus comprehendunt, extra quos jam nullius ſunt utilitatis.

De prioribus jam anteà actum, quæ cùm artis fundamentum conſtituant, invariabilia ſunt, ad omnia exercitiorum genera æquè accommodantur, ſive ad unius partis emolumentum, ſive in corporis totius commoda inſtituuntur; & ad omnes æquè populos, variaque regionum diſcrimina debent pertinere.

Sic qui ſani & juvenes exercebantur (*a*), non ii priùs addicebantur paleſtræ quàm ubi è lotii inſpectione concoctio alimentorum facta judicabatur (*b*). Monuerat enim Galenus (*c*) quòd quemadmodùm ad ſanitatem conducit ante cibum peracta exercitatio, ita quivis motus poſt cibum perniciofus foret. Scilicèt cruda ab exercitio validiùs apprimi, atque in carnes potentiùs attrahi pronuntiat. Tum verò depoſitis, ſi fieri poſſet, craſſioribus excrementis, ſeſe exuebant in apodyterio, leviter perfricabantur ad artuum flexibilitatem atque agilitatem adaugendam, ungebantur oleo dulci, manibus undequaque prementibus, artificioſo ſæpè poppyſmo. Ab unctione varia ſuadebatur pro varietate temperiei exercitatio, aquâ poſt levem quietem ſtrigilibus, vel

(*a*) V. Aetium, Lib. I. ſerm. 3. cap. 2.
(*b*) Celſ. Lib. I. cap. 2. (*c*) Lib. de εὐχύμοις.

aſperioribus

aſperioribus pannis ſtrigmenta à corpore eradebant, rursùſque aliquandò frictione ἀποθεραπευτικῇ utebantur, nunc ad ſolem, nunc ad ignem lucidum, indèque ad balneorum varia ſtadia deferebantur, omnia demùm per cibum terminari ſolitum erat.

A tardioribus verò & remiſſioribus motibus incipientes ad vehementiores ſensìm devehebantur, rationem ſemper non utilitatis ſolùm, ſed & conſuetudinis habentes, prudentiſſimo certè ſi ad leges Phyſices alibi pleniùs elucidatas attendas, inſtituto.

Per aprica verò loca (*a*), aperta ſub dio, ventis ſalubribus perflata, in antiquiori & rudiori palæſtrâ ad ripas fluminum ludos hoſce inſtituebant; ambulationis, curſûs, pugilatûs, pancratii, vices ſeligebant. De iis jam ſatìs ad finem propoſitum diſſeruimus, & ſi ampliori diſquiſitione opus fuerit, omnium Autorum loco, filum regat unus luculentiſſimus de Re gymnaſticâ Autor Hieronymus Mercurialis.

Genera verò ipſa exercitationum varia potiſſimùm ideò ſelecta fuêre, ut ſi quæ pars ſingulari debilitate laboraret, ipſi apponeretur Medicina; ſicque melancholicæ intemperiei fugandæ neceſſarium, inter omnes partes ſervaretur æquilibrium, ſeu potiùs, ut magis ad Naturæ normam loquamur, mutuus & reciprocus variarum in ſemet nitentium partium antagoniſmus.

Huc igitur methodum Antiquorum exponentibus, tres præcipuè exercitationis ſpecies ab iis

(*a*) Celſ. Lib. I. cap. 7.

commendatæ, notandæ ſunt (*a*). Παρασκευαστικὴ altera, ſeu præparatoria meatus cogendi atque obſtipandi, ne robur inter labores diffflueret, vires habuit. Frictione molli, oleo, pulveris aſperſione conſtabat. Altera, exercitatio ſimpliciter vocabatur. Tertia, ſeu ἀποθεραπευτικὴ, laboribus exuſta emollire, fracta reſarcire, relaxando inſtrumenta, purgare nata erat, quo ſenſu balneum poſt exercitationes admiſſum ἀποθεραπευτικον dici poterat. Patet ex his in ſolâ exercitatione propriè dictâ, differentias inveniri poſſe.

Hinc ſaltatio, cùm brachiorum geſticulatione apud Hippocratem (*b*) χειρονομίας nomine ad carnes ſursùm attrahendas, id eſt, ad brachia roboranda adhibitam legimus; quo nomine Cubiſtica dicta apud Veteres commendatur. In genere Aretæus (*c*) ſaltationem trementibus atque vertiginoſis commendat. Ea verò utut apud Romanos infamis, teſte Tullio, videtur ad ſanitatem adhibita, ſi non harmonica illa, ὀρχήστιναν dicebant, ut laſciviæ ſignum, adminiſtraretur.

Pilâ, folliculo luſorio citatam alvum atque inteſtina debilia firmari, autor eſt Celſus; ſed id præſtare æqualiter videtur quodcumque exercitium, quod ad ſudorem, aut ſaltem perſpirationis uberioris beneficia diſponens, acres diſtillationes ab inteſtinis avertit, adeòque ſolidiorem præſtat nutritionem. Sed iis præſertim exercitiis firmantur latera, dorſum, brachia, nec lumbi minùs. Ii enim quaſi centrum fiunt quo tota arri-

(*a*) Gal. de ſanitate tuendâ, Lib. II. c. 3.
(*b*) De Diætâ. = Juvenal. Sat. VI.
(*c*) Lib. I. Curat. Chronic. Lib. II. & V.

gitur, & fixa ſtat & reſiſtens machina. Quo præſertim exercitii genere delectatum ferunt Auguſtum, teſte Suetonio in ejus Vitâ, cap. 8. Ad caput verò firmandum eadem Celſus videtur ſuaſiſſe.

Lucta verò, ſive recta fuerit illa, ſive pancratium, (*a*) ſive volutatoria ſuam ſervat laudem. Sed rectam præcipuè ad caput roborandum Cælius Aurelianus commendavit, ſtomachum firmare, animamque præſertim ab aſthmatis minis liberare (*b*), extenſam magis reddere & ampliorem, idem Autor eſt. In quo quidem ei lubenter aſſenſerim, cùm fixum illa diaphragma coſtaſque erectas exigat, ita ut novum toti corpori laboranti fulcrum fiat atque centrum immobile. Et vehemens illud exercitationis genus à Galeno per hyemem tantùm commendatum eò magis ad nos pertinet, quòd illum Theodorus Priſcianus ad Melancholiam fugandam imperet (*c*); quâ voce nerveam certè intelligendam eſſe Melancholiam patet, cùm denſo atque ſpiſſo Melancholiæ humoralis tenori, nocere apprimè nata ſit. Sed de his omnibus rectè differentem Anthyllum (*d*) præ aliis lege, & præcepta firmantem experimentorum teſſerâ.

Ab hiſce vehementibus ad moderata quæque progredi fas ſit. Curſus ſæpè in ſplenis vitio commendabatur, teſte Aetio. Rectum, obliquum, remiſſum, vehementem pro re natâ variè ſuadebant Veteres, & aliquid ibi rei præjudicatæ latere,

(*a*) Lib. I. Chronic. cap. 1.
(*b*) Lib. III. Chronic. cap. 2. (*c*) Lib. II. cap. 2.
(*d*) Oribaſ. Collect. Lib. VI. cap. 32.

ſubodorari licet, cùm rectum Aretæus in vertiginis curatione commendet, damnet in tranſverſas partes actum. Quid quòd eum Celſus in thoracis & pulmonum debilitate laudare non dubitat (*a*). Spaſmum cynicum tollere credunt Veteres, & in colicis doloribus quæ ſæpiùs ſpaſmodæi ſunt, curſus præſcribi voluit Cælius Aurelianus. Si curſus nimiùm fatigat, deambulatione ſolâ utebantur. Ab eâ capite infirmos juvari ſcribit Caſſius Iatroſophiſta. Sed ad robùr conciliandum parùm valet illa; niſi compoſita ſit ut illa eſt apud Suetonium (*b*) prædicata Auguſti deambulatio, quâ in extremis ſpatiis ſubſultìm decurrebat quaſi ſic infirmitati coxendicum, femoris & crurum mederetur; quæ methodus per ſaltus, poſituras corporis, halteres medicandi Boerhaavio non incognita fuit, & eam à quibuſdam ejuſdem diſcipulis uſurpatam non ſine aliquâ accepti indè beneficii laude nuper ipſi vidimus. Hinc quibuſdam ad roborandos infirmiores lumbos, fodere, pavimentum ceratum incerare & fricare, ſtare per aliquot horas erectum, ſpiritum cohibere, pondera ſublevare, diſco cedentem aëra petere, ligna cuneis incidere, ſerrâ dividere, nunc motui brachiorum, nunc crurum muſculis roborandis, nunc dilatandæ arctioris thoracis anguſtiæ contulit; de quorum omnium exercitiorum facultatibus conſulendus eſt antè alios Mercurialis (*c*). Voce clarâ per aliquot horas legere atque declamare, Celſo judice, iis qui caput habebant infirmum ſuadebatur, &

(*a*) Lib. III. cap. 25. (*b*) Vita Auguſti, cap. 83.
(*c*) De Re gymn. Lib. V. cap. 6.

certè cùm nulla exercitatio adeò fauces eluat, purget, emungat, ſalivaleſque ductus vacuet ſuperfluo pituitæ redundantis gravamine, capiti oppreſſo mederi illa debet. Verùm quantùm, ſi moderatè ſumatur illa, thoracis capacitatem augeat, adeòque pulmones & ab infarctibus & ab infirmitate ſublevet, teſtes appello Oratores quoſcumque, quos ipſa ad loquendum habiliores & firmiores facit aſſuetudo. Cæterùm verò exercitationis illius non ſine labore ſumptæ pretium ingens fuit apud Antiquos.

Nec verò dum Veterum luſtramus attentè veſtigia, ea nobis mens eſt ut quaſi aſſentatores dum annos numeramus, vetuſtati nos in ſervitutem redigamus. Hinc inutile eſt altiùs inquirere quid ſit ἀκροχειριζέσαι Hippocrati, ἐκπλεθρίζειν Galeno, & cætera multa quæ ad mores noſtros non pertinent. Satis ſit ſi ex his illud deduxerimus, hac eos fuiſſe in opinione quòd muſculos ad partem quamcumque directos ſi ita exercueris, ut moderatus eorum labor in aſſuetudinem vertatur, certò certiùs roboraveris. Quod quidem ex notis circulationis legibus, experientiâ ſuffragante, deducitur. Ut in eo niſi forſan nimiâ ſedulitate nullatenùs peccaſſe Veteres confiteri neceſſe ſit.

Nunc ad varias partes roborandas quæ ſit Recentiorum methodus, paucis exequamur.

Si aliquam in infantiâ partem pravis malè fulciri ligamentis deprehendamus, idque non ab aliquo pendere aut lymphæ aut ſanguinis, quod ſibi medicationem ſingularem expetat, vitio animadvertamus, ſed à ſolâ debilitate repetendum; tunc ad noſtram qualemcumque gymnaſticeṁ

confugimus. Solemne eſt, ut ſaltationis ſic dictæ præceptoribus tradamus illos, nec immeritò. Hi enim aſſiduâ atque repetitâ muſculorum poſiturâ, robur aliquod partibus defectum minitantibus addunt, celantque quod emendare non poſſunt. Nec in hac exercitatione, quidquid ſit, hiſtrionium eſt. Vidi ipſe puellulam, cui jam flecti cœperat hinc indè dorſi ſpina, ſcapulæque inæqualiter locari, ſolâ muſculorum poſiturâ, aſſiduâ & quotidianâ ſanatam, dum per bihorium quotidiè cum præceptore in hac poſiturâ, ad uſque animi deliquium inſudaret. Alium novi gentis nobiliſſimæ hæredem unicum, quem innata debilitas ſine ullo oſſium aut ligamentorum vitio præter debilitatem, ſubitò diſtorſerat, eo pariter artificio brevì reſtitutum. Quod quidem cùm in ſumma commoda poſſit inſtitui ſatis intelligere ſinit, quantùm aliquandò malâ operâ perverti poſſit, adeòque quantùm interſit Medicinæ, ut qui talia ſuſcipiunt miniſteria, aut muſculorum actionem ſimultaneam arte Winſlowianâ expenderint, aut ſaltem intelligentibus ſe dociles præbeant; ſed hæc ad Orthopædiam potiùs quàm Pathologiam pertinent, quanquam fatendum ſit nullum alium in Orthopædiâ ſcopum intuitum fuiſſe, prærer corporis robur & ornamentum.

Nec tamen mihi temperare poſſum quin hîc ad corroborandos artus, præſertim inferiores, quanta ſit artis gladiatoriæ efficacia, obiter perſtringam. Totâ enim vitâ ii qui ſeſe in eâ exercuerint, firmitate notantur. Nec tamen ſine aliquo thoracis atque pulmonum damno, cùm violenti quos illi patiuntur, concuſſus artis ſedulitate

non directi, hæmoptyſes accerſant, inducantque phtiſicam diſpoſitionem.

Generatim verò in infirmitate partis cujuſcumque perſanandâ ea lex eſto, ut plus in eâ quàm roborandam inſtituis parte,ſanguinis atque omnium fluidorum appellat, quàm in aliâ quacumque, dato æquali tempore, plus apprimantur illa, plus etiam effluant. Sic dextra manus in pleriſque hominibus per aſſiduum muſculorum motum fortior fit ſiniſtrâ minùs exercitatâ. Quæ differentia in iis qui eâ ad venatum, pilam, labores vehementer utuntur, vulgò enormis eſt vel ad ipſum aſpectum.

Verùm quæ hucuſque dicta ſunt, juvenilem ætatem tantummodò ſpectant. Ubi enim corpore firmato atque adulto, pars aliqua debilis ſupereſt, eam vix ad robur exquiſitum perducere ſperaveris, cùm ſine ingenti aliarum diſpendio, vires ipſi applicare arduum ſit. At effectus mali præcavere, robur arte ſaltem mediocriter adaugere Medicis conceſſum eſt, nec quia Glyconis invicti membra deſperes, ideò nolis chiragrâ corpus non prohibere, eſt enim quoddam prodire tenùs, ſi ultrà non datur.

Vidimus jam à Veteribus deambulationem in capite infirmis maximi habitam fuiſſe momenti. Hoc genus exercitationis ſimplex ſervandæ potiùs quàm adaugendæ ſanitati conducit, ſi coctione peractâ, maximæ perſpirationis horâ inſtituatur. Tunc enim eliminatur quodcumque vaſa gravaret; nec violentâ vi tamen abigitur aut extunditur, ſed quatenùs vitæ actioni ſtimulus levis additur. Hinc coctiones ritè ſubeunt, ſtatoque ordine ſecretiones novis humoribus nitentem locum

relinquunt. Sarta tectaque ſervatur ſanitas quam; ſi non minuas, adaugebis. Quo tantùm nomine confert ad robur aſſidua deambulatio. Verùm ſi celer illa ſit, inter labores recenſetur, adeòque infirmatis corporibus non adeò ſemper conveniens. Hinc inventa geſtatio, de quâ quidem jam egimus ubi de univerſali debilitate actum, adeòque ne dicta repetere videamur, ad roboranda debiliora vaſa pulmonum quantùm poſſit equitatio, ex Sydenhamo Naturæ illo myſtâ adeò caſto, adeò ſincero, paucis notabimus.

Perſpirationem ab equitatione prætermodùm augeri, graviſſimus Autor experimentis Sanctorius demonſtravit. Cùm autem augmentum illud ſine virium diſpendio fiat, indè nihil demi Naturæ, addi verò coctionibus, planum eſt. Hinc boni ſucci alimenta ſi ingerantur & viribus proportionalia, machinam firmari, roborari, nutriri neceſſe eſt. Hinc olim Germanico tenuiorum crurum principi artui infimos incraſſavit equitatio. Hinc quotidianum eſt illos videre qui equo aſſiduè inſident, craſſius corporis volumen adipiſci. Quæ omnia phtiſi è directo adverſantur.

Adde hîc ſuccuſſus perpetuos quibus ipſe cæteris omnibus intactis, agitatur continuò pulmo, & ratione fretus ad ea quæ Sydenhami demonſtravit experientia ſancienda accedes, dum ille aſſiduâ & ferè perpetuâ equitatione Phtiſicos ferè conclamatos ad ſanitatem revocabat.

Nec tamen in Phtiſicis aut ſaltem ſummâ pulmonum debilitate laborantibus, videntur Veteres equitationis vim admiſiſſe; navigationem præſertim commendavit Plinius, quæ forſan plus

equitatione, inaſſueta corpora concutit; ſed ſtomacho idem ac coxis equitationem dedicaverat (*a*). Celſus alvo fluenti propriam pronuntiat; ſed thoraci inimicam plerique putabant. In quo ipſorum autoritati refragari æquum eſt, manus dantes, obſervationibus Hippocratis Anglici quas nulla unquam refellet experientia.

Nunc ſupereſt ut ab hac noſtrâ Tractatione concludamus, parvum eſſe in debilitate partium medicamentis locum; cùm non liceat uni laboranti aliorum noxâ viſcerum ſuccurrere. In debilitate verò univerſali cauſas eſſe præſertim edomandas; nunc auxilia è Phyſicis eſſe petenda, nunc etiam menti imperitandum, affectuique graſſanti firma vincla eſſe injicienda, & ſemper in rebus non-naturalibus dirigendis ita eſſe agendum, ut omnia in unum conſentiant atque conjurent. Eam verò eſſe conſuetudinis habendam rationem, ut à pravis, imò peſſimis, ſensìm ſine ſenſu progrediamur, ne dum roborare fibras ex induſtriâ ſatagimus, eas divellere utque rumpere jure videamur. Simul verò indè reſpondere facile erit ad quæſita? An detur verè aliquod ex naturalibus corporibus, quod roborans dici poſſit? An infirmitas ſubitâ medicatione poſſit expelli? Simulque elementa habebimus apta quæ nos deducant ad ipſam morbi noſtri curationem ad quam nunc noſtra ſeſe vertit Tractatio.

(*a*) Lib. XXVIII. cap. 4.

CAPUT II.

De curatione ipſius Melancholiæ nerveæ.

In nervosâ debilitate, de quâ modò egimus, omnia jam ad Melancholiam prona atque in eam declivia ſpontè ferebantur, nondùm tamen morbus aderat. Si porrò ipſum inſtantem atque imminentem non occupaveris, invaleſcet proxima illa ad eum diſpoſitio, brevìque non obſcuris invadet affectio formidanda indiciis, urgentioraque poſtulabit ſubſidia, quibus in adminiſtrandis memorem requiremus animum, diviſionis quam circa Melancholiam inſtituendam credidimus. Alia ſcilicet ſimplicior in acuto prætermodùm fibrarum naturali tono, tota reponitur. Alia verò compoſita magis, perverſam earumdem actionem ſupponit, adeòque ut prior enormiter auctos tantummodò ſenſilitatis atque mobilitatis, ſeu intenſiores effectus ſupponit, poſterior contrà abnormes eoſdem, inconditos & irregulares, prorsùſque à nativo ordine alienos in apertum prodit.

Ut autem omnis curatio in eo conſiſtit ut hinc cauſæ tollantur, illinc mitigentur effectus; duplex hîc curationis ſcopus ſeſe meditantibus neceſſariò offert. Alter eſt ut cauſis obviàm eatur, quæ vera, legitima atque ſola curatio eſt; altera verò ut minitantes compeſcantur effectus, eorumque impetus retundatur, quæ palliativam,

ſive mitigatoriam mali ſanationem conſtituit.

Cùm autem utrumque Melancholiæ nerveæ genus cauſis ut plurimùm conſentiat, nec niſi quatenùs diversè applicantur illæ, ut in priori Parte diximus, diſcrepet, atque diſtinguatur, eodem articulo Melancholiam utramque exequemur. Proximè ſequente expendemus medicamenta illa quæ compeſcendis Melancholiæ nerveæ effectibus aliquatenùs conferunt. Tertiò demùm conſenſum atque impedimenta quæ ex ipsâ morbi naturâ, auxiliis adhibendis inſurgunt, ſedulo ſubjiciemus examini.

ARTICULUS PRIMUS.

De curatione cauſarum Melancholiæ nervoſæ.

Causa proxima morbum ipſum conſtituit. Hinc ſymptomatum omnium fons atque principium, ipſis invaleſcentibus invaleſcit, fugatis atque diſſipatis pariter evanuiſſe judicatur. Ubi ergò de cauſis tollendis agimus, ad remotas tantùm attentionem omnem convertimus. Quid enim eſt aliud cauſam proximam adoriri, quàm morbum ipſum debellare? Nec morbus profligari poteſt, quin & cauſa ejus proxima & effectus illius primarii prorsùs profligentur.

Remotæ verò cauſæ duplici ſub aſpectu inveſtigari ſe poſtulant, vel quatenùs morbum inferunt, ſuntque effectibus elicitis proportionales; vel quatenùs habitum inducunt infirmitatis. Quo

ſub aſpectu præcedentis Capituli materiem præbuere. Sunt enim illæ ſi nativam gracilitatem atque ſenſilitatem à parentibus in liberos traducem excipias, ex ſex rebus non-naturalibus deſumptæ, quibus debilitatem melancholicam ſeu habitum melancholicum inducentibus, qua ratione mederi poſſis, præcedentes paginæ enodarunt. Has autem ita ſubitâ vi ingruentes ut ipſo ſuo impetu morbum faciant, quâ ratione poſſis arcere id nunc operæ pretium eſt ſcrutari; ſivè totum corpus æqualiter concutiant, adeòque tonum undequâque æqualiter intendant, ſive hanc illamve partem occupent, adeòque abnormi erethiſmo inconcinnè & irregulariter diſtrahant hinc indè.

Aëris atque regionum influxui medendi una ſola methodus eſt, fuga, quæ certò morbum ſi non veteraſcendo invaluerit, tollit. Si verò non conceditur illa, paucum & vix alicujus momenti evadit quod ars in aëre emendando poteſt. Aridiori & æſtuanti corrigendo, prodeſt ruſticum aërem, opacum, umbrâ & perſpiratione vegetantium ſalubrem ad fluminum ripas, ad ſylvarum viciniam ſelegiſſe. Tum deambulatio matutina, quo tempore flores rore ſpirituoſo madent & atmoſphæra puriori vegetantium halitu ſcatet, multùm humectandis fibris confert. Serò multis profuit ubi jam calor miteſcit, lento fluminis alveo navigare, quo tempore qui vapor erectus in aëra per ſolis fervorem fuerat, rursùs denſatus frigore decidit in campos. Cameras verò & interiora ædium humidiora ſervare facilius eſt. Agricolæ quibus nulla in luxu atque deliciis eruditio eſt,

ſibi frigus opacum & humidius parant inſtratis frondibus atque floribus recentioribus,ex eo præſertim fruticum genere qui multùm perſpirant, ſi præciſus eorum caudex in aquâ ſervetur immerſus. Talia ſunt Salix, Sambucus, Ebulus, Nymphæa, aliæque plantæ quæ aquæ præſentiam vel ipſo ad tactum frigoris ſenſu teſtantur. Ditioribus, per varios arte multiplici fabrefactos canales, vel in profundiora ædium adyta aqua introducitur, aër ex umbraculis & boreali aſpectu ducitur, undè gratior aura temperat & canis rabiem aſperrimam & momenta leonis. In quo ſalutari luxu Orientales aliis populis ſemper præcelluêre.

At illius effectibus, debilitati melancholicæ inducendæ natis, rarefactioni ſcilicèt atque exſiccationi, medetur antè alia omnia victus ille quem æſtate furente commendavit Hippocrates, humidus, ex vegetalibus illis conflatus quæ plurimum laticem aqueum intrà ſanguinem infundant, eumque ibi detineant. Ab acri ſtimulo quocumque abſtinendum. Acida, denſantia, ſtyptica, hinc roborandis apta fibris, illinc liquores cogentia, victûs hujus partem maximam conſtituunt.

Nec verò minima eſt cauſa Melancholiæ nerveæ utriuſque, error in victu; ſed eum ſua tollunt contraria, ita prudenter adminiſtrata, ut non ab uno ad alium feramur exceſſum, ſed prudenter etiam ad meliora nitamur. Memores, nos illius eſſe naturæ imitatores quæ nihil operatur, niſi concinnè, niſi per gradus aptè diſpoſitos; tum etiam fragili humanitati nihil eſſe conceſſum,

quod violentiam ſentiat, ſed hæc blandiori obſequio, culturæque patienti ad omnia quævis diſcit manſueſcere.

In genere iis omnibus quos nimia tenſio vexat, & rupturæ atque erethiſmi periculum minatur, interdici velim vinum atque vinoſa ſpirituoſa; aqua iis ſimplex atque purior concedatur, non minerali contaminata contagio aut ſalibus fœta ſeleniticis, cretaceis, ſed curſu per molles arenas ſiliceſque exercita, ſed ſolaribus radiis defæcata, nec odore fœtenti gravis, nec colore quocumque deformis. Verùm lex illa ad eos non pertinet quos vexat Melancholia à vitiato partium tono ſpaſmodica. Sæpè enim multum ſecum importat atoniæ, cui multis in caſibus à vino medicina quæritur. Hujus nobis exempla præbent, quos ſummi & vi humanâ majores in Melancholiam devexêre exanthlati aut animi, aut corporis labores, & qui à ſummâ defatigatione in ſpaſmum incidêre. Hos enim & diæta reficiens juvat, & medicamenta cardiaca modò ex eo genere ſumantur, quæ per ſe ſtimulum fibris ad vibrationem diſpoſitis non inferant. Priorem conſtituant, cibi eupepti, ſeu faciles concoctioni, & nullum ferè à ventriculi viribus laborem requirentes. Talia ſunt extracta è carnibus mollioribus, juſcula, gelatinæ, ova recentia, ſorbilia, carnes teneræ juniorum animalium, piſces ſaxatiles, gelatinæ fructuum ſaccharo conditæ, aliaque multa quibus Autores uberrimè replentur. Poſteriora medicamenta ea ſunt, quæ oleum tenue quidem concludunt in ſe, ſed mucilagine involutum, nec ſalina obtinent ſpicula, quæ ſaltem emineant; ut

ſunt vina generoſa omnia, aromatica plurima, ut crocus, camphorâ ſcatentes plantæ, de quibus alibi fuſiùs dicendi locus ſeſe dabit.

Eadem curatio competit iis quos nimia exhauſit aut ſeri, aut bilis, aut ſanguinis vacuatio. Quorum prætereà dum curatio inſtituenda eſt per cauſas, intereà damna reparantur per analeptica. Sed contrà frequentiſſima eſt nerveæ Melancholiæ cauſa, liquidi intùs retenti noxa. Illicò aperienda eſt lata patenſque via, per quam exeat humor exitum affectans. Hìc ars eſt Hippocratica humorem per loca convenientia educere. Huc hirudines, fonticuli, ſetacea, veſicantia aut rubefacientia pro re natâ apponuntur, quæ maximam curationis partem conſtituunt, in eâ Melancholiæ ſpecie quæ à cauſis ſingularibus, aut in unam partem agentibus pendet omninò. Viciniæ enim fomenta mollia conducunt, remotioribus locis irritantia. Priora ut tenſio in parte enata compeſcatur, poſteriora ut partita irritatio minus in loca occupata obtineat imperium. Tum natura laborantis partis apprimè tenenda eſt. Quis per eam humor exeat, & quâ poſſit ratione retentus nocere, & ex causâ nocente atque vitiatæ functionis naturâ, indicatio, ſeu agendi ratio conſocianda atque componenda eſt.

Nec ampliorem dicendi campum præbent venena illa, quæ ſivè intùs enata, ſive ab exterioribus mutuata innatâ nocendi vi nervorum tonum prorsùs vitiant atque peſſumdant. Ea enim vel Naturæ vires quibus expellantur, ſuperant, in quo caſu niſi ars per ſpecifica vi oppoſita agat, tacito timore impotentem ſeſe arguit; vel ab

efficaci naturâ ſuperantur, in quo caſu deliniunt ferociam mali per inviſcantia Medici, vias laxant, fluida mitificant, effectuſque natos hac methodo retundunt, donec repetitis circuitûs ictibus hoſtiles atomos extruſerit Natura, in quarum plerarumque curatione victus & medicamenta lenientia, tum variæ oleorum mollium & lactis formæ omnem adimplevere paginam.

Verùm mechanicarum harumce cauſarum adeò extenſus eſt ambitus, ut omnem Medicinæ campum percurrere neceſſarium foret, ſi cauſis omnibus hiſce debellandis inſudare vacaret. Reſtituenda foret quæcumque ſupprimitur naturæ familiaris vacuatio. Reſarcienda quæ deeſt aliquandò ſanguinis officina. Memorandum foret quid ſibi indicet uterus, hepar, lien, renes, pulmones, quæ omnia ex univerſali methodo medendi repetenda ſunt. Quandoquidem ſæpiùs nervea Melancholia in gravioris cauſæ ſymptoma cedit. Hinc ſi à lue venereâ nervi patiantur, mercurius in medicamentum vertitur, nervis certè irritandis aliundè aptiſſimus.

Procellas verò illas ſi ita devitare poſſis, ut quaſi in portu conſtitutus, turbantibus ventis æquora, è terrâ poſſis alterius pericula tuâ ſine parte ſpectare, nihil melius eſt. Verùm utut te à malis illis, quæ aut ingluvies, aut variabilis aëris inclementia, aut impotens ſuî animus in Iapeti genus profundit, immunem præſtiterit conſervatrix temperantia? Nonne optimum quemque inſidiis fortuna circumvenit? Nonne inopem & auxilii egenum miſerans toto pectore condolebis? Ita ut cordato atque ſophiâ armato, amari ſemper

inſurgat

inſurgat aliquid quod angat in ipſis floribus, impoſſibileque prorsùs ſit ſartum ſe tectumque à malorum inſultu ſervare.

Id reliquum eſt miſeris mortalibus ut poſſint ſaltèm adversùs tum patentes, tum latentes inſultus, pectus obdurare atque firmare, quod quâ ratione fieri poſſit, paucos & ratio & experientia edocuit.

Cauſis quibuſcumque cùm ipſa per ſe infirmitas obnoxia ſit, patet quòd omnibus æquè proficuum ſit, corpus & firmaſſe & robore donaviſſe. Verùm ut impreſſio quævis tum ſenſui corporis, tum impulſui cauſæ in duplicatâ ratione correſpondeat, non ſatis erit corpus roboraſſe, ſi non etiam cauſarum impetum retuderis.

Impetus verò ille duplici præſertim titulo nocet, vel dum præ vehementiâ corpus concutit, convellit, & in abnormia abripit; vel dum aſſiduâ importunitate illum laceſſit atque defatigat.

Priori applicanda ſunt illa medicamenta, quæ effectibus ei prorsùs opponuntur, de quibus mox erit dicendum. Tum impreſſio in corpore concitanda quæ illam mali cauſam cicuret, minuat; vel dum mentem fortiùs occupat,ſenſumque quaſi divertit, vel dum ad plura ſimul objecta ſenſum diſtribuit, undè reſultus cauſæ minor in eam quæ læditur partem ſequi neceſſariò debet.

Poſteriori verò quæ plus anxietatis habet atque anguſtiæ quàm doloris, eadem methodus divertendi ſenſus competit; hinc id etiam ſolatii habet, quòd tenſio quævis ſemper ex ipsâ doctrinâ elongationis in chordis tenſis, ſeſe omni temporis puncto prorsùs imminuat, ita ut ſensìm

redigatur ad nihilum, undè malis aſſueſcimus & quaſi induramur, ita ut quod vix tolerabile primùm, & omnem exſuperans patientiam videbatur, brevi vix attentione dignum evadat.

Cauſæ ergo Melancholiæ fugantur atque ſuperantur, ſi noverit ars prudenter & cautè impreſſionem alteram alteri ita ſubſtituere, ut neutra vincat lædendo alteram, ſed ſe mutuo quaſi æquilibrio æquilibres illæ deſtruant; ſi demùm ita vibrationibus aſſueſcere diſcat fibra, ut jam à causâ familiari nullæ naſcantur.

Jam verò doctrinam hanc per omnium nerveæ Melancholiæ cauſarum ambitum extendi, & ipſa læſionis mechanice demonſtrat & comprobat experientia.

Læſerit in aëre latens conditio, nonne dum per gradus ad oppoſitam tranſis, cauſam morbi tollis? Læſerint alimenta, ſolve ſaburram, oppoſitum exceſſum in victu elige, aberit brevì cauſa lædens & morbus. Somnus vigiliarum nocumenta delet, otio labor, labori quies ſuccurrit.

Verùm ubi jam cauſa corpus invaſit, læſitque, ſi ab effectu ſemotam ſpectes, quid lædat perpendendum eſt. Agit porrò in fibram ſenſilem, vibratilem; hinc retundendus ſenſus, impedienda vibratio. Retundit ſenſum quodcumque ipſum ſopit, aut quodcumque ipſum ad alia avocat. Sopire ſenſum per narcotica, inebriantia, ut olim Helena apud Menelaum, afflicto Telemacho, lenimen ex medicamento quæſiit, facile eſt, ſed non perindè utile, ſi non horumce medicamentorum uſum ſuaſerit impreſſio vehementiſſima. Ex illo enim artificioſo ſopore tandem evigilan-

dum eſt, quòd non ſine ſpaſmo fit, aut atoniâ. Nec exhauſto, nec repleto Medicina illa tuta eſt. Aut ſi opium opio addis, malum minus malo majore fugaſti, vivacitatem nimiam hebetudine nimiâ retudiſti. Supereſt ut oppoſita ſenſatio à ſenſatione diſtrahat. Hinc mœrori ſubſidium præbet inopina objecta lætitia, furori atque fanatiſmo diverſio ad alia objecta quàm quæ aut amata concupiſcunt, aut peroſi averſantur ægri. Omnibus cæteris animi affectibus medetur terror, præcipuè verò enthuſiaſmo, atque illi convulſionum generi quod ex aliorum imitatione contrahitur.

Cùm porrò ex eſſentiâ Melancholiæ nerveæ, ipſi ſemper animi depreſſio ſeu imbecilla timiditas jungatur, proderit ſemper cauſiſque fugandis erit utile animos erigere, nec ſinere ut vanis chimærarum figmentis, Bellerophontæo morbo affecti, inhient, ſe toti proluant, vix ab eis divellendi.

Ut autem duplex eſt cauſarum agendi quâ noceant ratio, ſic arti medicatrici ut proſit, via pariter duplex competit. Vehementiſſimis vibrationibus vehementiſſima appones ſubſidia, habitui verò morboſo ingens ſenſationum diverſitas medebitur. Hæc generalis eſto & axiomatis loco habenda regula. Fruſtrà enim vehementer affecto homini, & è ſtatu nativo, per omnia ſuſdèque agentem cauſam, dejecto mollem incutere velis ſenſationem. Tunc ſurdo loqueris. Abſtulit ipſi rationis momentum, mens extra ſe correpta, nec ullæ jam ipſum captant illecebræ, nec terret periculum leve. Præſidium ex æquali impreſſione

LIBRARY OF THE
FOU
UNIVE

quærendum. Fortia fortibus opponenda. Si verò importunam ſenſûs vellicationem à vehementi concuſſione tollere ſperaveris, turpiùs & periculoſiùs errabis. Malum addetur malo, & genus Melancholiæ ipsâ aſſuetudine tolerabilius, in peſſimum vertitur.

Quem times ne à temulentiâ in Melancholiam pronus eat, illi ab ipſo vino quærenda eſt ingens & abominanda nauſea. Ebrioſos ſervos ante puerorum ora, pudenda geſtantes objiciebant Lacedæmones, ut indè vitii adeò ridiculi ingrueret horror, per totam vitam durabilis. A Veneris vulgivagæ cupidine plures avertit, illorum quos olim methodo nondùm adultâ ſalivatione vexabant, ægrotantium ſpectaculum, cùm ſcilicèt capite tumido, glandis ulceratis, dentibus concuſſis proni ſalivam, ſine ullâ quiete, miſeri noctu diùque profundebant. Quid plura addam? Ita ſenſu tota regitur machina, ut non inaſſuetum, aut inauditum ſit, atrociſſimos dentium dolores; audito aliquo nuntio, prorsùs conquieviſſe. Sanctiſſimè teſtari poſſum vidiſſe me virum fortem validiſſimo aſthmate laborantem, cùm juſſa ipſi præſcribenda forent, maximè momentoſa, illicò liberè ſpiraſſe, inceſſu erecto, facilique, donec mens occupata detineretur, quæ ſibi reddita, malum quaſi ſepoſitum reſumebat, me ipſo meliora ſperante. Quid & in ipſo belli furore, nonne milites incenſi ea faciunt perpetrantque, ad quæ poſtero die frigidi perhorreſcunt. Ita ſenſus alter alterum obtundit. Nec fidem derogare velim hiſtoriæ, quæ narrat Crœſi filium præſenti patris periculo actum, vocalem illicò evaſiſſe, nec ne-

gem quod aiunt, vidiſſe ſe plures, quòd dum Turcarum Legatus magni noſocomii Pariſienſis inviſendi causâ ipſum ſubiiſſet, tantâ eum videndi cupidine exarſiſſe Paralyticos quoſdam, ut artuum uſum recuperaſſent.

Terror verò atque metus in Melancholicos per ſe puſillanimes plurimùm poſſunt. Intentatis minis vidit Boerhaavius convulſionem quæ quaſi contagio in pueros ejuſdem ædis ſacræ incolas ſerpebat, prorsùs ſanari. Minacibus edictis, & ſupplicio quorumdam levi, delituere fanaticæ convulſiones, noſtrâ ætate nimiùm illuſtres. Uno verbo, quidquid mentis eſt, prudenti legis ſeveræ conſilio retunditur atque ſanatur. Nec dubitare fas eſt attentiùs circa hæc omnia meditanti, quin illæ regiones quæ ſub legum civilium atque humanarum imperio conquieſcunt, Melancholiæ atque nervoſis Morbis minùs affligentur, quàm illæ in quibus ſub mentito libertatis nomine, licentia atque ſuî impotentia graſſantur. Hinc etiam plus illis divites inopibus obnoxii ſunt; Religiones falſæ, quàm vera atque ſacroſancta; ſuperſtitio quàm pietas; vitium quàm virtus; qui ſeipſos depereunt pluſquàm patriæ addicti cives. Uſquè adeò mala corporis atque mentis vitia ſeſe conſociare amant.

Verùm in concitandis illis animi motibus ingenti artis prudentiâ opus eſt, ne malum malo addamus, & quod pejus eſt, Melancholiæ ipſi quam fugare ſatagimus, anſam præbeamus, dum ferendo ab uno in alium exceſſum diſtractiles fibras, concuſſus vehementes in illis excitemus, quibus ferendis Natura impar rumpatur, aut

ſaltem immedicabili errore à recto tramite devia nunquàm in rectum reducatur. Nihil enim ut in priori Parte probaſſe confidimus, magis fibras exaſperat, quàm ſi illicò, & omiſſo medio in oppoſita abreptæ trahantur. Ut igitur res teneræ aëris varietates perferre non poſſint, ſi nulla quies inter frigus caloremque iret, neç verna cœli indulgentia terras exciperet, ſiç nemo adeò ferreus eſt, qui non totus commoveatur atque immutetur, ſi ab alto dolore in lætitiam immanem ex abrupto feratur. Prudentiâ igitur ſummâ opus eſt arti medicatrici, ut ex oppoſitis ſubſidium inveniat, nec ex Boreali glacie homines ad æſtum torrentis Zonæ illicò deducet, & à metu ad lætitiam, ſpem gradu lento incedentem præire imperabit.

Furenti quidem & irâ percito homini facilius eſt metum intentare, minaceſque pœnas objicere, quàm metuenti inſpirare audaciam, quæ vix mentem ſubire poteſt, ubi metus atque diffidentia ab origine melancholicâ ipſam invaſere. Supereſt ut majori metu incuſſo minor diluatur, quæ methodus periculoſæ plena eſt aleæ.

Feliciùs adhibetur ſecunda hominem mutandi ratio, quâ ſcilicèt ab ideis cruciantibus divertitur. Hæc enim diverſio fit duplici modo, vel dum per diverſum eorum quæ homini noſſe datum eſt objectorum ambitum, mens Melancholiâ laborans quaſi rapido circuitu fertur, vel aliquo ex iis ita detinetur, ut præteritæ ideæ vix ſinat reviviſcere veſtigia. Cujus duplicis methodi ea erit perfectio à Medico dirigenda, ut conjurent amiçè ad ſalutem, ægerque ſe & objecto amabiliter

detinenti tradat, nec ſimul negligat ſalubre illud mentis exercitium, quo more modoque apium ſumma objectorum variorum delibat oſcula.

Sic plurimis profuit Melancholicis Muſarum cultus & Scientiarum ſtudium, modò iis ita altè non immergantur, ut ſordeant ipſis ſocietatis vincula. In Scientiarum enim ſtudio nihil reperias præter veritatis amorem indefeſſum, tum ſpes ipſius potiundæ exurgit, aliquandò ſucceſſu læta, ſæpè difficultate temperata, ſemper verò dulci illâ felix conſcientiâ conquieſcens, nihil aut melius, aut optabilius homini contigiſſe poſſe, quàm ut tali inquiſitione breve vitæ tempus impendat. Jungatur exercitio illi exercitium corporis ad Veterum morem, & ſarta longævaque poterit vita expectari. Nec aliâ de ratione crediderim tam raro Medicos nerveâ Melancholiâ laborare, dum, ut cum Hippocrate loquar, ex alienis miſeriis proprias lucrantur calamitates, quòd plus de aliorum ſalute quàm de ſuâ ſolliciti ſint, quòd lætus eos ſæpiùs ſucceſſus exhilaret, quòd demùm pulcherrimum Naturæ ſtudium, fœcundum per ſe, & veritatis variatæ fertile, ſalubri corporis motu temperent.

Hinc illis qui imperio regendo, legibus ſtatuendis gravem & ærumnoſam vitam agunt, ut & iis quos aut ſedili affixit Geometria, autor ſum ut ſtatim atque uxori aut amicis vacant, ſeſe tradant alacritati atque jocoſorum hominum ineptiis, ſobrietatis tamen perpetui cultores. In quâ tamen vitæ ratione id annotandum, ut quod de uniformi mentis impetu atque cauſarum aſſiduâ repetitione diximus, de regimine etiam uniformi

intelligatur. Quod idcircò jam pridem inſecutus eſt Celſus, quia illud ſine gravi noxâ ſolvere impoſſibile ſit, nec ea uniformis ſenſatio languentis ſtomachi ſtimulum exſuſcitet.

Procul autem à ſanitatis deliciis arcere illos jubebo, qui ut in moribus peſſimi, ita in Phyſicis infirmiores ſunt; eos qui ſibi ipſis corpuſculoque ita addicti ſunt, ut in id unum omnes nervos, omnem curam impendant; humanaque à ſe aliena reputantes, nihil patriæ, nihil parentibus, nihil amicis rependunt. Hos niſi Melancholia reddat excuſabiles, ſibi ipſis tradendos arbitrer. Supplicium grave. Cùm nihil niſi infirmum ſibi ſpondere poſſit, qui in ſeſe ipſum vultu ſevero ſe reflexerit.

Verùm inter varia auxilia quæ hominem poſſunt à mœrore atque mœſtitiâ divertere atque avocare, nihil melius, nihil præſtantius Muſicâ arte, quæ quoniam inter præcipuas Melancholiæ medelas jure meritòque recenſita fuit, licebit pluribus hîc ejus effectus rimari, quod jam doctiſſimè effecêre & cl. Malouinus noſter, & Wilhelm. Albrecht.

APPENDIX.

De Muſices ad ſanandam Melancholiam effectibus.

Musice ars antiquiſſima in ipsâ quaſi fundata eſt hominis naturâ. Hinc nulla eſt gens vel maximè barbara, quæ eâ utut rudi & agreſti aut careat, aut caruerit unquàm. Hæc tota conſtat in Harmoniâ, ſi generatim ſumatur illa. Scilicèt Muſicen conſtituunt certa ſonorum intervalla ſibi proportione correlativâ reſpondentium, nunc breviùs, nunc longiùs, nunc celeriùs, nunc tardiùs, nunc graviùs, nunc acutiùs ordinatorum, quæ ſinè confuſione auris arripere poteſt & inter ſe componere. Hinc jucundiſſimus oritur ſenſus ex quiete & ſono conflatus, ita ut eo mens occupata, in illo conquieſcat (*a*). Cùm autem homines ſoli vocem articulatam varièque inflexam habeant, ſoli ipſorum voci competit illa Muſice quæ animo poſſit affectus conciliare. Ad cujus imitationem inſtrumenta muſica facta. His omnibus poſſunt affectus animi concitari, pacari, mulceri mentes, inaniter angi, ita ut ſatis indè pateat quantùm in curandâ Melancholiâ poſſit, forſan etiam ſi malè conſtituatur, in eâ concitandâ.

Hujus inventorem fuiſſe Apollinem ferunt

(*a*) V. Plutarch. de Muſice.

Græci, ſed Muſice, propriè dicta, hominibus coæva eſt. Hinc illum ut cytharæ & tibiæ repertorem habet Plutarchus (*a*), probatque hanc ſuo tempore ſacram opinionem, ex antiquiſſimâ ejus ſtatuâ in Delo à Meropibus poſitâ, in quâ quæ Apollini famulantur Charitum figuræ hæc inſtrumenta ipſi prætollunt. Quin & antiquiſſima Hyperboreorum in eâdem inſulâ ſacra, ex cytharis, tibiis & fiſtulis conflabantur. Pariter dum Muſices inventorem Amphiona ſtatuit Heraclides, intelligendum videtur, prima Artis præcepta docentem, ut ex Sycionio lapide diſcimus, cùm præſertim eodem tempore & Linus θρήνους ſcriberet, & Anthes ὕμνους, & Pierius circa Muſas poëmata. Nam Veteres & verſus faciebant, & addebant modos, ut de ipſo Homero fama eſt.

Per varios cultores Arte creſcente, tres modi viguêre præcipuè, Dorius, Phrygius atque Lydius, quos qui miſcebant quartum videntur adhibuiſſe, ipsâ ſuâ miſcelâ deſignandum τριμερῆ νόμον, Sacadâ inter alios ſic ſua poëmata ordinante.

His verò conſtituendis modis accommodati rythmi priores fuêre Diatonus & Chromaticus, cui Olympius addidit Enharmonicum, qui poſterior compoſitæ magis Muſices fœtus, rursùs à ſe produxit hemi-tonum, ſeu ſemi-tonum in Phrygiis atque Lydiis. Qui rythmi in quo conſiſtant, ſatis Plutarchus expoſuit, & à propoſito noſtro abluderet, iis immorari diutiùs, ut & ad Muſices naturam atque calculum pulcherrimis illis Pythagoræ experimentis initum, quibus à vario mal-

(*a*) De Muſice. 1136.

leorum percutientium incudem ſono & ab ipſorum gravitate, ut & à longitudine chordarum variis ponderibus appenſarum Monochordon,& geometricam Muſicen primus conſtituit; ſatis ſit ſi notaverimus quòd Socratis & Platonis (*a*) tempore audiamus graviſſimos viros ideò conquerentes, quòd ex quo contrà primævum inſtitutum, Muſice à ſacris Deorum & Heroum laude, ad theatra deflexit, garrula & confracta, à priſtinâ Majeſtate aliena adhiberetur. Imò & comicus Autor Ariſtophanes jocosè recentem ſui temporis Muſicen inſectatur, & ejus cultorem Philoxenum, qui eam nimis flexilem reddiderat ὥσπέρτε τας ῥαφανȣς κάμπτων. Hinc Plato ut ad vetus inſtitutum artem revocet, Phrygiam ut laſcivam, Lydiam quæ Elegis præcipuè inſudabat, ut lugubrem vult à Republicâ abigi. Doriam ſolam ſervat, quæ majeſtate priſtinâ commendaretur. Sed cùm ob majeſtatem ſuam, Lydiæ ut triſti & miſerationem commoventi in tragœdiis miſceretur, hanc ita admiſit, ut ſolummodò eâ hujus parte uti vellet homines, quæ fortibus laudandis virorum factis, Martique præcinendo inſerviret, repudiatis cæteris, præcipuèque mixto-Lydiæ, quæ ab ipſo Lydiæ gremio nata atque conflata,diſſoluta eſſet, & frangendis animis omninò comparata, teſte Plutarcho. An eadem eſt atque Æolia à quibuſdam Autoribus admiſſa?

Ex hac omnium Autorum querelâ uniformi deducitur ingentem fuiſſe priſtinæ Muſicæ majeſtatem, uſumque ad informandos etiam mores

(*a*) De Republicâ Lib. III.

& utilem & ingentem, brevi verò ab artificibus ipſis variè atque variè inflexam, à priſtinâ dignitate deſciviſſe. Hinc haud injuriâ priſcis Græcis id curæ fuit, ut maturè adoleſcentes muſicâ diſciplinâ imbuerentur. Horum enim animos putabant Muſicæ operâ fingi, atque concinnari ad decorum poſſe, quòd cùm ad omnia utile ſit, ita imprimis ad bellica pericula capeſcenda animos exacuit.

Hinc prima publica Muſices inſtitutio Lacædemone videtur facta à Terpandro (*a*), Muſicen hanc commendante Lycurgo, ob beneficia à Tyrtæo poëtâ conciliata. Hac acceptâ ſemel, nil niſi harmonicè peragebatur. Famoſæ ſunt hæ cantilenæ Spartanorum, quas γυμνοπαιδίας vocant, ut luctantes ad virtutem hortarentur. Argini ad Luctam Jovi Athenio dicatam tibiâ utebantur. Tempore etiam Plutarchi ad *Penthatlum* tibiâ canebatur.

Verùm ſenſere brevi quàm facilè detorqueretur laudabile inſtitutum, ad ipſos quibus efformandis natum erat, peſſumdandos mores; hinc cùm apud finitimos gliſcere hos viderent abuſus, Philoſophiam Muſicæ præfecerant Lacædemonii, Mantinenſes, Pellenæi; modum unum aut alium eligentes, qui moribus informandis conſentiret, mulctâque definitâ caverant Argini, ne quis auderet pluribus quàm ſeptem ab ipſis receptis, fidibus ad cantum uti, & præſertim ad mixtolydium tonum alludere. Imò Lacedæmone Terpandrum ſua non vetuit gloria, ne ab Ephoris

(*a*) Plutarch. de Laconicis inſtitutis.

mulctaretur; cytharaque adempta publicè ſuſpenſa fuit, in vindicatæ temeritatis ſignum, quia unâ ampliùs chordâ cytharam intendiſſet vocis variandæ gratiâ (*a*).

Prima igitur laudabilis Muſices utilitas eſt, ad Deorum laudes celebrandas, altera Heroïbus, & inclytorum Heroum factis celebrandis conſecratur. Eadem, præcepta tradit moralia, legeſque, & juvenum inſtitutioni inſervit. Tertia verò bellica, ex quâ vel bello præcinitur, vel inter ipſum conflictum ad ſervandam aciem à Spartanis præcipuè cantabatur, vel demùm Pæan eſt, ſeu παιάναι, quia Apollini poſt partam victoriam gratiæ ſolvebantur.

Nec minùs apud Hebræos, in quorum hiſtoriâ nulla eſt fabula, ampliſſimus Muſices campus reperitur. Jubal ab Adamo proximus, inſtrumenta muſica inveniſſe celebratur. Undè ſatìs pateat ſuam Apollini Muſicen Græcos ideò tantùm retuliſſe quòd vetuſtiorum temporum ignari erant, tum etiam quòd ſummâ elatus gloriâ populus de ſuâ dignitate detractum crediḋiſſet, ſi vetuſtioribus gentibus aliquid acceptum fateretur, dum ipſe ſe αὐτόχθονον nomine deſignaret, exprobrantibus intereà Ægyptiis, Græcos ſemper artes in infantiâ retinere.

Sacer præcipuè fuit uſus Muſices apud Judæos, nunc miſericordiam à Deo depoſcentium, nunc victoriam ſibi ac Numini gratulantium, nunc gratiam quamcumque conſecutorum. Sed in nullâ aliâ hiſtoriâ adeò antiquus perhibetur tubæ

(*a*) Inſtituta Laconica 239.

uſus, nec choræis inepta videtur fuiſſe Hebræorum Muſice atque ſaltationibus, nec variorum inops inſtrumentorum, imò *enthuſiaſmo* prophetico atque poëtico concitando aptam ſacra teſtantur Cantica. Verùm hanc à finitimorum Muſicâ alienam, gravemque, nec laſciviæ ſervientem fuiſſe teſtantur Prophetarum querelæ; de introductis à Syriâ & gentibus finitimis, extraneis, de Adone præſertim mortuo cantilenis, quas ut θρηνῦς, modo Lydio inſtitutas credere eſt.

Verùm hæc de Muſices hiſtoriâ à propoſito alienâ ſufficiant, ut intelligatur quâ ratione Veteres eam ad morbos perſanandos adhibuerint, univerſalemque illam fuiſſe.

Tota in ſono conſiſtit & relatione unius ſoni ad alium. Hinc vibrationum leges ſequitur, quas in primâ hujus Operis Parte poſuimus, & quas longitudo, craſſities, tenſio fibrarum novas naſci faciunt hîc non exponendus. Suffecerit hîc notaſſe, ne altiora & à Medicinâ remota ſequi videamur, quòd ut nos in Melancholiâ nerveâ ediximus, in fibrâ tensâ poſſe vel minimæ cauſæ violentiſſimum eſſe effectum, ſic rem eamdem ad Muſices effectus pertinere, cùm tenſio rectitudinem lineæ ſupponat, & ad omnes fibræ vibrantis partes æqualiter pertineat, quæ multiplicatis partibus, poteſt in infinitum multiplicari. Hinc à ſolo aëris tremuli incuſſu ſonum faciente, chordæ homotonæ etiam non pulſatæ vibrant æqualiter, quod in affectibus corporis animalis, poteſt etiam reperiri.

Sonus autem afficit aurem, ut videtur, ſolam. Verùm etſi effectus ſoni ſenſibilis in auditu

tantummodò conſiſtat, quidni ab eo in aliis partibus etiam vibratio emicet ? Antiquorum mos fuit partes dolore affectas, ut aiebant, incantare *τη φρυγιςι ἁρμόνια*. Nec ſucceſſu carebat hæc methodus, quia, ait Cælius Aurelianus, partes quaſi ſono perculſæ reſultant. Quid verò an non nos etiam ad ima uſque viſcera contremiſcere facit tympanorum pulſus aut tubarum clangor ? Qui effectus æquè ſurdis competere poſſet, atque auditu præditis.

Hinc in ſanitate aut tuendâ, aut revocandâ triplex eſt Muſices effectus. Alter quo animi affectus concitare poteſt ; alter Veteribus potiſſimùm Philoſophis exquiſitus, quo motus animi impotentis ſedare atque compeſcere nata eſt. Tertius demùm, quo regularem in fibris atque ſenſibus concuſſum & vibrationem concitat. Qui tres effectus nobis nunc ſuperſunt perpendendi.

Affectibus animi concitandis Muſicen jam ab antiquioribus temporibus idoneam habitam fuiſſe, non in fabuloſis quæremus narrationibus, ſed in ipsâ omnium qui civiles artes excoluêre populorum hiſtoriâ.

Certè ad uſque hodierna tempora, in hominum memoriâ & admiratione commendabilis eſt ſeveritate morum & vitæ auſteritate Lacedæmoniorum diſciplina, ut ferè fidem exſuperet. Eos tamen & ad bellicam virtutem incitavit, & ad certam victoriæ gloriam deduxit primus, qui quaſi ad ludibrium ad eos ab Athenienſibus miſſus fuerat & Poëta & Muſicus Tyrtæus. Hos & ſtare in acie docuit, & vitam paciſci pro laude inſtituit primus. Undè quæ hodiè ejus vigent fragmenta,

à Spartanis ad prælium emicantibus ſolemniter decantabantur, præliaque poſt ſacrificium Muſis litatum inibantur. Hinc ab ipſis ad alios Græciæ populos & cantus militares, & muſica præcinens inſtituta. Ε'μβατήρια Spartanorum Leſbiis ἀδώνια dicebantur ad bellicos inſultus adaptata. Quæ ipſo prælii tempore firmabant animos & accendebant furorem, ἐννυαλιῶν nomine celebrata. Felicibuſque poſt pugnam victoribus παιᾶνες competebant. Primi cantus Muſis ſacrati erant prælium ineuntibus. Ipſo in certaminis furore, cruorem inter atque cædes Martem celebrabant hymni, ipſo ejus nomine dicti ἐνυαλίοι. Actio autem gratulabunda Pæanum ad victorem referebantur Apollinem (*a*). Barbaris contrà mos erat, ut rudi & incondito clamore prælia auſpicarentur, undè tam facilè eorum acies à cultoribus diſciplinæ militaris frangebantur.

Præterea verò quis non eſt expertus, ſe à militaribus inſtrumentis commoveri totum & quaſi extrà ſe rapi. Ipſis furor bellicus ab hoc ſtrepitu equis ita afflatur, ut jam ſtare loco neſciant, micent auribus, volvantque collectum ignem intùs in corpore fræni impatientes. Hinc tibiis Lacedæmoniorum & Caſtoreo illi melo ſensìm tubæ clangor, & totum concutientia hominem tympana ſubſtituta, quibus mortis metus ita avertitur, ut ſeſe in aperta pericula milites impavidi committant.

Fatendum porrò eſt nihil prorsùs ita Melancholiæ adverſari, atque fervens illa animorum

(*a*) Thucydid. lib. IV. 43.

inflammatio,

inflammatio, nec mirum ſi in primo inſtrumentorum bellicorum uſu Lacedæmonii Meſſinenſes fugaverint (*a*). Undè etiam factum ut nullus alius populus poſteà in hoſtem lentiùs ferretur, ſed ſimul firmiùs, Muſicâ greſſum dirigente ſimul atque firmante. Scilicèt mors ipſis ſolius harmoniæ præludentis efficaciâ prætervidebatur.

Quid jam de Saltatione addam quæ non apud Recentiores tantùm, ſed apud Veteres etiam, ſi Romanos excipias, maximi fuit pretii, cùm & Homerus, Ulyſſis temporibus, laudem indè ſibi quærentes Phæacas adducit; motum celerem & varium pedum, ſtupente prudentiſſimo (*b*) Ulyſſe. Hinc ea poteſt in Melancholiæ curatione locum invenire, duplici titulo, & quòd affectus animi lenes atque jucundos excitet, & quòd inter ſalubria corporis exercitia recenſeri poſſit, Naturâ in Tarantulæ curatione viam monſtrante.

Et certè in exercitio quod fit in numerum, id antè omnia notandum eſt, quòd illud multò minorem inducat defatigationem quàm aliud quodcumque. Conſtat enim illud ex quiete atque motu ſibi invicem proportionalibus; ita ut alter alterum ſucceſſivè excipiat; hinc noſtris moribus non inauditum eſt imbelles videre puellas pernoctare in choræis, quas vel minimus inceſſus defatigat. Notante ſimul illuſtriſſimo Saxoniæ Comite, expertum ſe, non minimum peditibus militibus ſubſidium, per longa itinera, à tympanorum æquabili pulſu quæri, quæ ſilentibus inſtrumentis non poſſint perficere. Nec verò Ni-

(*a*) Juſtin. Lib. IV. c. 4. 5. 6. (*b*) Odyſſ. θ.

gritæ, ſub fervido Africæ ſole, terram fodere valent, aut agris culturam impertiri, ſi laborem non dirigat inſtrumenti, tympani ſcilicèt, pulſatio.

Hæc certè omnia in animi motu conſiſtunt, quibus an addiderim quæ audent hiſtoriæ vix refellendæ. Ut Thimotæo Alexandri furorem per Phrygium concitanti credamus, facit, ſimilis prorsùs hiſtoria de Erico primo Danorum Rege (*a*) à Lylio Gyraldo narrata, quem effectum ſe etiam apud Leonem X. oculis uſurpaſſe tradit. Idem de Goudimello ſeu Claudino Juniore Muſico Gallo, veteris Muſices ſectatore, narrat poſt D. d'Embry (*b*) Bayleus (*c*). Alia plura ſimilia tum Veterum, tum Recentiorum exempla congeſſit, in ſuo exquiſito de Muſices vi in corpus humanum Wilhelmus Albrecht. Undè non mirabimur ſi Dorici temperantiam atque morum lenitatem prædicantis modi, adeò tenaces fuerint civitates Græcæ, ut ei vel aliquam mutationem inferre lege prohibuerint.

Nec ego crediderim aliquid ſibi peculiare vindicaſſe, noſtræ prorsùs abſimilem Veterum Muſicen, ſed certè commendabilem faciebat, & laudabilis ejus ſcopus & utilis adminiſtratio. Et ſi noſtris temporibus, loco verborum ſono vacuorum, præcepta moralia, miraque poëmata pangerentur, inaſſueti, ab iis homines afficerentur. Certè quæ decorè & piè in Eccleſiis quotidiè decantantur, ad pietatem non mediocriter exſtimulant.

(*a*) V. Camerar. Cent. I. cap. 18. & C. II. c. 87.
(*b*) V. Bayle, Diction. art. *Goudimel.*
(*c*) Comment. ſur la Vie d'Apollonius de Thyane.

Nec longiores in hac Muſices proprietate expendendâ erimus, cùm vix quis eam neget, niſi ad harmoniam ferus ſit. Ab illâ verò ſemel demonſtratâ pendet etiam alia, quâ ipſam ad molliendos atque ſedandos animi impetus aptam exiſtimamus. Si enim eos concitet fortior & variè vibratilis modus, cur non lentus majeſtateque plenus, eos tardet atque reddat inertiores. Huic ſcopo præſertim Dorius ille modus, de quo mira jactant, intendebatur. Certè nemo eſt quem non muſice leniter detineat, diſtrahat à curis, à ſe avocet, & quaſi extrà ſe conſtituat, dulcique detineat otio. Id omnibus commune. Undè in ipsâ non oblectamentum ſolùm, ſed etiam dolorum lenimen & acutorum quidem invenere. Hinc Cicero ait (*a*): « Aſſentior Platoni nihil tam facilè » in animos teneros atque molles influere, quàm » varios canendi ſonos, quorum vix dici poteſt » quanta ſit vis in utramque partem. Nam & in» citat languentes, & languefacit excitatos. Tum » remittit animos, tum contrahit. Civitatumque » hoc multarum in Græciâ interfuit antiquum » vocum ſervare modum, quarum mores adlapſi » ad mollitiem, pariter immutati ſunt cum can» tibus ». Et infrà Diagondæ Thebano conſentiens ait: « Negat mutari poſſe muſicas leges, ſine » mutatione legum publicarum. Ego nec tam » validè hoc timendum, nec planè contemnen» dum puto ».

Hinc Chiron iracundum Achillem cytharâ perfeciſſe dicitur, & molli arte feros animos contudiſſe (*a*). Hinc Pythagoreæ atque Platonicæ

(*a*) De Legibus, Lib. IV.

Muſices inſtitutum verè medicum, ſeu potiùs παιδοτρίβικον eſt. Nonne clamitantes in cunis vagituque lugubri locum replentes, infantes cantilenæ atque motus in numerum compeſcunt. Narrat Ælianus de Cliniâ (*b*), quòd quoties ſubiret ira, cytharam arriperet, quia, inquiebat, mitigor animo. Seditiones ſæpè Muſice ſola diremit. Quæ, ut ait div. Chryſoſtomus (*c*), θεράπειας ἕνεκα inventa eſt.

Hinc apud Homerum Vates atque Cantores tanquam Deorum filii habentur, ipſiſque honos ingens à Regibus conceditur. Igitur & Epaminondas fidibus præclarè ceciniſſe dicitur. Themiſtoclesque aliquot antè annis cùm lyram recuſaſſet, habitus eſt indoctior.

Verùm nullus inſignior eſt in vetuſtiſſimis monumentis locus, nec ad comprobandam Muſices in Melancholiâ efficaciam aptior, quàm qui è Davide Saülem, per cytharæ cantum compeſcente, atque ad pacatum animi ſtatum reducente, petitur. Nec ullum aliud fortius exemplum quo probetur quantùm ab ipsâ, ſi toni fortes, validi fuerint, poſſit animus evehi, quàm quòd nulla fuſa fuerint ſacrorum Vatum oracula ſine Muſices adminiculo, ut paſſim in Scriptoribus ſacris videre eſt.

Sed ineſt etiam mechanicæ Muſices in fibras actioni, vel eas quæ ad audiendum nullatenùs inſtitutæ ſunt, aliquid pretii.

Pluribus in morbis qui aut ad mentem prima-

(*a*) Ovid. Art. amand. Lib. I.
(*b*) Var. Hiſtor. Lib. XIV.
(*c*) Orat. 2. ad Alexandrin.

riò non referebantur, aut mentis operâ ſanari poſſe non videbantur, Antiqui Muſicen adhibuere, ut in Iſchiade, teſte Cœlio Aureliano & Gellio (*a*). Undè etiam remedium idem in podagrâ adhibitum, ſed ſine ſucceſſu, teſte Luciano. Verùm varios morbos μαλάκοις ἐπῳδαῖς ſanari autor eſt Pindarus (*b*). Et vetuſtiſſimus Homerus à dente apri ſaucium Ulyſſem cantibus fuiſſe ſanatum narrat. Teſtatur idem per muſicen cohiberi ſanguinem. Undè nil mirum ſi, teſte Theophraſto, ſolemne olim fuerit, tibicines rectè ad id inſtitutos, ad morſum viperarum adhibitos fuiſſe. Hodiè verò etiam in Indiis incantari ipſas viperas, & ad inſtrumenti ſonum accedere & moveri in numerum, plures ſunt qui teſtentur Viatores. Et ne fidem iis derogamus, facit quòd apud ſacras paginas mentio fiat de *venefico ſerpentes incantante ſapienter*. Nimis verò nota eſt à Tarentulâ demorſorum curâ, quàm ut illi diutiùs inſiſtamus.

Quod verò ad peſtis ſanationem inſtituta etiam fuerit Muſice, legimus apud Plutarchum & alios Veteres ferè omnes; undè etiam ad Pæana ſalutiferum videantur directi aliquot è choris tragœdiæ Œdipi tyranni apud Sophoclem. Aliquam certè Muſices efficaciam eſſe, præſertim in affectibus comatoſis, lethargicis, & ab inertiâ pendentibus, non negabimus, exemplis id ſatìs ſuperque probantibus inſtructi. Manus dabimus ejuſdem efficaciæ in epilepſiis, deliriis, furoribuſque compeſcendis, uno verbo, in corpore ad homotoniam organicam reducendo; ſed ſi miaſma

(*b*) Noct. Attic. Lib. IV. cap. 13. (*c*) Od. Pythic. 2.

lethiferum contagione proſerpſerit, nihil ad illud aut fugandum, aut faciliter extrahendum confe- ret harmonia. Sed indè pro ſanatione peſtis ad- vocavere Spartam, Thaletem Cretenſem, ut Deo- rum precationi præluderet, modoſque impone- ret; cùm enim peſtem, Deorum, Apollinis verò præcipuè tela atque ſaxa putarent, Pæane tantum- modò eam deprecari ſatagebant, Homero teſte.

Ex eâdem illâ homotoniâ corpori inducendâ derivat proprietas illa, quam Muſicæ Plutarchus tribuit, ut vini vapores in conviviis retundat. Ad quam quidem facultatem Dorium fuiſſe modum ſeligendum patet, Phrygius enim capita potiùs conturbaſſet. Et in genere non deſperandum eſt quòd ad amplificandos muſices in corpora ani- malia effectus, poſſint adhuc diverſæ inveniri modorum atque tonorum conjugationes, qui olim ſcopus, viris qui apud nos Muſicæ inſtauran- dæ ſtuduerunt, Baïffio, Goudimellio propoſitus fuiſſe videtur. At ei Muſices generi quod corporis fibras potiùs quàm ſenſus concutere natus eſt, Pythagoream ſectam (*a*) Ariſtoxeniæ prætule- rim: dum ſedulitatem in ſymmetris, pulchritudi- nemque Muſices in doctrinâ ponebat Philoſophus εὔλογον. In id autem totus intendebatur Ariſtoxe- nus ut placeret, ſenſuumque judicium φαινόμενον omnibus antecellere præceptis imperaret.

(*a*) Vid. Porphyr. in Præloq. Ariſtides de Muſicâ Lib. III.

ARTICULUS SECUNDUS.

De curatione primariorum Melancholiæ nerveæ effectuum.

§. I.

De iis auxiliis quæ tenſionem melancholicam tollunt.

INTER primarios atque neceſſarios Melancholiæ nerveæ effectus, primum ſibi locum jure vindicat tenſio præter modum aucta, quæ conſtituit eſſentiam morbi; ſive ſimplex illa noſtram ſedulitatem poſtulet, ſive à fibrarum vibratione inæqualiter auctâ pendens, nos multiformi exerceat ſymptomatum larvâ.

Utrâque in morbi ſpecie ſi ſemel cauſæ laſcivienti frœna dederis, & artis imperio errantem naturam coercueris, nec jam aliud tibi debellandum incumbat, præter eum quem impreſſit altè cauſa diſcedens tumultum; attendendum adhuc erit ad varia morbi tempora. Duplex porrò curationis tempus agnoſces. Alterum paroxyſmi, quo ſymptomata ſummâ ferociunt vehementiâ; alterum quietis atque remiſſionis quod aptiorem præbet fundamentali curationi occaſionem.

In priore & ſimpliciore morbo, paroxyſmus ipſe nihil aliud eſt quàm tenſio per univerſum corpus æqualiter diffuſa, adeòque ſemper laxantia exigit, & quidem varia pro morbi gradu. Imò & ſi eò devenerit malum, ut inſtet rupturæ metus,

ipſa, antè alia omnia medicamina, primum ſibi locum vindicabit venæ-ſectio. A quâ motus ille atque tumultus potiùs compeſcatur, quàm morbus tollatur, qui cùm nihil inflammatorii habeat intùs reconditi, vix auſcultat venæ-ſectionis efficaciæ. Illa autem uſquè eò inſtitui debet, ut quæ non à verâ atque legitimâ repletione pendet, ſed à vaſorum arctatione adeòque anguſtiore vaſe repetenda eſt, plethora tollatur. At circâ ipſius repetitionem univerſales regulas conſtituere impoſſibile eſt, cùm ejus uſui, hinc metas ponant, illinc libertatem concilient, perſpectæ aliundè ægri natura, cauſa morbi remota, regionis victûſque conſideratio.

In poſteriore morbi ſpecie, tempora inſultûs atque paroxyſmi multò attentiùs diſtinguenda ſunt. Nam compoſita illa affectio cùm ſemper aliquid in ſe habeat atoniæ, pro effectrici causâ, vix extrà paroxyſmum venæ-ſectionem recipit. Verùm ſæpè in ſummâ acceſsûs vehementiâ ipſam accipit & poſtulat. Moderatiùs tamen, ne dum præſentem effectum diſcutimus, in nova incidamus pericula.

Cùm ergo ſimplex Melancholia nervea laxantium uſum tum ipſo ſummæ vehementiæ tempore, tum extrà illum, etiam indicet; differt à poſteriore, quæ quidem nullam aliam medicinam, aut inſtante, aut præſente paroxyſmo, ſibi requirit; ſed ubi extrà furorem erethiſmi conſtituta eſt, ſæpè roborantibus debellatur imò & inſtaurantibus atque cardiacis tum victu, tum pharmacis, prorsùs fugatur.

Patet indè quantùm in hac Melancholiæ ner-

veæ ſpecie interſit Medici, duo hæc tempora paroxyſmi alterum, alterum intervalli ſedulò diſtinguere, variamque pro re natâ methodum inſtituere.

Verùm cùm antè omnia laxatio ſeſe offerat omni ope atque operâ factitandam, ſupereſt ut quid per illam debeat intelligi altè infixum teneamus.

Laxatio verò unicâ tantùm ratione fieri poteſt, ſi ſcilicèt ad fibras aquoſior atque mollior materies feratur, ipſas alluat, & partes quaſi tenuioris & acredine deſtituti liquidi inſinuatione ſeparatas ſervet, atque minùs propinquas, ita ut minuatur partium ad ſe invicem attractio. Firmitas laxatione adhibitâ deficit, ſed quo gradu laxantur fibræ, minuitur rupturæ metus & omnes tenſionis effectus evaneſcunt.

Fruſtrà ergo in toto corporum naturalium ambitu alia quæſiveris laxantia, præter ea corpora quæ multùm aquæ ſecum vehunt, eâque prædita ſunt proprietate, ut tamen intùs ſeſe inſinuent, & in fibrarum molem adactæ ipſam penetrent. Aqua ipſa princeps certè remedium præſtat, ſi tamen pura atque ſimplex adhibeatur; vix cohæret cum ſolidis, citiùſque tenuiſſimus liquor per vaſa effluit, quàm ut laxare poſſit. Contrà verò cùm partes nutritioni utiles, ſalinas præſertim, tum per vaſa perſpirabilia, tum per urinæ vias tollat, compagem ſanguinis ſolvit, malaque cauſatur, quæ ab imminuto quidem ſed inæqualiter infracto tono pendere poſſunt. Prætereà verò notante illud expertiſſimo in rebus Phyſicis Haleſio, aqua ſimplex ubi ad vaſorum extrema per-

venit, ſi nimiâ copiâ reliquas ſanguinis partes ſolvit & ſeparat, extranei inſtar corporis ſtimulum minutiſſimis vaſis impertit, eaque ſtringendo convulſivè arctat. Præcipuè verò in pulmonibus ubi vaſa arctiſſima & ſpatium breve, aëris dilatantis atque conſtringentis adminiculo indigent, res evidenter conſpicitur, undè frequenter adeò illis qui ſeſe liquidis nimis ingurgitant, accidit intolerabilis ſuffocatio; donec aut proſiluerit ſudor, aut ingens urinæ vis à redundanti liquido corpus liberaverit. Sed ſi moderatè & aſſiduè leni mixta mucagini ita oſcula lacteorum ſubierit aqua, ut dilutiorem tantummodò faciat ſanguinis molem, ipſique adhærendo miſceatur, tunc tenuior tantùm exurget nutritio, & minutiſſimi vaſorum penicilli aqueo latice ita imbuentur, ut laxiores evadant, adeòque vibratoriam oſcillationem pro tempore amittant. Hinc eſt quòd Medici nunquam aquam ſimplicem ſuadeant potandam, Naturæ obſervatores, ſed ſemper aliquid tenue quoddam ſaponaceum aut leviter mucaginoſum illi ament adjungere ad dilutionem efficiendam.

Huc verò obtinere poſſunt locum, decocta herbarum ſimplicium eſculentarum quæ nullam niſi maximè moderatam virtutem obtinent, ſaponaceam illam; ut ſunt foliorum Graminis, Lactucæ, Betæ, Spinaciorum decocta, aut ea quæ vim ſimul diureticam dum obtinent nimiam aquæ copiam per urinas avehunt, nec minùs ſtimulantes cicurant & mitigant ſales. Huc olera ferè omnia referuntur, præſertim amarore levi infecta, Cichorea, Intybus, Taraxacum, aliaque ejuſdem

generis, quæ aut aquâ coquuntur, aut alimenti loco, ſolidioribus cibis ſubſtituuntur. Acredinem ſimul tenſioni concitandæ aptam tollunt, hordeacea, farinacea fermentata, avenacea, emulſiones leves, ex ſeminibus frigidis ſic dictis, quæ paucam admodùm ſalis quantitatem oleo mucaginoſo tenui remixtam continent intùs. Adduntur his frequentiſſimâ praxi, tenuium animalium levia decocta, ut pulli, ranarum, vituli quæ multâ aquâ acceptâ tenuem atque levem ipſis virtutem mucilagineam infundunt. Hæc omnia ampliſſimam diluentium ſegetem conſtituunt, variâ ratione, pro ætatis, nativæ conſtitutionis, ventriculi vi, adhibendorum. Nec indè excludenda ſunt acidula & acido dulcia, quæ ex ſucco, aut ſyrupo fructuum horæorum, aut aurantiorum conſtant, nec limonea mala aut citrea ipſa, ſi tamen prædominans acida pars pungens, doſi ſacchari ſufficienti retundatur.

Indè verò ſatìs deducitur eſſe vulgò Melancholiâ nerveâ laborantibus victum imbecillimum inſtituendum, illum verò qui è valentioribus conſtat, ut cum Antiquis loquar, fugiendum. Renovandos tamen eſſe liquores, ne torpeant, ne acredinem ab attenuatione concipiant, ne excrementa intra corpus retineantur. Hinc illis ſi peccandum eſt, paulò pleniori potiùs diæta peccantibus ignoſcendum, quàm iis qui præconceptâ opinione ducti ſeſe jejuniis macerarent. Quod vitium tamen pleriſque Melancholicis familiare eſt, cùm omnia tuta timeant, cùm eos omnes terreant auræ, & examinet vel leviſſimum incommodum. Potum ex aquâ ſimplici præferen-

dum eſſe ſentitur, aut ſi conſuetudini, quam ſemper ſacram habemus, concedatur vinum, quod ſatiſcentes exhilaret, ſit potus ſaltem ex vino oligophoro, pauco, aquæ admixto, ne ventriculum gravet latex aqueus. Cane verò & angue pejus habenda ea pocula, quibus Aſiatica luxuries Europam infecit, Caffe, Chocolata, quorum prius oleo tenuiſſimo turgidum, ſpirituque fixiori dives, inflare venas, ſanguinique partes oleoſas conciliare aptum eſt; alterum verò niſi aromaticis ſcateat, craſsâ mucagine ponderoſum, vires enervat potiùs quàm vaſa laxat: nec fidendum herbarum aromaticarum, adſtringentium uſui, ut eſt Sinenſium Thea, quæ ſaltem ad minùs aquâ copioſiori peccant.

Si curationem completam à diluentibus quæſieris, certè plus victu quàm medicamento agendum. Ipſa verò potio laxans, præſertim antiſpaſmodicis levibus, de quibus poſteà agemus, mixta, calida ut plus laxet, quandoquidem omnia actu calida laxant, parvâ ſimul copiâ paroxyſmo medebitur.

Generatim verò quæ à nativâ conſtitutione pendet Melancholia, vix auxiliis hiſce auſcultat. Ea verò quæ in corpore minùs prædiſpoſito naſcitur, à causâ vehementi, ut eſt animi affectus vehemens, ſæpè hacce methodo tollitur. Sanctiſſimè aſſeverare poſſum mulierem illam, quæ ab ancillâ antè oculos in puteum ſe immergente, in eumdem furorem inciderat, ſolo ſeri lactis quotidiano ad libras uſu, per menſes integros tres epoto, ſine ullo alio medicamine ad integram & inculpatam ſanitatem perveniſſe: nec unum hu-

juſmodi exemplum afferre me poſſe. Nocuiſſe verò me fatebor ipſe, quoties ſymptomata nimiùm ſatagenti diligentiæ fucum facerent. Nec cibi ſolùm, aut potus medicati laxationi inducendæ conducunt. Qui Phyſica norit, illicò ſentiet quantùm poſſit in tenſione tollendâ incumbentis athmoſphæræ efficacia, quæ vaporibus per eam diffuſis ita ſcatet, ut nulla ſit ejus pars quæ non aquâ redundet, & eâ ita imbuatur, ut ferè momento temporis ſalibus ſicciſſimis fluorem conciliet. Hinc tenſione atque ſiccitate laborantibus adeò confert, fluvialem haurire aëra, aut pratenſem, florum odorifero halitu fragrantem. Hinc ipſis adeò prodeſt matutina deambulatio, cùm naſcente fœcundiorem elicit rorem ſol jubare. Hinc etiam Antiquis fuit inſtitutum, ut marcore ſicco fatiſcentes, & florum ad inſtar exuſtarum emarcidos, leni in placidi fluminis alveo navigatione reficerent. Ipſis certè fumoſarum urbium ſtrepitus, & aër putredine effœtus plurimùm nocet, quibus contrà priſtinam vim afflat, ruſticus, campeſtris & verè vitalis aër. Norunt id Angli, quibus Londinenſis fumus ſiccitatem adurentem inſpirat, quem tollit ultra maria in finitimas regiones, ſalutare exilium. Exercitatio animi, diſtractio ſimul imperanda. Nec prætermittenda lenia domeſtica balnea non nimis tepida, quæ morbum ſimul & diſpoſitionem ad morbum tollerent, ſi ad Antiquorum morem ea adhiberi ſineret Recentiorum impatientia. Sed jam iis peractis, fatendum eſt reſtingui quidem incendium, ſed latere ſub cinere favillam, niſi ſimul ingenti ſtudio fibrarum roborationem inſ-

tituamus, quæ in quo conſiſtat ex præſentibus ſatis eſſe intellectum confidimus.

Laxationis verò ſpecies alia eſt, quâ ſenſus fibrarum retunditur, motus hebetatur; ſed quia hæc genera remediorum ſymptomata potiùs, quàm morbum ipſum attingunt, de iis peculiari agendum eſt titulo; primò ſcilicèt de ratione ſymptomatum ſenſuum ſanandorum agentes: ſecundò verò de mobilitate, ſeu ſpaſmis compeſcendis, quoniam pro diverſo morbi genio atque varietate cauſæ in hunc illumve affectum Melancholia nervea prona delabitur.

§. II.

De tollendis Senſuum Symptomatibus.

Ut in primâ Melancholiæ nerveæ ſpecie ſenſus intendi poſſunt, ſic in alterâ pervertuntur. Verùm ut nullâ ratione ultrà modum intendi poſſunt, quin etiam brevì peſſumdentur; erroris rei non erimus, ſi utramque ſimul complectentes Melancholiam, tres diſtinguamus in peragendâ hujus ſymptomatis curatione gradus, quorum primus intenſam tantummodò comprehendat ſenſuum acutiem; alter ad delirium uſque imminens auctam exequatur: tertius demùm perverſam ſimul vel à levibus initiis ad uſque ferociſſima deliria perducat. Sic enim eodem titulo quidquid quoad ſenſus peccare poſſunt, comprehendetur.

In primi gradûs adornandâ curatione duplex corporis ſtatus perpendendus eſt. Vel enim naſcitur augmentum illud in ſenſuum exercitio, à

ſubito & inſolito agentis cauſæ impetu corpus ſimul atque animam invadente & convellente, vel à longo tempore contracta intemperies quaſi jus civitatis in corpore adepta mentem lento aſſultu invaſit.

Prima illa mutatio ſenſibus impulſionem novam impertiens, ab animi affectibus ſemper naſcitur, validis illis quidem & machinam conturbare natis, ſi in minus reluctantem incidant, & inſidiis ex nativâ imbecillitate patentem. Sic mortis præſens periculum homines extra ſe rapit, ut omnes terreant umbræ, ſtrepitus omnis concutiat aut reſolvat; tunc ſimulachra miris modis pallentia aſſurgant, oculis obvertantur falſæ imagines, quas vix ipſa ratio diſcutere poteſt. Sic fulminis fragor & aſpectus erethiſmo univerſali & quaſi cataleptico plures occupavit. In quo & circulationis ſanguineæ, & nervorum actionis quaſi fit interruptio plenaria, momentanea quidem, ſed maximè metuenda, imò & neceſſariò exitioſa ſi durabilis foret illa, undè etiam iis quibus ſæpiùs ſimilis timor incidit, polypoſæ concretiones in maximis propè cor vaſis contingunt, ibi ſcilicèt, ubi renixus in vaſis major, impetus maximus, adeòque condenſatio & adductio ad ſe invicem principiorum ſanguinis facilior.

Hinc ergo iis quibus ſimile quid incidit, prima Medici cura eſſe debet, ut forti aliquâ ſenſatione occupati & in unum velutì defixi objectum ſenſus non erigantur tantùm, ſed avocentur atque avertantur ab eo quòd ipſos nimiùm detinet terriculamento. Imò cùm periculum ſit ne ultrà modum intenſus ſubitâ impreſſione tonus

miſeros in animi deliquium agat, ſtimulantia, vel levia, vel fortiora pro morbi gradu, in primo inſtanti adhibentur. Talia ſunt ſpiritus aromatici, maximè volatiles per vini ſpiritum redditi, quales ſunt famoſi ſpiritus Meliſſæ, Majoranæ, Mari, Lavendulæ, Roris marini, aliorumque ſimilium, quæ vel per nares, quâ breviſſima eſt ad nervorum centrum via, adhibentur, vel in os intruſa, totam ſimul machinam exſtimulant. Tum verò ut fortiora uſurpantur ſalia volatilia, aromaticis juncta, vel acida illa, ut acetum radicale, aromaticum, vel alcalia, ut illud quod ex oleo ſuccini & alcali volatili conflatur. Per horum efficaciam, ſublatâ causâ, vulgò brevì in priſtinam integritatem corpus revocaretur, niſi obſtaret ab erethiſmo revincta ſanguinis circulatio, cui promptam affert medelam venæ-ſectio maturè inſtituta, quæ dum celeritatem ejus impetui addit, inſtaurat ſimul libertatem vaſorum & erethiſmum laxatione commutat.

Hæc vulgò ad eam impreſſionem ſubitam tollendam ſufficiunt, ſaltem ſi abfuerit cauſa effectui renovando ſemper renaſcens. Verùm aliquandò cauſa ſubitò invadens, longam ſuî notam inuſſit, quæ niſi maturè fuerit arte ſublata, poſteà vel optimè inſtitutis obſtabit medicaminibus. Sic frequens terror timidos effecit, aut totâ vitâ tremulos. His jam non ea competit methodus quæ in ipsâ invaſione præſidium attulerat; longa venit uſurpanda curatio. Perindè verò eſt aſperam molienti methodum, ſive cauſa vehemens triſtes inuſſerit afflicto corpori reliquias, ipsâ causâ magis durabiles, ſive lento errore proſerperit,

obſtinatâque

obſtinatâque agendi normâ ſenſus vitiaverit atque peſſumdederit, modò cauſa externa in ſenſorium commune egerit, effeceritque mobiles ægrotantes. Utraque ſive à vehementi malo deferveſcente relicta ſit, ſive lentè contracta, diverſionem per ſopientia, avocantia, diſtrahentia, occupantia poſtulat, imò & antiſpaſmodica ſibi repoſcit, de quibus mox agendum erit : tum verò antè omnia medetur malo, longiori tempore ſervata ſumma animi atque corporis tranquillitas, quâ omnes arceantur cauſæ, quæ aut inflictum vulnus patulum ſervare, aut cicatricem inductam refricare poſſint.

Ipſi enim animo ante omnia imperitare Ars debet ; hinc proderit etiam aliquandò ad alia mentem ſenſu regulari occupare, qui vel horrendis bellorum in periculis, præſentem intentante mortem cruento Marte, Muſices effectus eſt. Carminantur veluti animi, & ſpaſmus ſpaſmo ſolvitur ; ingens enim enaſcitur pretium, languidulam mentem exſuſcitare, erigere, à ſe ipsâ retrahere, cùm ſibi relictam furiæ circumdant feroces, aut larvæ triſtes ; ſedemque priſtinam, affectibus edomita atque ſubmerſa, fugax ratio deſeruerit. Quod & ſpectaculorum varietati ſæpè debetur, quæ pectus angunt inaniter, irritant, mulcent, implent terroribus falſis, & modò Thebis, modò ponunt Athenis ; nato enim animi affectu prior tollitur atque ſublevatur.

Nec vetant Medicorum libri aliquem ſenſibus nimioperè auctis ſoporem, & quaſi hebetudinem aliquam conciliare, quod fit præſertim medicamentorum anodynorum & ſoporiferorum uſu,

quibus ſi laxantia & diluentia adjungantur, cum ſanativâ curatione palliativam junxeris.

Anodyna verò propriè dicuntur quæ dolorem ſedant; ſed ſi ſenſum tantummodò obtundendo agant, narcotica dici merentur, quòd obtuſo ſenſu ſomnus obrepat torpidus ille & iners, ex ipsâ ejus ideâ, neceſſariò hebeſcentes ſenſus devinciens.

Hæc porrò quâ ratione agant inquirere longius foret, nec aliquid incerti hîc obtrudere alicujus eſt pretii; ſufficit tantùm ſi ſciamus ea ex ſucco papaveris inſpiſſato præſertim, ſaltem quæ adhibentur internè, conflari. Illa porrò evidenter caput gravare, oculos quaſi reluctantes claudere, ſenſus ita obtundere, ut jam nec ſenſui, nec dolori pateant. Sed primùm, ut ex Homero ipſo conſtat, homines ad omnia alieni, indifferentes fiunt, pericula obliviſcuntur, mœſtitiam deponunt, imò cædes parentum prætervideant. Poſteà verò ſopore vel inviti occumbunt. Ea pro variâ illorum doſi variè agunt; plus minùſve perdurat ſomnus indè conciliatus, ſed obſervatio docet ab ejuſmodi ſopore diſcuſſo, langorem torporemque plures adhuc per horas continuari, ſensìm tamen ſensìmque diſſipari; remanente poſteà tremore, qui in uſu opii continuato in habitum vertitur, & atoniâ, qualis in ebrioſis vini actione difflatâ ſæpè invenitur.

Nec tamen deeſt opio atque narcoticis vis quædam irritans & convulſiones arceſſens, cui quidem in ejus uſu ad Melancholicos applicando, ſummè attendendum eſt. Multis enim, oris diſtorſiones, tendinum ſubſultus infert, imò & in

multis nedum ſomnos inducat, furorem inſpirat deliriumque. Undè quod nunc pro remedio ponimus, inter nerveæ Melancholiæ cauſas, à nobis recenſitum fuit.

Convulſificum illud obſcuriùs forſan in opio deprehenditur, at multò clariùs & ad evidentiam uſque in præparatis illis quæ Indi, opio debiliori ſubſtituunt, ut ſunt *Bangue*, *Pouſt*, aliaque quæ Bernerius memorat, ex ſolano furioſo, Hyoſciamique variis ſpeciebus conflata atque compoſita. Hæc aliquibus veneni titulo propinantur, ſed aſſuetis in quotidianum uſum cedunt, ut ſcilicèt quibus vini uſus habitu eviluit, advocatur in uſum vini ſpiritus.

An ergo adhiberi debeat opium aut papaveris vis narcotica ad ſopiendum acutiorem ſenſum ambigitur. Huic verò quæſtioni habitâ ratione cauſæ reſpondetur. Ecquid enim de horum vi ſoporiferâ metuendum eſt, ſi ob animi affectus malum enaſcitur? Quoties ab intemperie ſine materiâ mens divexatur, juvare debet narcoſis, dum mens ab inſano furore avertitur, conceptaſque amittit ideas. At ſæpè cauſa ipſa obſtat eorum uſui, ſi ſcilicèt humor aliquis exitum aut abſceſſum moliens concitando morbo favet, ut arthritis retropulſa, impetigo, &c. opium enim ſecretiones omnes arcet & quaſi alligat. Si plethora adſit vaſa cerebri diſtendens, nocet. Si demùm in ipſam cerebri arcem cauſa deſævierit, ipſique intulerit inſidias, narcoticis negatam quietem quærere nefas. Ut ergo prognoſis, ſic curatio à cauſæ cognitione pendet, ad quam ergo ſedulò attendendum. Hanc ego in opii ad ſenſum retunden-

dum exhibitione regulam mihimet ipſi ſtatuo. Si gradus mali immodicus ſit, tunc tutum eſt ad eum confugere, extrema enim extremis medentur. Nec minùs ſi æger in intervallis ſanus eſt, tunc enim nihil latere ſentio quod ſupprimere metuam. Si ſenſu licèt immodico, functiones parùm à nativo tono deſciſcant; ſi demùm patentes atque liberæ ſunt viæ, per quas vacuatio altera alteri ſuppleat. Statuta eſt à Ballonio noſtro lex illa ad quam attentos velim eſſe quicumque opio uti volunt, ut nec exhauſto, nec repleto offeratur. Exhauſtis enim ſæpè convulſiones affert, repletis verò minatur hebetudinem.

In genere incipiendum eſt à doſi minutiſſimâ, ne ſi plus convulſificâ vi agat opium quàm narcoticâ, quod non raro in nerveâ debilitate laborantibus accidiſſe vidi, verè nocivum ſit, ſed contrà ob minimam doſim facilè emendetur noxa illata.

In eâ erant opinione veteres Medici, quòd opium quarto gradu frigidum foret. Undè ipſum aromaticis, cardiacis, ſtimulantibus emendandum voluêre. Hinc Hippocrates qui Mandragoræ radicem libentiùs offerebat, vix utebatur illâ papaveris lacrymâ, cui poſteà regionum, quas olim peragravit, incolæ adeò aſſuevere. Eos verò in eâ opinione erraſſe ſatis demonſtravere Recentiores. Verùm cùm ſiſtat ſecretiones, motumque ſanguinis interrumpat opium, ea in id conſpirabat miſcel, aut ſenſus ſoli ſopirentur, ſtimularentur verò organa ſecernendis liquoribus efformata & ad ſecretionem ſollicitarentur. In eo quidem conſentientem me habebunt qui hanc

Veterum ſervandam methodum autumant. Jungi enim narcoticis pro re natâ diuretica, laxantia, Artis eſt. Imò cùm negari non poſſit latere in opio facultatem, quâ convulſiones accerſit, plauſu excipiendam crediderim illorum opinionem, nuper à cl. Garnerio Medico Lugdunenſi experientiæ teſſerâ comprobatam, qui autumant gummi fœtida, qualia ſunt Aſſa fœtida, Caſtoreum, Myrrha, verum eſſe convulſificæ illius proprietatis antidotum.

Præter opium & plantas illas ex eodem genere narcotico venenoſas, quorum uſus apud nos infrequens & inſolitus eſt, apud Indos verò varias ingrediuntur compoſitiones quibus ſeſe inebriare, vino per Religionem defraudati ſolent; Mandragora, Hyoſciamus, Solanum furioſum, aliæque hujuſmodi, ſunt etiam aliæ quæ temulentiam quamdam inducunt, adeòque ſenſus ſopiunt ſubſtantiæ, ut eſt Camphora, camphoratæque plantæ omnes quibus ſcilicèt vel in foliis, vel in fructibus vera concreſcit Camphora, experimentis rem demonſtrante poſt Neumannum Cartheuſero (*a*); hujus ſunt generis Crocus, Salvia, Thymus, Juniperus, Cardamomum, Galanga, Zingiber, aliæque plantæ pariter multæ, quas & odore & colore agnoſces experimentis Hoffmanni (*b*), Neumanni, Cartheuſeri fretus.

Hæc porrò ſedantia omnia vim tonicam atque cardiacam obtinent, & ut Veteres loqui amabant, calidam, undè ipſa opio jungebant. Verùm vim ſedantem opii augere nata, cardiacam

(*a*) V. Neumann. in Miſcellan. Berolinenſ. II. p. 72.
(*b*) Elementa Mathem. Med. ſect. 12. §. 9. Tom. III.

ejus facultatem ſummoperè extollunt; locumque obtinent in cauſis quibus fibræ aut præ ſtricturâ agendò impares, aut atonæ & inertes præ ſpaſmo præſente evaſerunt. Opium igitur in ſedandis animi affectibus violentis, eorumque compeſcendis effectibus, locum obtinere poteſt, mœrori verò, mœſtitiæ lentiſque affectibus cardiaca illa medentur, ſive ſola, ſive opio juncta. Indè etiam in veteribus diſpenſatoriis pulveres atque boli lætificantes reperiuntur, titulo certè ambitioſo, quanquam & apud vetuſtiſſimos Autores talia medicamenta olim viguiſſe teſtis eſt ingeniorum fons Homerus, cùm apud Odyſſeam Helena dolentes nimioperè & Menelaum & Telemachum compeſcat, dato medicamento, quod νηπένθες τὲ ἀχολόντε vocat, & cujus ea erat virtus, ut de morte propinquorum vix quiſquam poſſit affici, vel ſi eodem quo medicamentum ſumptum eſt die, omnes occubuerint.

Verùm in eo Ars tota poſita eſt ut ſua cauſæ opponatur, & effectui medela, nec alia aliam prævertat. Opium ſolum dare atonis & languentibus, malum. Cardiaca ferocientibus pro veneno ſunt. Utraque ſimul in mœſtitiâ & erethiſmo univerſali miſcere, ſæpè Artis eſt. Doſis verò gradui mali ſemper eſto proportionalis.

Verùm antè alia omnia quæ motus animi melancholicos nata ſunt compeſcere, vinum primas obtinet, & omnes alii liquores quos aut cerealium aut pomorum fermentatio produxit. Circà quos illud idem quod de opio modò dicebamus, quæri poteſt, quâ fiat ratione, ut eadem intrà mali cauſas recenſita ſubſtantia, nunc inter

ejuſdem remedia locum affectet. Cui quidem objectioni reſponſum erit idem. Scilicèt ſenſus ſopiendo agit, ſymptomatique medetur, licèt pluribus Melancholiæ nerveæ cauſis adaugendis conducat vinum. Sed jamdudùm mero curas pellere familiare eſt, ex quo primùm Noachus ſeſe vini abuſu in ſomnum ſolvit. Hinc Bacchus lætitiæ dator dictus, hinc in ejus feſtis choreæ, paſſis crinibus ſolutâque zonâ à mulieribus inſtitutæ, longè latèque à Melancholiâ abludentes.

Primus medicinalis vini effectus eſt, robur atque firmitatem fibris conciliare, undè tremores ſanat, atque animum intendit, quâ ratione poti milites ad prælia capeſcenda, ſpernendaque pericula promptiores ſunt & alacriores. Tum verò majori ſumptum doſi lætitiam effrænem inſpirat, omniaque perpetranda ſuadet quæ alioquin viderentur inſana atque riſu excipienda. Auctâ doſi brevì delirium inducit, genua ſolvit; poſteàque abire cogit in ſomnum profundum, ſtertoroſum, veterno apoplectico ſimile, quem ſæpè aut febris, aut quod peſſimum ſi febris accendi neget, excipit apoplexia.

At verò id vino quod & opio commune eſt, ut ipſi natura aſſueſcat. Hinc ut idem ab eo ſequatur effectus, ſequitur ſensìm doſim eſſe augendam; undè homines qui ſe quaſi ad vina perdenda natos credunt, integra quaſi dolia exhauriunt, brevìque & in Melancholiam & in graves morbos delaberentur, niſi in ipsâ mali cauſâ remedium quæreretur.

Per vini igitur efficaciam rarefit ſanguis, nervi arriguntur & oſcillant. Verùm ubi deferbuit fer-

vor ille, quaſi à ſpaſmo univerſali, remanet univerſalis atonia. Hinc nova merum hauriendi neceſſitas exurgit. Et novi non unam melancholicam ex delicatulis, mulierem quæ in publicum prodire non poſſet, niſi hauſiſſet aliquid vini. Augebatur illa doſis quotidiè, & eò una ex iis pervenerat, ut quoties ipſi aliqua agenda foret in civili ſocietate perſona, lagenam integram abſumeret. Hinc verò menſtruæ vacuationes enormes aderant, & tremor atque trepidatio ſolo vino tollenda. Imminui ſensìm hanc doſim curari. Poſteà vino penitùs ſublato, Camphoræ in infuſo Juniperi intinctæ uſum ſuaſi, deindè aquam puram pro potu, quo facto, convaluit illa, & ſine ullis Melancholiæ nerveæ reliquiis ad ſanitatem reſtituta eſt.

Patet indè moderatum vini uſum pro curarum lenimine, & palliativâ Melancholiæ medelâ haberi poſſe. Abuſum ejus ſummoperè noxium eſſe, & morbum maximè adaugere, cùm univerſa ejus actio hinc ſpaſmo, illinc atoniâ comprehendatur. Poſſe ergò actionem exercere ſalutiferam in animi affectibus languidis, præcipuèque in timore importuno, cum ſucceſſu adhiberi. Opium ſuppleri à vino, vinum ab opio. Aromaticam etiam virtutem ab illo exeri. Præterea verò diverſæ ejus qualitates introſpiciendæ ſunt, oleoſa ſcilicèt vina, ſeu phlogiſto, & partibus ſpirituoſis intra oleum revinctis ſcatentia, plus ſedant. Minùs verò, ſalina, aquea, oligophora, quæ plus pungunt atque ſtimulant, minùs verò in caput feruntur, ſed ſummoperè notandum eſt quòd, ſi atoniam ſolam exceperis, omnibus Melancholiæ

nerveæ cauſis æqualiter nocet, adeòque non ſine ſummâ prudentiâ eſt uſurpandum, tonici potiùs quàm narcotici titulo : quanquam ſummi etiam aliquandò pretii fuerit, vino laſſatos, fatigatos, timentes, ſanaſſe, teſte eodem qui laudibus vini vinoſus arguitur, Homero.

Jam verò ubi ad vehementiſſimum gradum exarſit Melancholia nervea, ſenſuum acutiem ſummoperè evehens, non jam illa ſimplex dici poteſt, ſed vehementiâ ipsâ ſuâ ſenſum pervertit, & peſſimum morbi noſtri genus conſtituit. Tunc verò acutorum morborum in morem efficaciſſima & maximè præſentia ſibi remedia poſtulat. Cautè tamen & parcè cum venæ-ſectione agendum, cùm ſæpè obſervatio docuerit eò plus exardere ſymptomatum qui in ſenſus agunt ferociam, quò plus ſanguine exhauritur æger. Nec tumultus illi à rubrâ ſanguinis parte pendent, aut eâ ablatâ compeſcuntur, ſed proſunt laxantia, præſertim balnea, forſan etiam & gelida illa, quæ non tantùm diluunt, ſed & roborant fibras, eaſque dum tono univerſali & in omnes æqualiter partes diffuſo conſtringunt, prohibent ne jam frænis remotis vagæ proſiliant. Prætereàque, febrim, ubi calido lecto excipiuntur ægri, accendunt, quam ſpaſmis quibuſlibet hoſtem eſſe infenſiſſimam alibi & obſervatione & ratione probatum confidimus. Certè ſi aliquis in Arte caſus eſt in quo famoſa illa Anglorum balnea famam ſuam ſervare poſſint, ille eſt in quo nulla peccat materia, immanes tamen effectus corpus omne à ſtatu ſano dejiciunt. Quod tamen non impedit quominùs caſus ille ipſe nobis juſtas de veterum

balneorum deſtructione querelas excutiat, in quibus, ut diximus, artificioſa quædam febris intermittentis ſpecies concitabatur. A quâ efficax nerveis concuſſibus Medicina patebat.

Sopientia verò, lenientia, diluentia, quod curationis reliquum eſt, implent, nec aliud ſpondere de ſe Medicina poteſt, niſi quod Arte præpoſterâ, vacuantium repetitione, aut abuſu noxio, malum non augeat, ſolo temperantium uſu ſanandum: modò tamen frequentibus convulſionibus, ſpaſmis, alia non poſtulaverit remedia, quæ nunc expendere ordo nos inducit.

§. III.

De tollendis Motûs Symptomatibus, ſive de Antiſpaſmodicis.

Spasmum tollere altera eſt quàm ipſa Melancholiæ nerveæ eſſentia adimplendam poſtulat indicatio. Hæc in motu nerveo componendo tota conſtat. Nec credas ſenſus ſopire & eorum retundere acutiem, idem prorsùs eſſe atque motibus ſpaſmodicis imperare. Multùm ſcilicèt inter ſe ſymptomatum utrumque genus abludit, ergò & inter antiſpaſmodica atque anodyna eadem intercedit differentia. Nec illud argumentum forſan erit imbecillimum ex iis quæ probare videntur, alios dari nervos ſenſui ſacratos, alios motui unicè intendere, ſuaſque utrique generi leges eſſe conſtitutas, quas ſera forſan olim deteget poſterorum induſtria.

Vis enim antiſpaſmodica aliquandò narcoticæ jungitur; ſed plures ſunt ſubſtantiæ quæ dum

ſenſus conſopire valent, ſpaſmos potiùs intendunt. Id de opio antè omnia verum eſt. Huic princeps virtus eſt ſoporem inducere, ſed in ipſo ſopore fibras alternis convellit, tremulas facit, imò & tetanodea membra animalium opio mactatorum vidi. Venerem intendit, quæ ſpaſmi genus eſt; imò & ſi maximâ doſi ſumatur, concitat vomitum, ne deſit aliquid quod virtutem quâ ſpaſmos inducit, diſſimulare poſſimus. Temulentia verò omnis quæ à vinis, ſpirituoſiſque inducitur, nonne ab acri & irritante materiâ pendet, quæ phlogiſto referta, ſanguineo latici præcipitem curſum, ſed inertiam nervis infert, quod & ipſe phlogiſticus carbonum vapor potenter efficit.

Quid ultrà cognita hîc exempla producam; & Tabaci ſeu Nicotianæ, quæ non minùs narcotica eſt quàm irritans, & venenorum illorum quæ ex napellorum, aut ſolanorum infami claſſe deſumuntur. Quæ veterno inducto cum convulſionibus, horrendis vomitibus & inteſtinorum ſtricturâ necant. Nec ab ipſo antimonio, cui pars phlogiſtica virtutem emeticam imprimit, abeſt vis narcotica à clariſſimo Monro in Actis Edimburgenſibus ad evidentiam perducta, & quam mihimetipſi odorari non ſemel contigit, cùm ſæpè qui ſumptâ tartari ſtibiati aliquâ doſi vomunt, inter vomituum intervalla altè dormiant. Si verò ulteriùs animadvertere fuerit animus, quantùm à ſpaſmo differat ſenſuum exercitium, ſoporiferos ipſos morbos contemplari licebit. Aliquandò enim reſolutâ unâ corporis parte, altera convellitur. Vidi acu punctum brachium

paralyticum nullam exercere ſenſationem, ſed tamen immodicè convelli.

Antiſpaſmodica igitur, ſi propriè ſumantur; ea ſunt corpora quæ etſi ſpaſmi cauſam occaſionalem non attingant, ſpaſmum tamen tollunt. Quâ agant ratione ita exponere, ut nihil theoriæ deſit in tantâ rerum obſcuritate, nondùm conceditur. Satis erit ſi certam experientiæ teſſeram verbis veritatis expertibus, ſubſtituamus.

Antiſpaſmodica porrò duplicis generis in hanc Medicæ materiæ partem inquirentibus occurrunt. Alia merè & ſimpliciter ſpaſmum reſolvunt, hac ſublatâ actione, nullam prorsùs aliam in nervos obtinent. Alia verò roborantem vim ſimul exercent, ſeu potiùs vi ſolâ roboranti agere videntur.

Priorem claſſem conſtituunt volatilia illa ex animalibus deſumpta, vel naturam animalem æmulantia quæ hanc ita implent, ut nullum ſit verè dicendum antiſpaſmodicum, quòd non ſit hujus naturæ particeps; ita ut tollendis illicò ſpaſmis animale regnum ita dicatum ſit, ſicut ſolvendo auro aqua regia ſola competit. Remedia autem illa ſuppeditantur ex alcali volatilibus quæ vi ignis ex animalium partibus eliciuntur. Qualia ſunt corni cervi, ebur, & alia quæcumque, ex quibus ea elicere Chymia edocuit. Ea quidem ſalia addito oleo volatili ex aromaticis plantis aut bituminibus elicito, vim novam acquirunt, ſed agunt ea olea dum fixiorem atque conſtantiorem virtutem ſali per ſe volatili maximè conciliant, Hinc meritò prædicatur ad ſpaſmos reſolvendos liquor corni cervi ſuccinatus, aliaque hujuſmodi compoſita quæ in officinis reperiuntur.

Potentiora ſunt animalium olea ingenti atque multoties repetitâ ignis torturâ elicita ſecundùm Dippelii methodum, quæ eò volatilitatis atque fragrantiæ pervenere, ut longè latèque ſpecificum odorem diffundant; adeòque tum propriâ volatilitate, tum naturæ analogiâ in intimos uſque & ſubtiliſſimos nervorum meatus penetrant, illoſque perfundunt non ſine ſummâ & ſubitâ nervorum relaxatione.

Minorem forſan at efficacem tamen maximè exercent potentiam volatilia illa Naturæ ipſo è penu deprompta, quæ hinc hærentia, illinc verè volatilitate ſummâ, maximè exaltata, naturæ animalis principia in ſe recondunt, poſſuntque nomine à vegetabilibus mutuato ſpiritus rectores animalium vocari. Hæc fragantiam obtinent ſummè penetrabilem, ab attenuatione partium pendentem, ſimulque hanc ſuâ ipsâ diviſibilitate fixitatem quâ corporibus præſertim animalibus adhærent, ita ut ab aëre ſepoſita per ſæcula integra, quod ſemel imbuerunt odore corpus, odoratum reperiatur. Talia ſunt Caſtoreum, Zibetha, Moſchus, Ambarum cineritium, quæ vim antiſpaſmodicam ita exercent, ut ſi rectè & doſi non adeò mediocri exhibeantur, nullas non ſolvere convulſiones apta nata ſint.

Ab hocce triplici antiſpaſmodicorum corporum genere animali, ſpaſmos ſolvi atque ſanari, ita familiare eſt, ut exemplis & obſervationibus apud Autores reperiundis diutiùs inſiſtere ſupervacuum ſit. Ipſa nervea epilepſia, non ſemel oleo animali cedere coacta fuit. Moſcho prorsùs ſanatos ſingultus, vomitus convulſivos quo-

tidiana praxis docet. Sublatam imò prorsùs ab ejus uſu hydrophobiam Angli teſtantur. Ambari cineritiæ virtutes adhuc potentiores eſſe plures contendunt. Et quoties conatum ſucceſſus non excipit, doſim nimis modicam, aut naturam morbi malè præviſam non ipſam remedii vim arbitrantur incuſandam. Alcalia verò volatilia nonne quotidianum eſt, ex ipſis vel vulgatiſſimis rebus animalibus quærere? Quoties è plebe virgo aliqua convellitur, tum naribus combuſtas pennas admovent, aut coria fumantia undè ſtrictura removeatur, quæ cura rarò caret ſucceſſu.

Altera antiſpaſmodicorum claſſis, quæ plus roborando prodeſt, quàm ſpaſmo compeſcendo, ex vegetalibus quæritur & illis quidem quæ volatilitate ſuâ aliquatenùs naturam animalem æmulantur, ſive illa ars extuderit, ſive ſuppeditaverit natura. Debiliores tamen ſunt antiſpaſmodicæ ſubſtantiæ illæ, & plus in diſpoſitione ad ſpaſmum tollendâ, robore inducto valent, quàm in ipſo ſpaſmo ſuperando, præſenti & vim ſuam exercenti.

Eminent verò inter præparata quæ debentur ſagaciſſimæ arti, puriſſimus ille liquor quem æther vocant, ſive ex acido vitriolico cum vini ſpiritu unito educatur, ſive ex acido nitri, cui ultimo plus virium videntur tribuere, nondùm tamen penitùs ſuffragante experientiâ. Certè æther ille, Acidum vitrioli vinoſum, ſulphur vitrioli anodynum, guttæ ſub Hoffmanni nomine decantatæ idcircò præcipuè meritò celebrantur, quòd ſummâ quâ donantur fragrantiâ, ita protinùs, altè ſeſe inſinuent, ut omnes corporis partes

attingant, & quod attigêre roborando firment. Hac etiam ſeſe ratione agendi jactat potentem Camphora partìm ex naturæ,partìm ex artis penu deprompta, quæ undequaque per omnem naturam in multas plantas diffuſa, Neumanno atque Cartheuſero rem demonſtrantibus, arte ex iis elicitur. Ut in Roremarino, Salviâ, odoratiſque aliis plantis demonſtrat vel ipſe oculus, quæque idcircò hujus virtutis plus minùſve in ſeſe recondunt.

Alia ſunt etiam non minimæ efficaciæ corpuſcula ad camphoram ut virtute ſic naturâ proxima, quæ ſpirituum rectorum nomine, reſinoſis oleis quaſi incarcerantur, qualia nobis ſuppediditant, Sagapenum, Galbanum, Bdellium, aliaque multa hujuſmodi præcipuèque antè alia, Aſſa fœtida, odore venenato inconcinna, licèt olim menſis adhibita. Illæ quidem ſubſtantiæ ſummâ quâ pollent volatilitate naturam animalem æmulantur; ſed etſi verè ad priorem aliquatenùs pertineant claſſem, ex eo plus roborando quàm nervos compeſcendo, agere demonſtratur, quòd in ſubito inſultu vix aliquid poſſint, morboque potiùs medeantur quàm paroxyſmo.

Si tamen hujuſmodi pauca exceperis, cætera omnia ex vegetantibus deſumpta antiſpaſmodica agunt dum laxitati nervorum medentur, fibraſque ad ſe adducunt. Exempli gratiâ, quid Myrrha in ſpaſmis tollendis poteſt? Quid Terebinthina? Quid Olibanum? Maſtiche? aliaque ſimilia. Denſantur ab illis fibræ, ſtringuntur, tenſioni adventitiæ ejuſque occaſionalibus cauſis obſtant. His præcavetur potiùs quàm ſanatur ſpaſmus.

Recidivæ metus tollitur, adeòque morbo ipſi forſan ſæpiùs plus conferunt, quàm vera ſic dicenda antiſpaſmodica.

Indè verò deducere eſt quòd omnes ferè plantæ quæ cardiacæ atque roborantes dicuntur, niſi ſimul irritantem acrem vim poſſideant, huc referantur. Tum etiam omnes illæ quæ ſubaſtringente aromatico ſapore atque odore donantur, aliquatenùs etiam ſpaſmis obſiſtant.

Primas tenet Valerianæ ſylveſtris majoris radix ad ſanandam epilepſiam adeò decantata Marchantio in Actis Pariſinis; quæ verò eam tantummodò obtinet facultatem, ubi epilepſia nervea eſt & vix in paroxyſmo alicujus eſt momenti. Certè roborans antiſpaſmodica maximi pretii radix, in fibris tenſis atque gracilibus nocet, ut & in metu rupturæ vaſorum atque in erethiſmo quocumque. Prodeſt tantùm in ſpaſmis quæ fibras debilitando novam erethiſmo occaſionem præbent.

Idem prorsùs dicendum eſt de reliquis antiſpaſmodicis roborantibus quæ ex vegetantibus deſumuntur, ut ſunt, debiliori tamen virtute radices Pœoniæ, Viſcus quernus, Flores Tiliæ, Gallii, Primulæ veris, aliæque plurimæ pares efficaciâ ſubſtantiæ, ut flores Aurantiorum, folia Meliſſæ, & Menthæ quæ cum levi antiſpaſmodicâ vi ſummum robur conciliant partibus.

Patet ergò indè in quo conſiſtat quæ inter utrumque antiſpaſmodicorum genus intercedat differentia. Alia ſcilicèt ſpecificâ quâdam & inextricabili per certam theoriam virtute, operationem ſuam exerunt, motus arcent ſpaſmodicos, eoſque

eoſque ſupprimunt ſubitâ actione, ea verò in ipſo etiam vehementiſſimo paroxyſmo ſola poſſunt & debent adhiberi. Alia roborantem vim exercent, quâ fibræ minùs mobiles evadant, arcentque ſpaſmorum reditum, potiùs quàm ipſos ſemel enatos compeſcant. Priora verò ex animalium penu deprompta quæ volatilia & actione perpetuâ circuitûs animalis tenuata, in omnibus æquè conveniunt paroxyſmis ſæpè etiam & in intervallis. Poſteriora verò quæ pendent à ſubtiliſſimâ aromaticâ vi, in vegetantibus latitante, nocent quoties fibra debilis & tenſa ipsâ ſuâ tenſione rupturam minatur, adeòque licèt ſpecioſo ſpaſmorum compeſcendorum titulo gaudeant, nunquàm uſum inveniunt, niſi cum ſpaſmo aliquatenùs juncta eſt atonia, aut ſaltem cùm nulla Melancholiæ nerveæ jungitur irritatio.

Ubi enim præ nimiâ tenſione, præ irritatione affectûs animi vehementis, aut ita repetiti ut ſtimulus impreſſus fibras in motus vehementes adigat, demùm præ causâ qualibet vividiori, nervi convelluntur, unica methodus erit duo in morbo tempora accuratè diſtinguere, paroxyſmi unum, alterum intervalli : in paroxyſmo quidem ea mali vehementia ſæpè eſt, ut metuenda ſit hinc inflammatio, illinc vaſorum ruptura, adeòque venæ-ſectionibus, diluentibus & leviſſimis quidem, cura peragenda eſt. Quibus, niſi rupturæ metus ineſt proximus, niſi in capite præcipua mali cauſa habitet, niſi lethargum mentiatur Prothæiformis morbus, addi poteſt ſopientium uſus. Si veternoſa adſint ſymptomata, ſalia volatilia ex animalibus deſumpta, aut aromatica

quæ ab eodem regno ſuppeditantur, locum inveniunt. Illa, ſi ad palpitationes, tremores, animi deliquia ſeſe devolvat morbus, hæc verò ſi in utero, ventriculo, artubus aliiſve naturalium functionum exercitio dicatis viſceribus, præcipua exerat ſymptomata.

Hinc ad convulſiones atque ſpaſmodicas in hyſtericis artuum jactationes, ſingultum, vomitus inanes, adeò decantatus apud Sinenſes primùm, dein apud Anglos & apud nos Moſchi uſus, qui ſæpiùs feliciter adhibitus, teſte vel confirmatam hydrophobiam curante Nugentio, idcircò ſæpè ſucceſſu caret, tum quòd ſuſpensâ nimis manu detur, tum quòd iis caſibus apponatur quibus non convenit. Animalia enim aromatica illa nocent, ubi delirium, aut ſopor, aut animi deliquia urgent, tunc verò ſola fœtidiſſima proſunt ſalia illa, quæ ex animalium partibus combuſtis proſiliunt. Et nullum eſt remedium quod in omnibus æquè caſibus uſurpari debeat, præter oleum animale Dippelii quod quaſi unitas tum ſalium, tum aromatum animalium virtutes poſſidet, omnemque paginam adimpleret, niſi gracili atque tenſæ noceret fibræ, phlogoſinque inducendo ſæpè, ut vidi, hæmorrhagiam accerſeret.

Intervalli verò tempore de causâ præcipuè morbi, mentio injicienda eſt. Hæc enim methodum medendi indicat. Seu potiùs mutatio illa ſummoperè inquirenda eſt quæ fibras aut ſenſiles, aut mobiles facit. Ea autem mutatio nunc ad tenſionem nimiam, nunc ad atoniam refertur. De primâ egimus, de poſteriore agendum.

§. IV.

De tollendâ Melancholicâ Atoniâ.

MELANCHOLIAM nerveam à fibrarum ſenſui atque motui inſervientium activitate auctâ prorsùs eſſe repetendam, jam abundè probavimus. Hinc effectus ejus omnes pendere à tenſione, atque vibrante partium oſcillatione perſpicuum eſt. Nihil ergò, ubi in actum exeritur, remanet atoni. Sed omnia tenſa, erethiſmo conſtricta ſpectantibus offert. Verùm ſæpè ſæpiùs, ubi compoſiti ſunt ingentes illi paroxyſmorum motus, ſcena omninò varia luditur. Imbecilles enim reperias, languidulos vix actionis potentes, ad omnia ſocietatis civilis munera ineptos. Et ex ſummâ imbecillitate, nullo gradu ad vehementiſſimos feruntur affectus animi, & corporis motus, mirantibus alterna prodigia incautis ſpectatoribus.

Ea autem ex utroque exceſſu combinata corporis atque mentis conditio ita frequens eſt, experientiâ teſte, ut vix unquàm non complicetur aliquid cachectici cum hyſteriſmo, languidæque ſint, pallentes atque tumidæ virgines quæ plurimùm convelluntur.

Nec mirum cùm ex ipsâ rei neceſſitate tenſioni proportionaliter reſponſet atonia, alteraque ſequatur alteram, ut ex priore Operis noſtri Parte demonſtratum confidimus.

Hic eſt & in eo conſiſtit mechaniſmus ille quo alteram Melancholiæ ſpeciem altera invehit; & ſæpè ſæpiùs fit ut qui in primo morbi ſtadio rubeo colore donati floridam & inculpatam præ ſe

gerebant animalem œconomiam, ſummâque donati tenſione videbantur, poſtquàm per plures paroxyſmos fuere exhauſti atque veluti quaſſati, colores illos amiſere, ſed inertiam atque pallorem cum tenſione nimiâ atque erethiſmi effectibus, infelici connubio junxêre.

Hinc ſummæ naſcuntur medicanti anguſtiæ. Etenim dum nimiæ tenſioni retundendæ ſtudet, ſemper illi è longinquo proſpiciendus atoniæ metus. Hæc enim ocyùs aut ſeriùs, pro naturâ corporis aut medicamentorum efficaciâ advenit, undè nunc frænis, nunc calcaribus utendum, quod ſummam & periculoſam certè artem poſtulat.

Sed multis ſæpè ipſa atonia exordium mali fecit, quæque cachecticæ mulieres ſunt, ex ipsâ mali occaſione convelluntur. Idem evenit exhauſtis poſt exanthlatos ſeu mentis, ſeu corporis labores, poſt affectus animi triſtes, poſt jactatam procellis variis vitam. Jejunia nimia poſt ingluviem, deſidia poſt occupatam ætatem, aliæque cauſæ multæ alibi prolatæ, anſam dant atoniæ. Duplex verò in Melancholiâ illâ atoniæ junctâ etiam ſpectandum eſt ſtadium, paroxyſmi alterum, alterum intervalli.

Paroxyſmus tenſionem nimiam ſemper & ſupponit & inducit. Non aliter ergò in ipsâ ejus vehementiâ medicamentis tractari debet, atque ea quæ à tenſione perpetuâ pendet. Niſi quòd Medicus & vacuandæ partis rubræ ſanguineæ avarus eſſe debet, & in diluentium copiâ cautus, ne dum citò tranſituro ſymptomati medelam nititur afferre, cauſæ noceat ipſamque reddat immedicabilem.

Ubi verò intervallum enitet, tunc de mutatione quæ ſupereſt corporeâ cogitandum, & quid illa indicet attendendum eſt. Si enim tantummodò atoniæ metus eſt, & obſcuris ſe prodat illa ſignis, tunc parcè admodùm & ſuſpensâ doſi antiſpaſmodica illa è vegetantibus deſumpta, quæ roborando ſpaſmos tollunt, tentari debent. Remanet enim hinc tenſio nimia, illinc atonia, & ſummoperè ne altera alteram exſuperet cavendum eſt, ne medicina in malum vertatur. Hìc ſæpè factum, ut debiliora potentioribus efficaciora forent. Flores Tiliæ, Gallii, flores Aurantiorum, Mentha, Meliſſa, Marrubium, Atriplex fœtida, Chamœmelum, eorumque aquæ ſtillatitiæ ſpiritu rectore aromatico plantæ refertæ, ſæpè ſummoperè profuêre; poſteà etiam volatiliſſimus æthereus liquor, ſivè ex vitriolico, ſivè ex nitroſo acido cum vini ſpiritu deſtillatis enaſcens, non mediocrem virtutem exeruit, Guttæ ex eâdem diſtillatione elicitæ, ab inventore Friderico Hoffmanno, Hoffmanni dictæ, hìc etiam ſine irritatione medentur atoniæ. Huc refertur plus famâ quàm meritis valens famoſus ille Hombergii ſal ſedativus, cujus naturam nemo cl. *Theodoro Baron* ſagaciùs odoratus eſt; adde etiam ſi lubeat, pulverem Stahlii temperantem. Sed hiſce omnibus medicamentis, ſine gymnaſtices auxilio, vix aliquid proficitur.

Vehementiſſima antiſpaſmodica roborantia competunt intervallis Melancholiæ illius nerveæ quæ adjunctam ſecum habet evidentem atoniam, talia ſunt quæ ex fœtidis vegetantium gummi repetuntur, quæque in Materiei Medicæ Scrip-

toribus ſub hoc titulo reperiuntur, Sagapenum, Bdellium, Opopanax, Aſſa fœtida, gummi Ammoniacum, Galbanum, aliaque plura, quæ tenſionem fibrarum evehunt, adduntque homotoniam, cùm ſimul ſedandis nervis inſerviant. Tum etiam plantæ illæ ſimili virtute præditæ, Crocus, Salvia, Roſmarinus, Camphorata, plantæque omnes odore penetrante non acri, ſed aromatico donatæ, ut ſunt Valeriana ſylveſtris, Pœoniæ radix, Viſcus quernus plus roborans quàm ſedans, aliæque multæ circa quas & Geoffreyus noſter & recentior Cartheuſerus conſulantur. Hæ verò quantumcumque juvare per ſe natæ ſint, nimiâ aquæ copiâ ne diluantur; ne effœtæ intra ſanguinem perveniant, nimiùmque diviſâ virtute agant. Uſquè adeò laxare in talibus malum. Sed ex his conficiuntur extrácta, tincturæ, electuaria, pilulæ, in quibus ars Medici nunc antiſpaſmodica roborantibus jungit, ita ut illa emineant, nunc antiſpaſmodicis roborantia prætollit. Cùm autem formulis hiſce Pharmacopeæ repleantur, illis diutiùs immorari inutile eſt. Nocent hîc quæcumque laxanti virtute donantur, quæcumque diluentia vappido ſanguini præpoſtero conſilio infunderentur, imò & morbum augent, undè nimis univerſali præcepto, ea à nerveis morbis ablegandа quidam præceperunt.

Contrà verò roborantium princeps hîc recenſeri poteſt, Mars ſeu ferrum, variaque ejus præparata quæ virtute ſuâ evidenter tonicâ non ſolùm vires addunt, ſed etiam quaſi exercitii virtutibus ſupplerent, ſi huic ſupplere aliquid poſſet. Mars omnibus ferè corpo-

ribus, quò utilitati noſtræ inſerviat, miſceri ſe patitur, nunc vini ſpiritui, in tincturæ formâ, nunc vino, ejuſque ſpiritus videtur adaugere, & vim roborantem, inebriantem, ſanguinis & ſpirituum motricem ita omninò intendere, ut jure meritòque vinum chalybeatum pro præſtantiſſimo adversùs cachexiam ſpecifico à Boerhaavio commendetur. Quin & natura ipſa ferrum ita diviſit, ita miſcuit, ita fluidis immerſit, ut corpore cæteroquin infirmo atque debili, tenſo atque gracili tutò propinari poſſit, & in mitiore atoniâ queat locum invenire, imò & obſcura ejus veſtigia prævertere. Nam quò leniùs intra vaſa poſſit penetrare, vireſque eaſdem, ſed retuſas admodùm & quaſi frigefactas, in corpora exſucca & arida exercere, non uni aquarum mineralium generi unitur. Quarum aliæ ſalino principio junctæ vim refrigerantem cum adſtringente terreâ Martiali unitam referunt, ſed tonicam ſimul, ut ſunt Forgienſes, imò & quædam Paſſiacæ recentiùs detectæ. Aliæ cum ſulphureâ ſeu oleosâ Martis parte, ſalem Glauberianum nativum, ſalem ſeleniticum, aut alcali nitroſum habent, virtutique tonicæ aperientem facultatem junctam obtinuere. Undè etiam ſæpè purgans ſalinum exhibent, cùm majori ideò cautelâ adhibendæ; quales apud Pariſienſes Paſſiacæ, propè Rothomagum Sancti-Paulinæ, propè Dinannum aliæ celebrantur, imò quales, ut veriùs loquar, ferè paſsìm ubique gradu diverſo, ſed virtute pari occurrunt in Galliâ. An non etiam tenuiſſimo, ſubtiliſſimoque & quaſi in ſpiritum rectorem evecto Marti debetur, halitus ille tenuiſſimus qui ſpi-

ritûs rectoris ſpecie & formâ ex famoſis illis aci-dulis aquis exhalat, ut ſunt Buſſanianæ, & roborante tonicâ virtute, antè alias omnes nominandæ, Spadanæ, quæ firmandis atque roborandis debilioribus nervis ideò palmam reportant, quod cùm inſigne robur addant, nullam tamen irritationem concilient, nullum incutiant rupturæ periculum, & in ſubjectis ferè omnibus poſſint adhiberi. Si enim graciles atque tenſiori fibrâ donatos non perſanent, ipſis tamen vix nocere poſſunt, ſi præſertim à cauto atque prudenti Medico adhibeantur.

Et certè in omnibus hiſce caſibus non minùs attentâ Mendici penſitatione atque prudentiâ opus eſt, quàm medicamentis, quæ ſine arte vix proſunt. Gradus certè medicaminis gradui morbi ita aptandus eſt ut neuter neutrum prætereat, alioquin nedum proſint, nocent. Adeòque virtus hîc in methodo poſita eſt, ne aromaticâ vi comburantur, inflammentur, excandeſiant illi quibus aquarum mineralium vi opus eſt mediocri, ne contrà nimiâ aquæ copiâ obruantur cachectici, laxitate, aut vacuatione vaſorum laborantes. Nec recuſetur cauſæ influxus; ubi enim etiam morbo adverſantur remedia ab illâ poſtulata, ſunt tamen omnibus præferenda. Quod ſequenti Articulo exequi jubet ipſa noſtri inſtituti ratio.

ARTICULUS TERTIUS.

De conſenſu & repugnantiâ Melancholiæ nerveæ cum remediis vacuantibus.

Jampridem notum eſt, & ab Hippocrate pronuntiatum quod ab eo ſanciverunt omnes poſteri, convulſionem non à plenitudine tantùm eſſe repetendam, ſed ab inanitione etiam pendere. Imò ultimam hanc omnibus aliis eſſe periculoſiorem, cùm facilius ſit detrahere quàm addere; detrahit enim Ars, addit ſibi ſola Natura.

Convulſio porrò illa ab inanitione pendens duplici ratione accipi poteſt. Vel quatenùs nimia & præternaturalis ad uſque mortem ſeu ſanguinis, ſeu liquidi cujuſcumque vacuatio, vaſa relinquit vacua, vires prorsùs exhaurit, æquilibrem tollit partium inter ſe concentum, undè nixus atque influxus inæquales, convulſivos motus concitant quales in jugulatis, & jam morti proximis animalibus videre eſt, & quas ipſe in horrendâ ſuperpurgatione atque lethali vidiſſe me memini. Undè his convulſionibus quaſi mortis proſcenium occupatur ineluctabile. Hæ certè convulſiones, medendi methodum vix admittunt, vixque hîc aliquem locum occupare merentur, quamquàm de his præcipuè loqui inſtituerit Hippocrates.

Sed aliæ nimiis vacuationibus acceptæ habendæ ſunt, quas non ita rarò vacuationes etiam mediocres accerſunt. Eæque vel in ipſo vacua-

nis inſtanti apparent, vel eam ſequuntur. Priores ipſius vacuationis videntur effectus, frequenterque iis accidunt qui venæ-ſectioni minùs aſſueti, eam cum timore experiuntur, iis etiam qui ſanguine turgidiores, cruore cum impetu proſiliente, ſubitam per totum corpus æquilibrii mutationem patiuntur; imò multò plures animo linquuntur, ubi ſanguis ſtetit, & compoſitum eſt corpus in lecto, quaſi tunc tantummodò erethiſmus laxaretur. Quod etiam iis familiare eſt qui nerveâ intemperie laborantes vel minimam mutationem ſine nerveo paroxyſmo ſentire non poſſunt. Eæ porrò convulſiones quæ frequentiſſimè in praxi occurrunt, à vacuantibus deterrere non poſſunt, imò ubi à plenitudine ſpaſmus pendet, ſanguinis miſſionem iterandam ſuadent. Eæ enim convulſiones quæ venæ-ſectioni frequentiùs junguntur, rarò aliorum comitantur remediorum vacuantium actionem; in vehementiſſimâ tamen purgatione qualis eſt ea quæ helleboro albo obtinetur, concurrit. Convulſificam hanc facultatem exprobrantibus huic remedio recentioribus Medicis quanquàm expertam non adeò reformidarent Veteres. Scilicèt vacuatio ſanguinis affatìm & maximâ copiâ facta, ſanguinem exhaurit, aliæ verò ſensìm tantùm & per intervalla corpus vacuantes, aptum reddunt ut poſſit diſpendium tolerare.

Enimverò non caret omni infamiæ notâ vellicans illa atque repetita vacuantium actio, quâ aſſueſcit non ali corpus, notante Celſo; nec minimam in inducendâ convulſione perſonam agit vacuatio quæcumque, arte præpoſterâ facta. Va-

cuantia enim nervos ipſos lædunt, ſivè nerveam ipſammet ſubſtantiam adoriuntur, redduntque debiles, & convulſioni idoneos homines potiùs quàm convulſos. Ea autem agunt tonum debilitando, inæqualemque inducendo tenſionem, ſpiritus exhauriendo, mechaniſmo in primâ hujus Operis Parte expoſito, cui ſi addideris irritationem à quâcumque extraneâ causâ inductam, elementa habebis nerveæ Melancholiæ.

Porrò quòd nerveam ipſammet Melancholiam inducit, poteſtne aliquandò huic pro remedio ſuaderi? Certè ſi ad cauſas paulisper juverit attendere, res ipſa evidenter demonſtrabitur.

§. I.

De Venæ-ſectione in Melancholiâ nerveâ.

VENÆ-SECTIO adhibetur, utì jam diximus, vel in paroxyſmo, vel in paroxyſmorum intervallis.

Ipſam in paroxyſmis ſæpè adhibendam eſſe, duce Sydenhamo, quanquàm ipſam horreant principes apud Germanos atque Batavos Medici, pronuntiare non dubitabimus, & jam in tenſionis nimiæ curatione alibi ſuaſimus. Et certè ea eſt ſæpè in paroxyſmis hyſtericis atque hypochondriacis convulſionum totum corpus miſerè concutientium vehementia, ut non ſine terrore ſummo, ne omnia diffracta rumpantur, eas ſpectare fas ſit.

Sæpè violento delirio phreneticorum aut potiùs furentium ad inſtar agitati ægrotantes, oculos, linguam exertam habent, faciem nigram, ſanguineam aciem, ut ſine præſentiſſimo auxilio,

in lethargum aut apoplexiam abituros, aut ſubitâ morte interimendos credideris. Urget anxia anheli pectoris ſuffocatio, ſibilans & arctata reſpiratio vix ſibi per conſtrictum laryngem viam vi facit. Opprimit veternus, pulſant carotides, cruenta ſpuma rictum oris dedecorat. Ecquis erit adeò ferreus, ut dùm recuſat per antiſpamodica, vel præſentiſſima ſolvi ſpaſmus, venam tundere neget. Cùm etiamſi à venæ-ſectione non ſolvatur paroxyſmus, tamen intentatæ arceantur minæ. Certè in hoc caſu, ſi unica, larga, è ſaphænâ inſtituta, malum non tollat venæ-ſectio, nonne ipſam juvabit iterare, donec vel ipſam convulſionem ſolvat animi deliquium. Fatebor me in violentis illis caſibus aliud remedium neſcire. Sed niſi aut adeſſet à mechanico intrà cerebri vaſa vitio epilepſia, aut ſumma debilitas malum intuliſſet, nunquàm ſucceſſu caruiſſe profitebor.

Ingenioſa atque pudica Matrona pulmonum debilitate laborans, ſed ſana cæteroquin, à marito duriùs excepta, in paroxyſmos inciderat ſpaſmodicos. Illi omnes muſculi ſtricti ita obduruerant, ut marmoreæ ad inſtar ſtatuæ tetanodes occumberet. Ipſi ſanguinea circa os ſpuma, mox cruor cum convulſivâ tuſſi copioſus ex pulmone prodiit, hæmorrhagiæ more. Ad ſextam uſque vicem iteranda fuit venæ-ſectio, proſiliebat ſecto vaſe ſanguis ingenti impetu, vulneratam credidiſſes arteriam. Laxabantur ſectâ venâ muſculi, mox priſtinam duritiem ſumebant. Ad ſextam quæ poſtero die fiebat venæ-ſectionem illicò laxata fuêre omnia, & cum animi deliquio protinùs convaluit.

Alteram apoplexiâ cum hemiplegiâ perfectâ, ſed ab accepto gravi nuntio evidenter hyſtericâ correptam, ſimili modo ſanatam vidi. Tollebatur ſymptoma; cauſæ invigilandum poſteà ſuperfuit, ſed pacatis omnibus, tempus ſaltem curationi relinquebatur.

Innumera unuſquiſque Medicus hujuſmodi exempla poſſet ſuppeditare. Nec certè aliâ ratione præſens mortis periculum ſæpè potuit devitari, ideòque fuit adhibendum, licèt ipſi morbi cauſæ nocuiſſet.

Fatendum eſt quòd etſi ſæpiùs portenti ad inſtar levamen afferat venæ-ſectio, aliquandò tamen nullatenùs vel in ipſo paroxyſmo juvet, quod iis accidere vidi mulieribus quæ antè paroxyſmi tempus debiles & exhauſtæ ita erant, ut ab illâ causâ præſertim, morbo nerveo laborare viderentur. In genere vèrò ſummoperè notandum eſt, non eamdem hìc eſſe venæ-ſectionis actionem, quæ in inflammatione eſt, nec levaminis eamdem ſpeciem eſſe expectandam. Sedat pro momento erethiſmum in nerveâ Melancholiâ venæ-ſectio, ejuſque pericula arcet, ſed ſi quid periodici ineſt, vix aliquid ad proximi paroxyſmi violentiam facit, imò aliquandò illum adauxiſſe ita viſa eſt, ut venæ-ſectionem, & me ejus ſuaſorem duriùs increparent territi adſtantes, ſubmurmurante qui in angulo cum ſordibus latebat agyrtâ. Hinc novis paroxyſmis ſine venæ-ſectione ſubdita ægrotans; tabe pulmonali pereſa eſt, illius magna & abſurda promittentis, curæ derelicta. Nocuit tamen aliquandò venæ-ſectio, ſi ſcilicèt pendeat ab atoniâ motus ſpaſmodicus : profuiſſe

contrà ſemper vidi, ſi aut plethora ad morbum inducendum aliquid contulerit, aut ſi pro causâ fuerit activitas quæcumque aucta, qualem præſtant animi affectus vividi, furor, &c. Idem prorsùs de delirantibus ad venæ-ſectionem collatis dicendum eſt. Furentibus enim & phrenitide nerveâ correptis prodeſt venam ſecuiſſe, alios verò mente motos, ſubmurmurantes, feſſos, laſſatoſque, quales ſunt maniacorum plerique nerveorum, ſi ſublevaſſe videatur, imbecillitatis, hebetudinis ſenſuum internorum miſerrimâ conditione, beneficium compenſatur momentaneum.

Verùm ultrà inquirendum eſt an non dum ſymptomati prodeſt, curamque abſolvit palliativam, ipſi morbo nocet venæ-ſectio, adeòque an non ſemper extrà paroxyſmum rejiciendus ſit ejus uſus.

Reſpondere facile eſt, ſi morbus ſeorsìm à quâlibet causâ ſpectetur, cum altis radicatus principiis & quaſi in ipsâ naturæ conſtitutione poſitus ſit, quid proſit venæ ſectio non video. Res enim mechanicis enodanda principiis non eſt. Nec ex cognitis corporum gravium fluentium legibus poteſt arripi; ſed ſuus adeſt mechaniſmus, ſuæ ſunt ſenſibilitati leges, ad quas venæ-ſectio vix pertinere debet. Ergò tunc morbo nocet per ſe venæ-ſectio, quæ tonum æquabilem tollit, vires enervat, imò & atoniam inducit, quæ quâ ratione ſpaſmis faveat jam multoties dictum eſt. Notaverunt etiam, aliquandò ſopitas convulſiones à venæ-ſectione renovari, quod non ſemel vidi. Nec enim ampliùs immorari fas eſt huic axiomati in priori Parte Operis ſatìs evicto, debi-

litatem ſæpè in nerveâ Melancholiâ maximas partes agere. Effectus tamen ille nedum univerſalis haberi poſſit, contrà rarus eſt, ſaltem apud Gallorum præſertimque Pariſienſium nurus, & iis tantummodò accidit, quas vel minima mutatio conturbat pro eâ quâ vigent mobilitate. Vacuatio porrò omnis ſubita prorsùs corpuſculum immutat, nulla verò aut ſubita magis, aut copioſior, quàm quæ largo effuſo ſanguine conſtat, undè fit ut quos venæ-ſectio in ſpaſmos agit, nullatenùs tardiori, utut copioſiori commoveantur hæmorrhagiâ. Valet hic locorum axioma illud medicum: omne nimium naturæ inimicum. Quod ſic in morbis nerveis mutaverim, omne ſubitum naturæ inimicum. Hinc Medici plures præſertim inter Extraneos, quoties ipſis cum melancholicis nervoſis agendum eſt, ſanguinem ad unciam unam aut alteram detrahunt parvâ admodùm aperturâ, dum rursùs eam renovare malunt, quàm copiâ majori ſanguinem detrahere. Quæ ſedulitas aliquem in nerveâ affectione locum nanciſci poteſt, ſed nullum in inflammationis aut rupturæ metu. Qui metus, pace tantorum virorum quos omni cultu proſequor, atque quorum labores venerabundus admiror, dixerim, Gallos curanti, ſemper præſens eſſe debet. Concivibus enim noſtris fibra ſummè ſenſilis eſt, gracilitate atque tenuitate inſignis, victu acri ſpirituoſo evecta atque exaltata ita ut vehementiſſimos morbos experiatur, nec minùs feroces morbi nervei patiatur paroxyſmos, qui moram neſciunt, & violentiſſima ſibi expetunt medicamina, ita ut nulli liceat impunè ſeſe hœmophobum præſtare. Nec timeo ne quis

rerum gnarus, præjudicato apud noſtros venæ-ſectionis amori opinionem hanc tribuat, cùm præſertim in ſecandâ hyſtericarum ſaphænâ Sydenhamus præluxerit.

Verùm omnibus terræ locis accidit ſæpè ut quod morbo, ſi eum ſeorsìm à cauſis ſpectaveris, nocere natum eſt, à cauſis indicetur; tuncque certè præferendum eſt quod cauſam tollere poteſt, quâ ſublatâ morbus tollitur. Hinc mira ſæpè venæ-ſectio præſtitit in nerveis morbis quos plethora concitaverat, quos menſtruatio difficilis periodicos effecerat, aliiſque hujus claſſis quos ſedula diagnoſis ab aliis ſecernit.

§. II.

De Vomitu & Catharſi in Melancholiâ nerveâ.

Nocent ſemper in intemperie ſine materiâ quæ ſivè per vomitum eliciuntur vacuationes, ſivè ab alvo extruduntur inſontes & ad morbum nihil conferentes materiæ. Inteſtinalis verò vacuatio adeò in ſenſu exquiſito machinæ vividos effectus exerit, ut ſæpiùs viderim in ipsâ ſanitate ſummè nervoſorum hominum, non ſine animi deliquio, aut ſaltem non ſine ſpaſmo alvum ſpontè exeri, id quod in iis qui per ſe ſiccam atque obſtipatam alvum obtinent, frequentius eſt. Solâ ſpontaneâ vacuatione convelluntur illi quos urget circà abdominalia viſcera peculiaris ſpaſmus. Verùm omnes ferè hac intemperie laborantes, ubi deponunt alvum & moroſiores ſunt, & libertatem alvi tormentis rependunt. Tunc enim liberior aër circà inteſtinalia clauſtra fremit, & mobiles

mobiles parietes diſtendens ad contractionem ſollicitat, ſimulque argumentum præbet, quàm parcè atque cautè agendum ſit, cùm vacuante quolibet medicamento, præſertim ex illorum genere, quæ per longum inteſtinorum tractum delata, per eorum enormem ſuperficiem, effectus ſuos multiplicando intendunt. Præcipua autem in ſpaſmis illis tum causâ, tum effectu, aëris pars eſt. Undè ut de peculiaribus Melancholiæ cauſis agendo fuſiùs expoſuimus, duplici titulo nocent, ubi cauſa aut ſtomachum, aut inteſtina præſertim occupat, quòd & universali morbo & cauſæ ſingulari adverſentur.

Prætereà tum vomitoriis, tum catharticis illud proprium eſt, ut irritando agant; quo ſolo titulo à curâ Melancholiæ nerveæ exulare debent. Quâ quidem in irritatione vehementiſſima ſæpè ſymptomata concitant, alvum claudunt, ſpaſmoque conſtrictam, in lapideam duritiem vertunt, aut pro ſpaſmi ipſius formâ vacuationes ultrà modum & menſuram, violentas inducunt. Undè ſæpè fit, imò & melancholicis familiare eſt, ut qui à leviſſimo cathartico experiuntur hypercatharſim, nullatenùs commoveantur à fortioribus, eâdem ratione quâ ſtimulans leve oculo immiſſum, lacrymas manare cogit, fortius verò omnia vaſa ſtringit, inducitque peſſimam ariditatem. ξηροφθάλμιαν dicunt.

Indè porrò apparet omninò diverſam eſſe catharſios atque venæ-ſectionis in Melancholiâ nerveâ ſortem. Hæc enim aliquandò ſua habet commoda, illa verò ferè nunquam locum invenit. Cauſa tamen aliquandò ad ſuî expulſionem in-

vitat, ſed tunc ſummâ Medici prudentiâ opus eſt, ut ſaltem antiſpamodicis cum cathartico conjunctis, eorum actio ſpaſmodica refrænetur atque temperetur. Quod quidem in arte fieri licet; cùm ſcilicèt vi in glandulas irritante non deſtructâ, æquabilis tamen tonus eorum remediorum efficaciâ, ſartus tectuſque ſervatur. In quâ quidem methodo ſummè cautos fuiſſe Veteres, ſine ullâ ſpaſmi ideâ ab iis receptâ, miraberis, ſi tibi tædioſum non fuerit veteres tum Græcorum, tum Arabum evolvere formulas, in quibus non aromatica ſolùm, ſed etiam antiſpaſmodica & ea fortiſſima, juncta catharticis videbis. Quam methodum ſæpè imitatus, obſtupui quantùm ſub hac miſcelâ, vis catharticorum ſpaſmodica temperaretur atque miteſceret. Vix enim ſemper catharticis abſtinere licet. Non raro enim nerveis morbis aut adaugendis, aut concitandis confert primarum viarum ſaburra, quam níſi catharticis, nullo modo poſſe expelli, ratio & rei natura indicant.

Nec minùs verò indè ſentire licet quantùm differat Melancholia noſtra ab humorali quàm Helleboro vacuare atque eliminare tantoperè Antiqui ſatagebant, quanquàm & hoc mochlicum Pharmacum, ſymptomata etiam nervea concitet vehementiſſima; ſed in omnibus caſibus cauſæ ſemper præſtat opitulari quàm ſymptomati; nec minùs ſæpè humoralis Melancholia ſub nerveæ larvâ deliteſcit.

Non tibi objicere fas erit, repudianda quidem ea eſſe medicamentorum genera quæ draſticâ vi agunt, innocuè poſſe propinari laxantia, ecco-

protica. Hæc enim licèt per ſe, pro minori irritandi vi quâ pollent, noceant minùs, nocent & quatenùs lentiùs volvuntur per inteſtina, ibique fermenteſcendo rancidita tem nanciſcuntur, atque vim irritantem intendunt; nocent quatenùs vacuant; quatenùs ex propriâ ſuâ ſubſtantiâ aërem explodunt, vixque niſi antiſpaſmodicis fucata, locum habere poſſunt. Nec ſaponacea illa quæ ex nativo ſale, cum oleo remixto, vim ſolventem & benignè laxantem obtinuere, plus habent efficaciæ, cùm facilè ſal illud ab oleo in inteſtinis ſegregetur, maximèque acre fiat, adeòque canalem inteſtinalem ſpaſmis irregularibus agitare natum ſit. Si ergò unquàm in hoc morbo, cathartico aut emetico ad cauſæ vacuationem opus ſit, ſuſpensâ manu eundum eſt. Nam quòd aiunt poſſe ſpaſmum vomitorii actione à loco in locum revelli, vix de eâ conſtat utilitate ubi nulla eſt cauſa quæ morbum faciat, nec tanti eſt inducto alio ſpaſmo fortiori ſpaſmum præſentem leviorem ſuſtuliſſe.

ARTICULUS QUARTUS.

De Remediis quibuſdam in Melancholiâ nerveâ ſpecificis.

§. I.

De efficaciâ Kinakinæ in Melancholiâ nerveâ.

Quantum in eâ nerveæ Melancholiæ ſpecie quæ cum fibrarum exquiſitâ ſenſilitate juncta eſt, aut in eâ merè conſiſtit, nocent amara quæcumque, tonica, ſtomachica, tantùm eadem remedia proſunt, quoties ſpaſmo jungitur atonia, functionum languor, ita ut Melancholia nervea ab hiſce cauſis pendeat, vel cum iis reperiatur. Hinc omnia ferè antiſpaſmodica tonica à prioris curatione exploduntur, & ad uſum in poſteriore ſervantur. Idem prorsùs eſto judicium de Kinakinâ, ſeu famoſo cortice Peruviano, cujus uſum in intervallis paroxyſmorum hyſtericorum atque hypocondriacorum Sydenhamus adeò commendavit. Verùm, pace tanti viri dixerim, peſſimam contractionem fibrarum, omnimodum rupturæ metum, imò & convulſiva ſymptomata ſecum inducit præpoſterus Kinakinæ uſus, qui toties exulare debet, quoties tenſio aut ad tenſionem diſpoſitio adeſt. Indè factum ut cum nimis generali laude extolleretur cortex apud multos, contrà nimiùm infamis habitus ſit ab aliis quaſi ſtringendo, arctando vaſa, irritando nervos, po-

tiùs pro veneno quàm pro nervino remedio vocandus videretur.

Sed quod Kinakinæ ſcelus imputatur, ad alia quæcumque antiſpaſmodica poſſet etiam pertinere, & reverà cùm pravè admodùm uſurpantur, ſpecioſo titulo, errori faventes, tenſiſque prætermodùm & nimiâ ſenſilitate peccantibus fibris applicantur, tenſionem adaugent, ſpaſmos ſæpè invehunt & ſemper ſpaſmodicam diſpoſitionem. Contrà verò cùm Melancholiæ cauſa ad eas referenda eſt, quæ aut atoniam per ſe important, aut cum atoniâ junguntur, vel demùm ab eâ pendent, tunc omninò ſuam exerunt medicamenta antiſpaſmodica facultatem, vique ſibi innatâ proſunt, inter quæ non mediocrem exiſtimationem ſibi vindicat cortex Peruvianus, qui eas quibus gaudent antiſpaſmodica, qualitates eminenter à Naturâ obtinuit.

Præterea verò quantumcumque ſeſe dotibus externis commendet, ineſt illi virtus ſpecifica, quâ febres intermittentes tollit omninò & perſanat. Porrò cùm ſæpè ſæpiùs paroxyſmi convulſivi periodicè recurrant, cùm ſæpè qui priùs merè ſpaſmodici videbantur morbi, in febres intermittentes deſinant, & viciſſim vertantur febres in morbos ſpaſmodicos, ratum multis fuit, ſpecificum eſſe corticem Peruvianum morbis omnibus quidem nerveis, ſed illis præcipuè quos periodus aliqua videtur ab aliis diſtinguere. Verùm ſi perpendatur attentè quòd omnia ferè mala, præſertim ſi partem cauſæ in ſe ſuſcipiat primarum viarum ſaburra, periodici aliquid ſervent, eò quòd corpus iiſdem ferè horis ad eum-

dem ſtatum revertatur, videbitur quantùm amplificanda foret febrium intermittentium extenſio, ita ut ferè pro univerſali medicinâ haberi poſſet Kinakina. Sed aliter rem eſſe teſtatur experientia, penès quam decidendi jus ac norma.

Si enim eam conſulueris ab omnibus æquè & dudùm Medicis confirmatam, ſtatues ſæpè morbis ſpaſmodicis periodicè recurrentibus ita profuiſſe Kinakinam, ut eos penitùs tolleret; alios verò ejuſdem generis morbos ejus ita eluſiſſe efficaciam, ut nullatenùs aliis medicaminibus præferendus videretur. Hinc locus eſt huic opinioni, delituiſſe ſub prioribus intermittentes febres, alios verò per ſe quidem eſſe periodicos, verùm ab intermittente febre prorsùs alienos.

Indè porrò novum crimen in corticem noſtrum defluxit. Cùm enim viderent Medici in genere ſpaſmos à febribus ſedari atque conſopiri, niſi in peſſimo illo febrium genere, quæ adjunctos ideò ſpaſmos habent, quia per ipſam cauſæ virulentiam ſunt lethales, ſæpiùs verò ſublatam omninò convulſivam diatheſim per intermittentem febrem longiùs protenſam, imò ſui juris factam, malè actum fore crediderunt cum ægro, ſi nimis citò retropreſſa fuiſſet ſalutaris illa febris, quæ inter alios plures, illuſtriſſimo Lahirio antiquas ſuſtulerat palpitationes. Hinc, aiunt, peſſimo inſtituto tollitur per Kinakinam ſpaſmus, causâ ab illo medicamine intùs retentâ, imò & forſan liberatricis naturæ actione interturbatâ, veluti ſi quis podagræ dolores, retropulsâ podagrâ præpoſtero ſanè conſilio ſibi præſumeret expellere.

Verùm ſi ſpaſmus tollitur, cauſa Kinakinæ victa eſt. De eo enim curando agitur. Febrem intermittentem quidem tollere ſpaſmis curandis habilem, piaculum foret, quia ejus actio certa, corticis verò incerta. At in ſpaſmodicis morbis non omninò, non ſemper aut febris ipſa emicat, aut à febre ſuperveniente felix adeò exitus ſperandus eſt. In hac conditione non video quid retropellendæ cauſæ poſſit cortex noſter, in quam tonicâ & roboranti facultate agit. Prætereà verò de morbo agitur, non de cauſis quæ ſæpè indicationes offerunt à morbi indicationibus prorsùs diverſas. Eodem modo aliquandò cathartica fortiora in morbo ſpaſmodico indicantur, non ab ipſo morbo, ſed quòd primarum viarum jamdudùm laborantium ſaburra turgeat, & ſuî expulſionem ex rei neceſſitate ipsâ poſtulet, cui contrà obniti atque obſiſtere majoris eſſet inertiæ, quàm qui ei obſequitur, temeritatis accuſandus foret.

§. II.

De uſu Balneorum ſimplicium in Melancholiâ nerveâ.

Quid de balneis Veteres & ad ſanitatis tutamen, & ad debellandas intemperies, debilitatemque præcavendam cenſuerint, alibi jam dictum eſt. Ars verò illa apud nos deperdita utinam reviviſcat! At vulgò hodiè nihil per balneum intelligimus præter immerſionem in aquâ, in eâque moram plus minùſve diuturnam, eaque diſtinguuntur in tepida & frigida. Utraque vel univerſam corporis ſuperficiem eluunt, vel aliquas tan-

tùm ut ſemicupia, pediluvia, &c. Simplex etiam aquæ infuſio in varias corporis partes pro balneo fuit habita.

Corroborandis nervis, Melancholiæque ſanandæ frigida balnea, etiam glacie refrigerata, Medici plures laudavêre, ex nuperrimis Anglis præſertim. In iis, hyeme mediâ, plus minùſve commorantur. Debiliores enim aquâ frigidâ tantùm perluuntur, dein lecto calido repoſiti, in eo potiſſimùm ſibi beneficium quærunt, quòd dum alternis fibras in oppoſita deducunt, roborari eas neceſſum eſt, ex poſitis alibi principiis. Alii per horæ quadrantem in aquâ gelidâ commorantur, & aſſuetis horæ integræ in aquâ conſumuntur, præſertim ſi robuſtiores, natationi indulgere poſſint.

Puerum Anglum eâ ratione ex morbo à debilitate nerveâ pendente convaluiſſe vidi, & mulierem non unam ex hyſtericâ fortem evaſiſſe, quarum unam etiamnum video à catharrodeâ infirmitate ſanatam, horum uſu; quam tamen infirmitatem à teneris imbuerat. Fatendum eſt balnea hæc eâdem facultate quâ intermittentes febres atoniam tollere. Spaſmis verò præſentibus adaugendis quàm ſanandis magis comparatos eſſe patet, cùm nemo ſit adeò fortis, ut ſibi ſpondere poſſit à validâ aquæ frigidæ impreſſione ſe non iri convulſum. Hinc familiaris eſt convulſio crambe dicta, iis qui vel æſtate mediâ minùs aſſueti fluminum alveum ingrediuntur.

De tepidis dicendum eſt, quæ laxanti virtute ſeſe commendant, adeòque in ſpaſmis etiam tollendis præſenti efficaciâ, ab Aretæo aliiſque Veteribus, & ab Arabibus commendantur, hodiè-

que etiam apud Indos atque Peruvianos pro ſanandæ endemicâ hîc loci ſpaſmi peſſimi ſpecie celebrantur, teſtibus Piſone & Bontio.

Nec dubium eſt, quin aquæ tepidæ aſperſio fibras laxet. Idem etiam de lacte & emollienti herbarum mucagine ſcatentium, virtute dicendum eſt; imò tepidum affundi oleum in ſpaſmis expertus in ſeipſo, juſſerat Galenus, iterarique ſine ullâ intermiſſione volebat, cùm ſpaſmum illa renovaret intermiſſio. Cùm porrò hæc omnia fibris relaxandis conducere poſſint, non dubium eſt quin tono prætermodùm aucto medeantur. Adeòque hoc ſolo intuitu balnea tepidiora in Melancholiâ nerveâ quæ à toni augmento pendet, maximam utilitatem præſtare poſſunt. Nec nocere poſſunt, niſi cùm atonia ſpaſmos invehit, qui caſus cùm admodùm frequens ſit, patet quàm cautè incedendum ſit in eâ affuſione ſuadendâ.

Verùm alio ſub aſpectu balnea ipſa integra licet intueri, quatenùs ſcilicèt pondus incumbentis aquæ octingenties gravius atmoſphæræ pondere premit vaſa, gravamen ipſis novum imprimit, adeòque versùs interiora ſanguinem adigit, ibique quaſi plethoram facit, quâ nervi vellicantur intimi, undè frequens balneum ingreſſis, cordis palpitatio, imò & ſpaſmus.

Poſteà verò ab alveo egreſſis è laxatis vaſis quæ cum impetu proſilit perſpiratio, mirum eſt, quantùm debilitatis inferat, uſque ad animi deliquium, undè nocent balnea hujuſmodi, quotieſcumque metuitur atonia. Nec ſi non abeſt à priori momento ingreſſûs in balneum tenſionis augmen-

tum periculumque rupturæ, deeſt egreſſis ex eodem infirmitatis metus.

Præterea verò ingentem hîc diverſitatem affert caloris gradus, interiorem aëra rarefaciens, imò forſan ſi calidius adhibeatur balneum, ipſa calori data poteſtas, aërem ex ipſis liquoribus extrahendi. Forſanque & à rarefactione liquoribus inductâ, & ab aëre extricato ſæpiùs invehitur ſuffocatio illa, quæ miſerrimum in modum angit eos qui ſeſe calidioribus lymphis committunt, generatimque æſtuanti loco ſeſe ſub laxandi ſpe credunt incauti. Scio ſic puſillum cui largior fuerat promiſſa perſpiratio, ſubitâ morte occiſum.

Balnea igitur tepida, licèt in accidentali ſpaſmo plurimùm conferre poſſint, nec in corporis ipsâmet naturâ fundamentum accipiente, ut in illo qui apud Indos familiaris eſt, rarò admodùm in Melancholiâ nerveâ quæ à pertinaci fibrarum vitio pendet, locum reperire poſſunt, ſaltem principem, nec niſi cùm cauſa eorum uſum indicat. Quâ quidem in tepidâ immerſione ſi peccandum eſt, frigidulam adhiberi malim quàm calidiorem. V. Cælium Aurelianum, *de Morb. chronicis à ſtricturâ pendentibus*, L. IX. Hollèr. in Aphor. ſect. IV.

Semicupia verò, pedum lotiones, aliarumque corporis partium, in illud çum balneis conſentiunt, quòd partem laxent cui applicantur. Simul ſanguinem à parte in partem revellunt, dum laxiora vaſa efficiunt. Undè ſæpè hoc nomine puellis uſurpantur, ut morantia menſtrua com-

pellant & advocent. Nec minùs eâdem de ratione inflammato utero pediluvia nocere viſa ſunt. Cùm verò nullam peccare in corpore infirmo materiem ex morbi noſtri inſtituto ſit, patet quàm malè luditur opera ſi Embrochæ, Duciæ hîc adhibeantur. Nec ad ullos ſalutares fontes ablegandus unquàm eſt æger, cùm nullum ſit vitium hîc arte malè ſedulâ ſublevandum.

§. III.

De Diætæ lacteæ uſu in Melancholiâ nerveâ.

Quantumvis quidquid ad Melancholiæ nerveæ regimen ſpectat, eo articulo quo de debilitate fibræ nerveæ egimus, ſatis fusè executi fuerimus, conſtetque eam ſi in intervallis paroxyſmorum ſpectes pro debilitate nerveâ curandam eſſe, in ipſis verò paroxyſmis vix aliquam admittere nutritionem præter eam quæ acutis morbis competit, peccarique potiùs debere paulò pleniore quàm tenuiore victu; tamen quia vulgari axiomate receptum eſt, nocere lacticinia omnis generis nerveis incommodis, res & rationis, & experientiæ lance ponderanda eſt.

Lac porrò quodcumque animalibus à naturâ conſtitutum alimentum, imbecillimis & naſcentibus, imò naſcituris; ita materiâ nutritiâ plenum eſt & refertum, ut in ſolo ejus uſu animal & celerrimè & efficaciſſimè creſcat atque roboretur.

Verùm tunc & nullâ aliâ miſcelâ corrumpitur, & exercitium infantilis corporis leve nihil ſolidioris cibi poſtulat. Imbecillimum alimentum corporibus flexilibus ſufficit, modò non alio in-

ficiatur fermento, undè aceſcat illud nimiùm; qui acor ſi ſemel in lac inciderit, ſimulque acredinem fermenteſcentem induere coegerit, illud frequentiſſima fuit convulſionum infantilium cauſa. Si igitur ſupponatur vir à primâ infantiâ ad pueritiam imò & pubertatem ipſam lacte conſtanter enutritus, admixtis ſimul ſolidioribus pro ætatis gradu cibis, ſimul verò & liberiora exercitia, & vitam tum ad cœli intemperies, tum ad labores fractam admittas, fatebor me nullam reperire cauſam, cur plus aliis hominibus hic nerveâ debilitate laboraret. In quo quidem ſuffragium experientiæ poſſumus adducere, cùm & fortes, & perpetuo exercitio aſſueti Scythæ, ſolo ferè lacte equino victitent, Arabeſque ſub aridiori cœlo, camelorum lacte ſolo ſitim atque famem ſublevent.

Verùm poſtquàm fortibus alimentis, variique generis condimentis, & ventriculus & fibræ ita induruere, ut jam non cibo ſolùm ſed & ſtimulo ad exſuſcitandas vires egeant, tunc dulce & guſtu, & facultate, lac hæret iners, mollique virtute inſidiatur viribus; hinc illæ quaſi conſopitæ vix ullum ſtimulum exercent; intereà craſſioribuſque ac mucidis partibus copioſis, ſanguis infarcitur: nec niſi conſtanti perſeverantiâ quâ novus corpori habitus inducitur, poteſt eò deduci ut pro ſimplici & innocuo alimento lac poſſit hauriri.

Hinc fit ut illi qui primùm alios cibos relinquentes, ſeſe in ſanitatis reparationem lacti dedunt, atoniam quandam omnes experiantur, ſeque tardiores, minùs alacres, magis ſomnolentos palàm fateantur, quæ vitia à ſanguinis lento

mucore orienda, brevì ſub ipſius lactis continuato uſu diſcutiuntur.

Præterea verò non omnia lactium genera eumdem præcisè effectum exerunt. Quæ enim tenuiora ſunt, ut fœmineum, equinum, aſininum, partibus minùs divitia fortibus atque caſeoſis, plus emolliunt, minùs nutriunt. Valentiores verò partes ſufficit vaccinum, quo præſertim ubi ſeſe lacteæ diætæ, aliis repudiatis alimentis, tradunt, ſolo utuntur.

Ubi igitur adeſt in corpore vera fibrarum debilitas, à gracilitate atque tenſione pendens, debilitatis univerſalis particeps fit ventriculus, præ valentioribus alimentis fatiſcit, eaque in ſimilem ſuî ſubſtantiam accommodare impar eſt natura. Tunc non nutrire ſolùm, ſed & roborare par eſt lac. Imò & ſæviora tollere valet nervea incommoda. Quod non ſemel vidi, in tuſſi præſertim importunâ, quæ ab irritatione nerveâ manifeſtè oriunda, ſuccuſſù violento, quolibet ſecundo temporis minuto repetita, pulmones, imò & omnes corporis muſculos violenter agitabat, ſimulque concitabat convulſiones. Hæc enim antiſpaſmodicis omnibus obſtinatè reſiſtens, imò & ab iis novam accipiens ferociam, ſolo lacte aſinino prorsùs curabatur, nec ullas ſuî relinquebat reliquias, corpore intereà roborato.

Id quidem non ſemel à me viſum, aliorum etiam experientiâ mihi teſtatum eſt, & nullus indè dubitaverim aridas, exſuccas, tenſas, graciles fibras lacte alluere. Modò tamen cautè atque prudenter cum ventriculi viribus agamus. Non enim omnes omnia ferre poſſunt, ineſtque

ſtomacho atque coctricibus viribus ſumma diverſitas, quam vix à prægreſſis divinare, aut conjecturâ aſſequi poſſimus.

Verùm quotieſcumque atoniâ fibræ peccant, eſto lac pro veneno. Quod enim tenſionem nativam hebetat, aut tollit, per ſe nocere notum eſt. Nocet etiam quoties ſymptomatum cauſa in perverſione toni repoſita eſt. Inæqualitas enim illa à lacte tolli non poteſt, & quæ minùs tenſæ ſunt fibræ, novam indè atoniam nanciſcuntur. Aliundè vix in illo melancholicorum genere, concoctione uniformi gaudet ventriculus. Lac verò cibus optimus, ſi digeſtiones ritè peragantur, vel minimo delicto vertitur in venenum acre, acidum, erodens.

Patet indè aliquandò poſſe ſummum auxilium à lacteâ diætâ invocari, poſſe etiam hanc nocere ſummoperè. Diagnoſi demùm ſeverâ opus eſſe, ut caſus illi dignoſcantur, quos confido intellectâ priore Operis noſtri Parte, nullam confuſionem eſſe admiſſuros.

COROLLARIUM

Methodum Therapeuticam in variis Melancholiæ nerveæ ſpeciebus exhibens.

Ex prædictis porrò quæ ſit in unâquâque Melancholiæ nerveæ ſpecie, & quàm diverſa methodus ad ſanationem in uſum revocanda ſatìs intelligitur.

In primâ enim & ſimpliciori quam facit intenſior fibrarum tonus, in removendis quæ Iapeti genus infœlix, undique circumſtant inſidiis, tota Medicinæ ſedulitas reponitur, morbus ipſe nihil niſi laxantia indicat. Verùm cùm tonus nimis intenſus à gracilitate pendeat ut plurimùm, indicantur etiam ea quæ fibrarum robur poſſunt intendere.

Ad ægrotantem igitur vocatus nullâ aliâ intemperie laborantem Medicus, ipsâ in ſymptomatum ferociâ vix aliud agendum habet præter venæ-ſectionem, nil aliud exhibendum, nil præſcribendum, præter aquam admixtione partium tenaciorum molliorem factam. Hinc paginam hîc implent, ſerum lactis aquoſum, decocta ex juniorum animalium carnibus, ut pulli, vituli, herbarum emollientium infuſa, aut ſi ad ſummam deducantur ægri mali vehementiam, poſſunt etiam adhiberi narcotica, ſed cautelâ ſummâ ne præ liquidorum rarefactione rupturæ metus increſcat.

Narcotica verò illa ſeligenda erunt ſimpliciora, non ad Veterum morem aromaticis vitiata, ne calori innato ſtimulos addant. Antiſpaſmodica in gradu paroxyſmorum vehementiſſimo tantùm poſſunt locum ſibi vindicare, ea ſaltem quæ ex animalium maximè volatili parte conflata, faciunt ut nervi ſtupeant, & etiam ſine narcoſi eorum actio retundatur.

Notare verò hîc ſufficiet in eo pleraſque Pharmacopœarum formulas peccare, quòd utrumque genus antiſpaſmodicorum in iis mixtum reperiatur, quæ tamen remedia quantùm à ſe invicem abludant, ſuprà demonſtratum eſt. Et cùm ea quæ petuntur ex animalibus hîc uſui eſſe poſſint, nocent contrà omnia quæ roborantium antiſpaſmodicorum titulo à regno vegetabili depromuntur, tenſionemque augent.

Indè verò deferveſcente paroxyſmo, ſi ad intervalla paroxyſmorum & habitum ſeu intemperiem, curandi methodum vertis vix ullus medicamentis locus eſt præter illa quæ ex gymnaſtice & recto rerum non naturalium uſu petuntur. Obſtat enim rectæ nutritioni nimia dilutio. Tenſionem nativæ tenſioni addunt quæ tonica dicuntur, ſed non roborari impoſſibile eſt nervos eorum, qui in aëre puro exercentur, qui alimentis eupeptis & ad vires proportionalibus nutriuntur, qui mutationibus undequâque incurrentibus prudenti lege aſſueſcunt atque indurantur, in quo tota conſiſtit curatio.

Si verò perverſus ſit fibrarum tonus inæqualique vibratione & eterochronâ oſcillatione divelluntur, maxima tum nocentis cauſæ habenda ratio

ratio. Sæpè vel in ipſo leviori paroxyſmo vinum generoſum;ſpirituoſum quodlibet prudenter hauſtum ſymptomata compoſuit. Nocuere diluentia, venæ-ſectio ipſa aliquandò immanes motus concitavit. Hinc in ipſo paroxyſmo ſi lateat atonia, niſi fortior convulſio aliter ſuaſerit, ab eâ cavendum. Narcotica vix uſurpanda ſi cerebri arcem ſymptomata occupent, cùm mutationem ſæpè effectuum pariant, ſed nullam in ipsâ mutatione levationem. Hinc ſæpè pro delirio veternum, pro furore hebetudinem quandam ab iis mutuamur. Antiſpaſmodica in hac nerveæ Melancholiæ ſpecie, principem locum obtinent, vi enim ſpecificâ agunt, ſed in debilitatis, & per ſe jam imbecillibus, medicamentorum cardiacorum efficaciæ maritanda ſunt, extrà paroxyſmum & roborantibus. Cauſam ergò ducem ſequere, ne graciles & delicatos, ne infirmos atque relaxatos eâdem methodo cures, quod cùm in ipſo paroxyſmo minoris eſt momenti, multò majoris eſt ponderis in intervallis.

Roborantia enim antiſpaſmodica utut ſpecioſo nomine venditentur, nullum niſi in atoniâ ſalutarem effectum produnt; imò nocent in primo atque ſimpliciori morbo; ſed quantò majus incendium concitabunt, ſi perverſus tonus ab aucto prioris gradu pendere dici poſſit.

In intervallis vix aliquid, ubi immanis eſt tenſionis gradus, præter frequentem ſeri lactis uſum, balnea,lac ipſum aſininum,prodeſſe poteſt.Huc verò etiam refertur ingens equitationis ſucceſſus,quæ uniformi ſuccuſſu æqualem tonum reſtituit; perſpirationeque auctâ coctionem etiam promovet.

Nec etiam ſemper in tali tenſione atque erethiſmo peſſumdatæ & inæqualiter vibrantis fibræ, amovendæ atque ablegandæ venarum ſectiones, in quarum tamen uſu ingens virium habenda ratio, ne quo gradu furere deſinit ſpaſmus, eodem torpere incipiat atonia. At omnibus ferè æquè nocent purgantia, non quidem quòd in ipsâ eorum actione ſpaſmi crudeles exoriantur; rarum enim id eſt, quanquam & aliquandò eveniat; ſed ipſorum peractâ actione æquabilitas toni fatiſcit & elangueſcit impenſiùs. Hinc ubi ipſa in uſum revocare cogit, non vitanda neceſſitas; docuere patres, poſſe ipſa antiſpaſmodicis maritari, emendari & quaſi cicurari. At ſaltem eorum actio roborantibus antiſpaſmodicis excipienda eſt, & à tergo debellanda. Imò rarum eſt non prodeſſe ſub ſeram noctem dormituris, ne aut inſomnia convulſiva quieti obſtent, aut diſcrucient vigiliæ, narcotico leni ad Sydenhami methodum, tumultus ab actione purgantis natos compeſcere.

Atoniæ igitur ſervanda ſunt antiſpamodica illa quæ ſimul aromaticam, tonicam, amaram vim obtinent. Hæc cùm ſæpiùs ſpaſmorum ingentium cauſa fuerit; ſitque ſæpè cum minaci cachexiâ conjuncta Melancholia nervea, nil mirum ſi tam ſæpè remedia illa optatum finem attigerint. Ea tamen lentâ actione morbo noſtro medentur, undè & conſtantiâ, imò & pervicaciâ in eorum uſu opus eſt, ut ſanatio ab eorum actione poſſit emergere, quæ quidem conſtantia vix melancholicorum eſt, ita ut ſi conſtantes eſſe incipiant, jam vix melancholici dici poſſint. Verùm duo

ſemper antè oculos momentoſa ſibi Medicus objicere debet, nec ab illis divelli. Primum eſt ut menti imperitet; ipſamque & ſophiâ conſoletur, & animosâ, nec inhumanâ objurgatione increpet & evehat. Miſerrima enim Melancholicorum conditio vanis animos implet formidinibus, puerilibus illudit terriculamentis, quæ ſpernere diſcat ægrotans. Hinc miſeros à mortis terrore avocare, vel ipsâ mortis objectâ neceſſitate, artis eſt. *Uſque adeò ne mori miſerum eſt* ? Huc ratio, huc religio advocanda, quæ ipſam valeat Melancholiam diſcutere, ſi rectè accipiatur, nec timor pro pietate habeatur, nec præſtigia pro veritate venditentur. Hinc ſilet Melancholia, ſi fortè virum quem aſpexerit. Alterum verò eſt ut morbo deleto, qui poſt ſe feracem malorum relinquit atoniam, longo uſu ſuadeantur tonica antiſpaſmodica, præcipuè verò Martialia præſcribantur, ne prava fibris labefactatis illata conditio, latentem ſub cinere extincto morbum, vivacem reddat, & quaſi ex ſuis ruderibus cogat reſurgere. Quod ſæpiùs minùs cautis Medicis dolendum accidit.

Quæ autem à peculiari causâ pendet Melancholia nervea, eaſdem indicationes ſuſcipit. Artis eſt in afflictam partem medicamenta dirigere. Languenti & Melancholiam nerveam inducenti ventriculo proſunt ſtomachica antiſpaſmodicis remixta, imò vix ullum eſt ex ſtomachicis ſic dictis, quod aliquid antiſpaſmodici non habeat. Exuſtum ſanguinem ſolantur diluentia. Hepate infarcto junguntur iiſdem antiſpaſmodicis ape-

rientia. Utero medentur ſuffumigia antihyſterica. Tenſione ac erethiſmo laboranti parti ſuccurrunt balnea, ſemicupia. Nocet plerumque in affectione peculiari uteri exercitatio, niſi lenis atque moderata. Menſtrua ritè fluent, ſi tardans atque vaſa gravans plethora tollatur, aut ſi non ſatìs turgeant vaſa; bona copia boni chyli, dum ſanguinem ſufficit, etiam menſtruis materiem ſuppeditat. Summo artificio opus eſt & cautelâ ingenti, ſi quandò Medicus ſpaſmum à nobiliori parte, quam pervicax occupat, in ignobiliorem traducere velit atque revellere. Id ſæpè frictiones, pediluvia, venæ-ſectiones ex oppoſito, ſanguinis impetum in partem pertuſam advocantes, feliciter effecere, ſed eo ſucceſſu, qui ſperabilem ſe potiùs faciat, quàm à cauto artifice promittendum. Res ſuccedet, ſi atomus aliqua, intùs veneno partem hanc vel illam adorta, cauſam morbo præbuerit. Hinc aliquandò fonticuli, ſetacea, cauteria ingenti plauſu in morbo qui merè nerveus videbatur, excepta ſunt. Sed ſi in ipsâ mobilitate ſolâ partis conſtitutus fuerit morbus, vix aliquid promiſſorum hiatu dignum, præſtabunt. Imò, irritatione inductâ, morbum qui nil niſi lene poſtulat, adaugere nata ſunt. His verò diutiùs inſiſtere vix operæ videtur pretium, cùm in hoc ſolo ars flexilis conſiſtat, ut in compoſito morbo compoſitam curam adhibeat. Sollicità interim ne, dum ſymptomatibus & quidem ſæpè plus terroris quàm veri periculi incutientibus, medicam curam affert, cauſam negligat, quæ neglecta ita aliquandò invaleſcit, ut

brevì fiat immedicabilis. Generatim quidem Galenus (*a*) morbum melancholicum minimè inveteratum, balneis, victu humido, cibis εὐχύμοις curari aiebat, nullo adhibito præſidio, ex quibus principiis huic noſtro morbo ſub ſpaſmi nomine curationem ampliſſimam inſtruxit primus omnium Avicennas (*b*).

(*a*) De Locis affectis, cap. IV.
(*b*) Lib. III. fen. 2. Tract. I. cap. 5.

CAPUT III.

De Curatione Morborum qui nomine à Melancholiâ nerveâ differunt, ad ipſam verò reipsâ referuntur.

Quicumque affectus ad Melancholiæ nerveæ naturam referuntur, novum tamen ab eminenti atque alia ſuperante ſymptomate nomen ſortiuntur, illi quaſi ejuſdem morbi extenſionem conſtituunt. Morbi autem ab hac extenſione naſcentes, in duplicem claſſem rursùs dividuntur, ut alibi diximus. Alii enim nihil aliud ſunt præter ipſam Melancholiam novo nomine inſignem, alii verò ab eâdem corpus labefactatum adoriuntur, ſuntque quaſi ſequelæ atque degeneraſcentis morbi conſectaria. Ut porrò priores novam ſibi methodum nullatenùs ſibi poſtulant, poſteriores contrà novas ſufficiunt indicationes, quibus igitur immorari neceſſum erit. Utrumque genus duobus articulis, paragraphis pluribus licebit exequi, ne quid videamur omiſiſſe.

ARTICULUS PRIMUS.

De Morbis qui nomine tantùm à Melancholiâ nerveâ diſtinguuntur.

§. I.

De Affectione hyſtericâ & hypochondriacâ.

Quantumcumque famoſa ſint in Hiſtoriâ medicinali nomina hæc, tamen, ut alibi diximus, nihil aliud inquirenti offerunt præter meram Melancholiam nerveam. Eaſdem adhibent diviſiones, diagnoſim atque prognoſim eaſdem, nec ullatenùs curatione à ſe invicem abludunt.

Et certè multi ſunt inter hyſtericas atque hypochondriacos, quos nimia fefellit ſedulitas, atque ingens aggeſta remediorum farrago, inſanabiles effecit ſimul & infelices cùm ab iis temperare vix poſſint. Alios ſublevat antiſpaſmodicorum uſus. His ſummoperè nocet, illis contrà prodeſt ferri vis tonica. Quæ quantumvis inter ſe pugnantia videantur, ægro cruciatum, Medico deſperationem inducentia, ſi ad naturam morbi ſuprà expoſitam attendatur, ad ordinem ſuum relata, lucem accipient, & ſi aliquandò nocuiſſe contigiſſet attento viro, levis noxa ſperato tandem ſucceſſu rependetur.

Propoſita igitur in hiſce malis à Sydenhamo curatio, non omnibus, non ſemper convenit.

Quas enim ante omnia proponit, venæ-ſectio,

& plures per dies alvi ſubductio, ut prima in plethorâ atque tenſione, ſic altera rariſſimè admodùm nec niſi in ventriculi ſaburrâ locum ſalutarem reperire poteſt; at certè ſi cauſis poſſunt prodeſſe purgantia, morbo ipſi nocent, teſte ipſo ſagaciſſimo Autore qui ſæpiùs indè graviora exoriri ſymptomata fatetur, quæ tamen rependit levatio, ſi colluvies inteſtinalis expoſtulaverit.

Poſteà verò antiſpaſmodicis, cortice Peruviano, limaturâ Martis, quam hujuſdem metalli præparationibus Vir clariſſimus anteponit, tota curatio peragitur. Quæ ubi & quandò debeant uſurpari ſatìs alibi dictum. Quod verò ad diætam lacteam aliquandò ægros agebat Vir clariſſimus, certè quibus illa beneficio fuit, his ferrum nocuerat, profuerat venæ-ſectio, quam ferè ſemper incommodè tulerant, quibus in ferro levamen repertum eſt.

Unicum eſt omnibus æquè levamen afferens remedium, equitatio atque legitimè inſtituta gymnaſticè. Si debilitas vetet, geſtatio imò frictio, corpus ad majora exercitia ferenda diſponunt. Cautè tamen cum exercitio imò & cum frictione agendum eſt, in iis quos rupturæ metus angit, quæ ſi proxima fuerit, quiete tollitur.

Prætereà quibus cauſa reverà in hypochondriis habitat, frictio ipſam ad partem non inſtituenda eſt, nauſea enim indè & vomitus timendi ſunt, notante Galeno.

Nec ullus qui à capite laboret, opio ſedandus eſt, ne dum ſymptomatibus medemur, noceamus cauſæ, inductâ forſan ſanguineo latici

rarefactione, capiteque, ut cum Veteribus loquar, oppleto.

Fatendum tamen & vehementiſſima aliquandò ſymptomata legem hanc cautelæ atque prudentiæ vix accipere. Tunditur ſæpiùs vena in ſtrangulatione ſuffocationem, at certiſſimè ſtaſes minitante. Urgente ventriculi ſaburrâ, imò & ut cum Hippocrate loquar, turgeſcente*, vomitoria propinantur. Imò & quibuſve aliis inſtantibus morbis, oblivione premitur nervea Melancholia, ſuccurritur cauſæ quæ poſſit perniciem invehere, & contemnuntur quæ à Melancholiâ oriuntur ſymptomata.

Verùm ſemper exactâ & exanthlatâ morbi cauſâ ingens hîc ſupereſt arti peragendum. In aliis enim morbis res per ſe & innato robore naturæ ſanatur, ſedatoque tumultu omnia componuntur, & in priſtinam redeunt integritatem. Hîc ſilentibus ſymptomatibus ſupereſt diſpoſitio, quæ maximam ſibi attentionem vindicat; peccat enim defectu toni natura, redivivumque facit malum. Quæ quâ ratione debeat adimpleri, indicatio, omnium alarum princeps, hucuſque ſatìs indicavimus, modò ſemper axioma illud antè oculos verſetur, omne nimium naturæ eſſe inimicum. Virium ſumma ſemper eſt habenda ratio, ut planè intelligatur, quæ quiſque ferat ſine noxâ, imò cum levamine. Incedunt porrò Medici per cineri* doloſo ſuppoſitos ignes, cùm præſertim nullibi importuna magis, injuſtaque magis ægrotantium in Medicos & querela & criminatio.

§. II.

De Maniæ verè nerveæ Curatione.

Nihil adeò terroris atque juſtæ formidinis hominibus imprimit, quàm ſimilem ſibi & formâ & facultatibus ſpectare inſanientem. Sed nullum acerbius malum, quàm ita per intervalla delirare, ut præteriti ſenſus mali, futurique metus, vel in ipsâ quiete animum remordeat. Hinc apud Veteres mania, pro immiſſo in homines ab iratis Numinibus piaculo habebatur, undè & inſani pro ſacris reveriti, & apud ferè omnes antiquos Orientis præſertim accolas, quaſi cerriti, larvati, à cacodæmone obſeſſi Maniaci ſpectabantur. Hinc iis præſertim mania timebatur qui ſacra violaſſent, rupiſſent fœdera, undè ſæpiùs apud ipſos lavacris, purificationibus περιψήματα (*a*) dicebantur, tentata fuit maniæ cura, & quod Medicina ad hunc morbum ſanandum excogitaverat, ſacris occultatum fabulis ad nos pervenit.

Verumtamen, ut alibi diximus, non unius generis eſt mania, quæ ſymptoma eſt ſenſorii communis vitiati. Alia enim humoralis eſt, alia merè nervea, quæ utraque Melancholica dici debet. Cæteras enim hujus ſpecies expendere noſtri non eſt inſtituti.

Mania verò melancholica nervea in genere, humorali levior eſt, & vel perpetua eſt, vel intermittit.

Perpetua, vel levis eſt & ſubita, ab audito gravi nuntio totam conturbante animam nata; ut pluriès accidiſſe mulierculis viderunt omnes;

(*a*) V. Zachar. Calliergi Scholia in Theocrit. pag. 2.

hæc nulla omninò ſibi remedia poſtulat, tempus doloribus animi levamen neceſſarium afferens, eam vulgò perſanat; cui addatur animi diſtractio, avulſio ab objecto triſti, varietas locorum, quâ memoria mali extinguitur. Hæc vulgò eam omninò tollunt, niſi talis cauſa in prædiſpoſitum corpus inciderit, quo caſu ipſa erit corporis conſtitutio emendanda. Ad hanc maniam porrò referuntur ſingularia illa ξυμπαθείας & ἀντιπαθείας phœnomena, à memori notâ in animum impreſsâ pendentia.

Ubi autem perpetua eſt illa, modò merè nervea ſit, quidquid de Melancholiâ diximus, ad eam pertinet. Removenda omnia quæ vehementer animum commovere poſſent, placida quies & animo & corpori imperanda, imò licèt, quamvis parcè & raròò, ne caput in atoniam, indèque fatuitatem decumbat, uti narcoticis. Poſteà verò diæta tenuis, refrigerantia omnia, lactis ſerum, nitro aut ſale Hombergiano ſedativo grave, emulſa levia, camphorata, paginam implent, nec ullis omninò aliis opus eſt remediis, quibus adjungi neceſſe eſt frequentem balneorum tepidorum uſum. Modò ſe ſuis demonſtret ſignis, in ipsâ ſuâ perverſione auctus atque intenſus fibrarum tonus. Quod ex primâ Operis noſtri Parte non admodùm difficile augurari putamus. Si verò aliquid atoni latere ipſa demonſtrant ſigna, tum uti licebit roborantibus. Verùm in maniâ diſtinctionem adhibere neceſſe eſt. Vehementiſſima enim illa quæ volatili fragrantiâ nervos ſedare videntur, raròò hîc locum inveniunt. Machinam nimiùm commovent, & indè odii naſcuntur ideæ

fortiores, quibus vim ſibi illatam anima debilior effingit,& concuſſum experitur. Aliundè verò non ea debilitas adeſt, quæ laceſſi poſſit impunè. Undè in maniâ merè nerveâ moderatioribus ſemper utendum remediis.

Aliquandò tamen pendet mania ab immodicâ & ſubitâ debilitate; ſed tunc & levis & tolli facilis ſolius naturæ viribus adauctis fugatur, citiùs verò ſi per cardiaca roborantia, methodo Sydenhami illam inſequamur. Hanc ſæpè præpoſterâ arte, monente ipſomet graviſſimo Autore, & manſuram, & inſanabilem incauti effecere, dum pertundunt venam, dum alvum ſubluunt, dum ſudores eliciunt, & quâcumque ratione detrahunt de viribus. Hanc ignari dum à debilitate pendentem agnoſcunt, gravando nimio alimentorum pondere vires, diarrhæamque inducendo fecere complexam atque compoſitam, adeòque indè curatui difficiliorem, quod remediis quibuſlibet iraſcatur atque illis incandeſcat.

Pauca addenda habemus circà illam quæ intermittit, niſi quòd & itinera, & equitationem, & animi diſtractionem magis admittat, imò & in caſibus quibuſdam efficaciam corticis Peruviani ſentiat, quod ſemel efficaciſſimè ſucceſſiſſe vidi, ſumente per corticis efficaciam febris intermittentis formam,maniâ nerveâ.Quamubi ſemel apparuit, tentare & exagitare remediis nefas credidi, ſed commiſimus ipſam tempori quod & febrem & maniam ſimul ſuſtulit. Nec plura nobis dicenda incumbent; mania enim nihil eſt aliud quàm Melancholiæ nerveæ ſymptoma. Id tantùm notandum erit errore maximi

momenti vexari, quicumque præceptis addicti univerſalibus, omnes maniæ ſpecies aut Veratro, aut lapide Armeno curandas ſuſceperint, vacuationibuſque torſerint immodicis ægrotantes. Quæ malum malo addunt, & præcipites in inſanabilem maniam ægros adigunt, conturbatâ penitùs fibrarum nervearum æquilibri tenſione.

§. III.

De convulſivo Morbo ſanando.

Non longiores erimus in ejus morbi exponendâ curatione, qui in convulſionibus videtur repoſitus. Idem morbus eamdem curam poſtulat. Symptoma tamen illud ſi præſertim vehemens ſit, rariùs ad atoniam refertur. Quamvis enim ſumma, imò & in confiniis mortis repoſita debilitas, convulſiones arceſſat; tamen eæ pro ultimis aberrantis Naturæ nixibus haberi poſſunt. Si autem placuerit convulſiones in duas claſſes diviſiſſe; prior claſſis eas comprehendet quæ cum vehementiâ excandeſcunt, & hominem undique convellunt. Poſterior tremores, vacillationes, cordis ægrè ſe moventis ſubſultus atque palpitationes exequetur. Hinc eadem in adhibendis remediis ſervabitur diſtributio.

In genere verò convulſiones omnes ſi paroxyſmi tempore perpendantur, eamdem omninò diviſionem ſervabunt. Nullum eſt melancholici ſymptomatis genus, quod tam facilè venæ-ſectionem ferat, quod eamdem tam ardenter expoſtulet. Hinc ſi paroxyſmus vehemens ſit, acuti morbi in morem licebit venam tundere. Hor-

reſcent extranei quidam Medici, ſed hos experientia refellet, Sydenhamo autore, & quæ naſcenda indè mala metuunt, faciliùs præcaveri poſſe pronuntiabimus, quàm quæ ab impedito ſanguinis circulo exoriri poſſunt, ſtaſes, hærentiæ, extravaſationes. Ecquis enim à convulſionibus non vidit aliquandò in pulcherrimâ mulierum facie maculas liveſcere, oculos exertos, linguam protruſam, undè etiam natæ ſunt aliquandò apoplexiæ, quibus venæ-ſectio mederi poterat rectè adhibita & ex arte.

Poſt venæ-ſectionem vehementiſſima proſunt in paroxyſmo ex animalibus petita antiſpaſmodica, ſive illa ſuffumigii titulo adhibeantur, ſive etiam interiùs per os admittantur. Hæc verò vel ubi ipſa oris interiora attigere, juvant; convulſiones à parte in aliam minùs ad eas ſuſcipiendas aptam partem quaſi transferunt atque revellunt. Hinc ab eorum vehementiâ nihil ſupereſt metuendum.

Exacto verò paroxyſmo perpendenda eſt convulſiones concitans cauſa. Hinc vel per laxantia, vel per antiſpaſmodica iter inſtitues. Balnea ſi præſertim frigidiuſcula roborantem vim non amittant, hîc conducunt. Vulgò enim cùm vehementiſſima fuerit nervearum fibrarum in paroxyſmo diſtractio, remanet poſt paroxyſmum atonia; hinc in nullo alio melancholico ſymptomate debellando tantùm profuere martialia præparata. Signis tamen utriuſque convulſionum cauſæ ſummoperè ſtudendum. Memores ſpaſmis inducendis ſæpiùs tenſionem concurrere, ſed ſemper poſt illos relinqui atoniam.

Tremores verò, ſubſultus artuum, ſi à debilitate pendeant, roborantibus ſanandos eſſe ratio indicat, at cordis palpitationibus metuenda ſunt illa cùm ſummoperè timendum ſit, ne præcipiti ab illorum uſu facto ſanguinis circuitu, cruor ad cor vacillans, vividiùs appellat, undè augeatur malum, gravamine & pondere in cor & ſtimulo indè naſcente adaucto.

Nec mirum, ut ſperamus, rerum gnaris videbitur, ſi inter artis curatoriæ inſtrumenta non illa numeramus, quæ in terroris & hæſitationis plenâ Melancholiâ nullâ ratione docente, nullâ ſuffragante experientiâ pro ſpecificis venditantur. Ungula Alcis, Cinnabaris, aliaque multa hujuſmodi quæ ad lucem properantibus tenebras offundunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De curatione Morborum qui à Melancholiâ degenere pendent.

Hos eodem prorsùs ordine quo in primâ hujus Operis Parte ſubjecimus examini, eſſe nunc exequendos ipſa ratio indicat. Eſto igitur:

§. I.

De Febris lentæ nerveæ curatione.

Orta à præfracto vaſorum tono, debilitatâque vi quâ functiones peragi debent, febris nervea, quanquàm repugnet per ſe atoniæ, eam tamen ſæpè pro cauſâ habet, latentemque pleniùs

indicat, ſi aliquod ægro relinquit intervallum. Generatim verò triplex hujus febris origo, triplex cauſa concurrens, in praxi reperitur, quâ exoriatur illa & invaleſcat.

Prima quæ rariſſima eſt, ea eſt quâ nervea ſentiens atque mobilis fibra ita ad sensûs acumen evecta eſt, ut vel minima rerum non naturalium impreſſio motum febrilem concitet. Hæc quiete miteſcit, actionum exercitio intenditur. Exemplum hujus febris nerveæ præſtant ephemeræ illæ quæ animi affectus violentos excipiunt. Hæ ſemper brevì terminum accipiunt, ſolæque nihil habent atoni, quanquam, tanta eſt actionis nerveæ in hiſce caſibus violentia, ut per ſe durare, atque longis conficere tormentis non poſſit, niſi etiam atonia ſeſe prodat. Summa enim omnia brevì mutari, Naturæ legibus conſonum eſt, & ut cum Hippocrate loquar, quia increſcere non poſſunt, ſupereſt ut declinent.

Hæc febris ſi in ipsâ ejus vehementiâ ſpectetur, nullam admittit curationem niſi per contraria. Retundenda animi ferocia, vel minis vel obſequio. Minax Præceptoris vultus, ratione ſuffultus, plures ſanavit pueros, quàm obſequium, plures fœminas obſequium, quàm minæ; ſæpè alterâ naſcente conticeſcit cauſa mali, animi affectio. Si aliquid medicamenti poſtulaverit furentis animi affectus: ea ſunt quæ morborum acutiſſimis dicantur, venæ-ſectio, diluentia. Sed fatendum eſt in hiſce noſtris amœnioribus atque minùs æſtuantibus terræ locis, rarò affectus animi morbum facere; morbo jam facto nocent, rupturam vaſorum comminati, inflammationes, &c.

Secunda

Secunda verò quæ cum atoniâ jungitur, aut ſaltem cum ingenti debilitate, frigore potiùs quàm calore inſignis, qualem deſcripſimus, quamnam ſanationis methodum admittit? Corroborantia per ſe indicaret atonia, vetat febris. Hinc vitanda Charybdis, illinc in Scillam non incidere artis eſt. Obſervatione pertinaci opus eſt ut nunc diluentibus mitigetur febris, nunc cauſa roborantibus debelletur. Sed illud ſaltem præcipuè incumbit, id omni vacat periculo, ut rectè & ad febris proportionem ſex rerum non naturalium uſus inſtituatur.

Aër ruſticanus, purus ſit, nec illuvie ſtagnorum, nec urbium putredine fœtidus, ſed rore vegetantium puro perfuſus & florum aromate, nec ſit nimiùm ut in altis montibus levis, nec gravior ut in profundis convallibus. Prior ſcilicèt vaſa nimiùm diſtendit rarefacitque humores; alter verò nimium ſanguini motum impertit, ſecretioneſque nimiùm intendit. Mirum eſt quàm malè ſe habeant, dum nimis humidus ſimul & frigidus hauritur aër, quem Cœnoſum vocavit antiquitas, Melancholici omnes, ſed illi præcipuè qui febre nerveâ laborant. Exſiccat & exhaurit nimiùm aridus; nil præter mediocritatem tutum eſt.

Maxima verò ſollicitudo circà ciborum uſum verſari debet, ne gravent illi ad reparandum inſtituti: ne, quod eſt frequentiſſimum, debilior natura ad eos ſubigendos febrim augeat. Pluries in die offerantur illi, ſed quantitate adeò parvâ, ut eos natura non ſentiat. Eſſe ex debiliſſimâ materie eligendos ipſa ſatìs indicat infir-

mitas, ſimulque ſi vis temperans adſit, ut in farinoſis toſtis atque fermentatis, in herbis & oleribus aqueis & mollibus, ex iis non tantùm alimoniam deduces, ſed etiam medicamentum. Sed ſola ægrotantis obſervatio, ſola ſedulitas hîc normam poſſunt indicare, atque legem ſtatuere. Nec prætereunda eſt Hippocratis doctrina, ſuaviores & à longo tempore conſuetos, inaſſuetis & inexpertis eſſe præferendos.

Quantoperè verò vitanda ſit affectuum animi quorumcumque violentia; quantùm fugienda Venus quæ ſivè ex parte animi eam ſpectaveris, ſivè tanquàm actum corporeum luſtraveris, duplici hoc titulo æqualiter perniciem minatur, longiori inquiſitione non indiget. Et certè hiſce ex rectâ ratione gerendis, tota curatio impenditur. Nocent enim medicamenta quæcumque, & ſæpiùs vidi ab iis etiam ſapientiſſimè inſtitutis curationem morbi ita retardari, ut ſublatis illis ægrotantes reconvaleſcerent penitùs, quanquàm diuturno tempore conflictati. Non unum ex iis quos macie & febre nerveâ confectos unica nutritionis cura arctior in ſanitatem priſtinam revocavit, hodiè vegetos atque ſanos appellare poſſum. Sed multò plures, quibus pro ſolo medicamine fuit equitatio, exercitium illud ſuccutiens, movens, circuitum inſtaurans ſine ullâ virium labefactatione, facem hîc præferente nunquam ſatìs laudato Sydenhamo.

Tertia demùm febris nerveæ ſpecies ea eſt quæ cum primarum viarum ſaburrâ connectitur, & ab eâ pro maximâ ſuî parte, in iis pendet quos aut ingluvies, aut indocilis animus flecti, non

ſinit ſobrietatis præceptis, hîc maximi certè ponderis, immorari. Plures ſunt hujus generis febres nerveæ, quæ catharticis mitigantur & tolluntur tandem, in iis præcipuè quibus antè alia viſcera ventriculus patitur, modò turgeat ſaburrâ, eâque gravetur, non laboret melancholicâ tenſione. Catharticis verò pro re natâ poſſunt aut narcotica, aut antiſpaſmodica conjungi. Legem dabunt quæ in articulis præcedentibus ſatìs fusè expoſuimus.

§. II.

De Tabe nerveâ.

A quacumque de causâ tabes pendeat, modò non adſit ſuppuratio, viſcus depaſcens & immedicabilis, in quâ ipſi efformando puri allaborant vires vitæ; ſi effeceris ut debitâ copiâ ſolidorum ſtamina ultima ros nutritius alluat, atque benignâ materie perfundat, optatam contigeris metam, ſanitatemque fueris aſſecutus.

Verùm ubi illa ſemel invaluit, nulla eſt quæ non ab ejus influxu & communi commercio patiatur functio. Undè altera officit alteri, fitque malorum cumulus quaſi vitiorum circulo in ſeſe redeunte increſcens.

Sed cùm genus illud morbi non ſtatim adoriatur, lentiſque ſerpat & adoleſcat progreſſibus, locum maturæ curationi relinquit, quæ non ex vehementi machinæ mutatione conflatur, ſed ex Hippocratis præcepto, quo docet lentè attenuata lentè eſſe reficienda, illa etiam ex aſſiduo rerum naturalium moderamine univerſa conſtituitur.

Duplicem porrò hîc tabis nerveæ originem licebit aſſignare. Altera meram tenſionem atque vaſorum ſtricturam pro exſiccante causâ habet, alia liquidioris laticis defectum. Quæ ſi utraque ſimul, ut ſæpè fit, complexa fuerit, atque conjuncta, gravius enaſcetur malum, complexis pariter adoriendum indicationibus.

Si enim tabem advexerit præternaturalis tenſio ab aridâ & delicatâ ſolidorum ſtructurâ pendens; attentus ne ſtomacho noxam inferas molli diætâ, regimine humectante, non tamen ita alluente ut omnia aquâ diffluant, medicinam malo afferes. Vitabis ſcilicèt eorum errorem qui nimiùm aquei laticis intrà ſanguinem admittunt, undè non nutriuntur, ſed, ut ita dicam, immerguntur ſolida, & velutì vappeſcit cruor, proportioneque defraudatur debitâ. Sed ſensìm intrà partes inſinuatus aqueus latex, mucoſo præſertim lentore retentus iis ſeſe jungere amet, undè & liquidior fiat materies nutritia, & ſimul leni laxationis beneficio ſolida fruantur. Huc referuntur balnea illa tepida quæ cutim aperiunt, quæ ſtamina vaſorum tenuiſſima humectant,ſimulque aqueas partes oſculis bibulis hauriendas offerunt, ſi præſertim frigidioris aquæ poſt balneum affuſione, nimia indè exorta perſpiratio temperetur atque retundatur.

Huc demùm omnia revocantur, tenui donata mucagine, humectantia, hordei, avenæ, ſecalis, graminis decocta. Tenuia juſcula ex pullo & vitulo, ranis, cochleis terreſtribus, imò & teſtudinibus conflata, lactis ſerum, olera ipſa mollia, potus aquæ ſimplicis; quæ omnia ſemper ita

danda ſunt, ut dilutionis beneficium nimiâ relaxatione non compenſetur, aut nimia toni intenſio vertatur in atoniam.

Tabi verò etiam nerveæ ab hac causâ pendenti ſummum medicamen præſtat diæta lactea, aut ſaltem bis, aut ter in die lacte aſinino ſeſe proluere. Imò etiam ut extremis extrema accommodanda ſunt remedia, ſummum fuit præſidium ex ipſis fœmineis uberibus lac traxiſſe; non refellendis enim exemplis conſtat ſummâ macie confectos, hujus medicamenti uſu in ſanos & robuſtos evaſiſſe. Et Chirurgum hodiè adhuc ſaniſſimum novi, Chirurgicamque laborioſam certè Artem cum laude exercentem, cui olim pro remedio fuit, nutrices tres quotidiano lacte exhaurire.

Alteri autem tabis nerveæ ſpeciei quæ à merà humorum ſiccitate ſine inſigni tenſionis connubio repetenda eſt, eadem methodus competere debet, niſi quòd licet in illâ ſpecie aliquid tonici levioris addere; ut aliquo gradu increſcens cordis actio, ad intimiora uſque vaſa rorem nutritium devehat. Nec tamen minùs irritantia quævis vitanda ſunt, ne ſiccitati addatur tenſio. Hinc locum hîc ſalutarem inveniunt, aperientia leviora, aromaticâ vi non deſtituta, ut flores varii Chamæmeli, Sambuci, Meliloti, aquæ leviores Martiales, ut apud nos, Forgienſes, locorum diſtantiâ mitigatæ, Paſſiacæ depuratæ, aliaque hujuſmodi. Tum decocta aperientia Borraginis, Bugloſſi, Cichorii, Taraxaci, Sonchi; infuſa levia ex Becabungâ, Naſturtio, aliiſque ſimilibus mediocri ſaponaceâ virtute donatis. Sed res na-

turales omnes ad præcedentem modum dirigantur, addaturque his antè omnia equeſtris exercitatio, ſin minùs vectio, ſuccuſſatio, aut demùm frictio, pro viribus, aut lenis aut fortis; quæ omnia totam curationem noſtram conſtituunt, modò non adſit acrimonia latens, propriis ſibi debellanda remediis.

Patet indè nullum ferè in tabe nerveâ rependi antiſpaſmodicis pretium, imò pauca omninò uſurpanda eſſe remedia: ſed rem totam & exercitio & ſobrietati, abactis longè atque fugatis vanis terroribus eſſe relinquendam.

§. III.

De Paralyſi & Hydrope nerveis.

Hucusque fibrarum tonus etſi perverſus in tenſione peccare potuit, eum tamen vegetum vividumque exhibebant morbi, de quibus agebatur nuper. Hîc cum ipsâ atoniâ nobis res agitur. Mutata omninò ſcena eſt. Omnia laxitate laborant, inerti muco diffluunt omnia. Paralyſis atona, cardiacis ſtimulantibus, aromaticis ſpiritibus & ſalibus volatilibus, oleis eſſentialibus, frictione vehementi, mordente & veſicas concitante emplaſtro, cucurbitis, ſcarificationibus curatur. Veteris tamen memor flammæ vide ne odores fortiores exteriùs applicati capiti noceant, nervoſque ſtimulo quidem, ſed convulſivo exſuſcitent. Diæta ſit cardiaca ex alimentis benè coctis, partibus tenuioribus conſtet, viribus ſemper accommodata, quæ non eas exſuperet, ſed quæ nec ſuâ mediocritate peccet. Si vacuantibus opus-

eſt, quod Hydropicis præcipuè competit, inſtituendæ ſunt pro re natâ & vomitiones & catharſes, ſed ſtatim ab eorum actione peractâ antiſpaſmodica vehementiora machinæ laboranti ſuppetias ferre debent. Uno verbo, omnia hîc & actuoſa, & fortia medicamina eſſe par eſt; nec aliud habent commune morbi hi noſtri cum præcedentibus, niſi quod iis pariter exercitatio conducat, ſed hìc & fortis eſſe debet, & corpus ad uſque defatigationem deducens; omnis verò curatio ex notis atoniæ & colluviei ſeroſæ indicationibus componitur, ſi miſceatur cum illis non parcus, ſed fortis antiſpaſmodicorum validiùs cardiacorum uſus.

Finis primæ Partis.

DE MELANCHOLIÆ, ET MORBORUM *MELANCHOLICORUM* CURATIONE.

PARS ALTERA.

De Melancholiæ humoralis curatione.

Ex nerveæ atque ſentientis partis affectione melancholicâ ad eam devehimur, quæ ab humorum vitio pendens ad mechanicam corporis mutationem refertur, ſuique non indubitata ſigna prodit, quorum alia ex fluentium per vaſa elaterio prædita liquorum legibus enodantur; alia verò ex incognito animæ cum corpore commercio pendentia eam ſervant obſcuritatem quæ nimis altè ſapere, de tanto arcano, ambientium, oculos obtundit & tenebroſâ obcœcat caligine.

Mutationis verò illius melancholicæ ex quâ

naſcitur humor niger, imò & peſſima atrabilis, acris, erodens, acida, ſpiſſaque & ſplendens, ut cum veteribus Præceptoribus noſtris loquar, naturam, eſſentiam, cauſas atque ſymptomata ſatìs fusè in priori hujus Operis Parte proſecuti ſumus, ut de iis ne verbum quidem addamus; ſed ad curationem liceat properare, cujus pars non una è tenebris eruenda incumbit. Hiſtorica enim alia Veterum dogmata exponere debet, altera verò ratione, & experimentis Recentiorum ſuffulta ad veram lucem afferendam properare debet.

Et certè quod hiſtorici eſt in curatione hujus morbi, eò majoris eſt ponderis, quòd forſan in Artis dedecus fatendum ſit, nos in ſanatione hujus mali, Veteribus minùs eruditos eſſe. Conſtat enim non ſolùm ex Medicorum monumentis, ſed ex Libris etiam qui ad Artem non pertinent, omnes ferè Melancholicos, aut à Melancholiâ Maniacos, per Artem ſanatos olim fuiſſe. Et hanc quidem vetuſtiſſimam fuiſſe Artem ipſæ fabulæ indicant. Sic Præti natas furore melancholico correptas ſanavit Melampus, herbâ Melampodio dictâ eâdem, ut videtur, atque Helleborus, falſoſque mugitus quibus agros implebant, arte compeſcuit. Purificationes, ſacra varia, Taurobolias, Balnea, & in ſacris fontibus immerſiones, veris remediis prætexebant Sacerdotes, per myſteria pretium naturali rei addentes, & profanum vulgus à ſcientiæ cognitione arcentes. Ad iram enim Deorum immortalium morborum ferè omnium cauſam referebant, teſte ipſo de peſtilentiâ Homero. Undè nullus eſt ferè morbus, ipsâ ſuâ ſpectandus atrocitate, qui non aliquod

Numinis nomen apud Antiquos habuerit. Cerritus morbus, Herculeum malum, Larvata affectio, Sacer morbus, aliique plures paſſim apud Autores occurrunt, quòd hiſce morbis à cœlo, aut ſacris hominibus, medicina quæreretur. Nec videtur aliâ de causâ pœna itineris Agamemnonio Oreſti impoſita, quàm ut afflictus diſtractione objectorum erigeretur animus, aut quia in Tauride ſive herbarum vis potentior, ſive methodus tutior ad hos expellendos morbos excoleretur. Nonne etiam ſi fabulas expendere juvat, Æetæ ſenectus alacrior reddita per mollium herbarum balnea videtur. Alia ſunt etiam multa, quæ vulgo celata; omnium tamen oculis uſurpata, majora humanis credita ſunt, & deturpata narratiunculis, quales etiam apud nos, in tantâ ſcientiarum acquirendarum facilitate, quotidiè rerum gnaris riſum movent, avidè tamen ab incautis accipiuntur. Sic emunctæ naris vir Ariſtophanes noctem integram in Æſculapii fano cubantes, Sacerdotumque technas falsè irridet, Melancholiciſque reſpondet πῖθ' ἐλλέβορον. Nec minùs tamen quæ ad nos pervenere præcepta Æſculapii medicum ſentiunt, ſeſe divinitatis velo occultantem. Vide *Le Clerc* de iis fusè diſſerentem quæ nullâ ratione ad nos pertinent. Id intereà certum eſt nullum in antiquiſſimis gentibus, inter alia publica monumenta incarcerandis atque incatenandis inſanis, locum fuiſſe deſtinatum, quales apud recentiores populos undique reperiuntur. Sed paſſim de inſanis mentionem injici tanquam ſanabilibus. Ipſe Hippocrates Melancholiam ſimplicem inter leves morbos numerat, *De Morbis Lib. I.* Men-

tem ſanare verbum eſt Platoni uſurpatum. Et eam ſanationem corporis reſtituto tenori tribuit in χαρμίδη. Jam verò Græcorum vetuſtiorum ut videtur, exſcriptor Plautus de maniâ ut de morbo ſanabili ſatìs fusè loquitur. Cùm enim alter è Mænechmis pro inſano habetur, alligant eum lorarii, & ad Medicum adducunt, qui cùm furentem videt & vincla recuſantem, non de morbi ſanatione deſperat, ſed doſim doſi addendam pronuntiat, ut jam multa hellebori jugera ei neceſſaria crepet, eumque huic potui per aliquot viginti dies addicendum edicat.

Quanquam autem exigua ſit in hac materiâ Poëtæ comici autoritas, qui mores potiùs pingit, quàm artem exprimit, tamen receptam uſu & ſucceſſu methodum fuiſſe, comprobat; in quo & cum reliquis hujus temporis Autoribus mirè conſonat, cùm nullibi legatur, fuiſſe carcere & ſolitudine ſegregatos maniacos, ſed ſemper cum inſaniâ hellebori nomen jungatur, undè voces illæ apud Poëtas vulgatæ, navigare Antyciram, quæ hellebori proventu illuſtris fuit inſula, ut alibi dicetur. Fatendum tamen eſt quòd Galeno adſcriptus de Melancholiâ Liber (*a*) Aetii Sicamii nomine vulgatus, incipientem, leviorem & curatui facilem; veteraſcentem verò difficiliùs curandam edoceat. Sed effatum hoc nihil omninò de morbi ſanabilitate ſtatuit; cùm ad omnes æquè morbos prognoſis illa poſſit referri. Hinc verò ſatìs apparet duplicem hîc ſcopum nobis proponi, morbi curationem evolvere ſata-

(*a*) Charter. Tom. X.

gentibus. Primum eſſe ut ſacros vetuſtiorum monumentorum fontes rimemur aſſiduè, poſteà verò, ut quoniam nullius autoritas eſt in Medicinâ ponderis, niſi ratione fulciatur, adhibenda remedia ad rationis lancem examinemus.

Omnis ergò noſtra de curatione humoralis Melancholiæ Tractatio hiſce titulis comprehendetur. 1°. Curationem diſpoſitionis, aut nativæ, aut acquiſitæ ad Melancholiam ſecundùm mentem Veterum exequemur, eamque ad Phyſices leges perpendemus. 2°. Ipſius morbi curationem & varias cauſarum indicationes, imò & ſymptomatum exequemur. Poſteà verò morbos ab eâ pendentes facilius erit curatione aſſequi. Motam denique & in morbis acutis ferocientem compeſcere tentabimus. Sic Recentiorum inventis Veterum obſervata aut fulciemus, aut etiam ea ſubvertemus, ſi aut ratio, aut experientia repugnent, ita ut veritate, nullatenùs autoritate iter inſtruatur. Quod utinam in utilitatem infelicium illorum cedat qui clathris atque verberibus ferarum inſtar, non malorum lenimen, non ſanationem inveniunt, ſed inhumanos riſus excitant vecordium, cordatorum miſericordiam, humano autem generi timorem incutiunt, cùm nullus ſit qui ea abſurda pati non poſſit.

CAPUT PRIMUM.

De illorum curatione qui ad Melancholiam humoralem prædiſpoſiti ſunt.

SI fragilitati artis humanæ ſemper conceſſum foret, morbos qui miſeris undique impendent non prævidere ſolùm, ſed etiam præcavere, præclarè cum mortalibus ageretur. Verùm multi ex morbis inopinanter ingruunt, & turbinis inſtar in ipſis ſæpè deliciis opprimunt, quod vulgò de Melancholiâ in genere dici non poteſt, præſertim verò de humorali quæ non ſimplex, aut ſubitò poteſt in corpus accipi, ſed ſensìm humoribus tenacioribus atque quaſi piceis factis, & ſolidis in atoniam redactis, habet elementa intùs in ipſis corporis principiis vitiatis fundata atque radicata. Si ergò emicat aliquandò protinùs, effectibuſque non præviſis anteà in apertum ſe prodit, aderat tamen intùs noxa latens, conſtitutioque ad morbum prona, quam tollere Arti conceditur *(a)*.

Præcautio adversùs morbum quemvis duplici conſtat indicatione adimplendâ : prima eſt ut amoveantur remotæ omnes cauſæ quæ morbo inferendo aptæ ſunt ; altera verò ut ſuperentur

(a) Νῦσοι δ' ἀνθρωποίσιν ἐν ἡμέρῃ ἡ δ' ἐπὶ νυκτὶ,
Α'υθόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φερῦσαι
Σιγῆ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα ζεύς.
Heſiod. Opera & dies,

atque immutentur effectus primarii cauſarum harumce, qui ſi dominium in corpus ſemel obtinerent, morbum ipſum facerent.

Ut priori fiat jus indicationi noſſe ſufficit quæ ſint cauſæ illæ. Cognitas à ſe avertere & ab iis fugere ſimpliciſſimum artificium eſt. Sic Angli quos ſua ipſa conſtitutio, & loci patrii intemperies ad Melancholiam nerveam adigit, & cauſam & effectus tollunt, ſi maturè ad alia loca enavigaverint. Sic quos vicinia ardentioris ſolis, ablato liquidiori fecit exuſtos, reficit brevi amœnior rore fœcundo madens, ventiſque ſalutaribus tellus perfuſa; ſic æſtatis effectus tollit autumnus, autumni noxam corrigit hyems; nullaque datur ſummâ naturæ indulgentiâ nocendi forma, cui quaſi juxtà, non reperiatur antidotum. Cùm iracundus Achilles, atrâ bile turgidus, in Agamemnona minacem gladium diſtringere minatur, frænum laſcivienti bili imponit prudens Minerva, quæ ſemper homini cuivis adſtat, ſi illi auſcultare docilis fuerit. Regimen ex auſteris dyſpeptis craſſioribus alimentis conſtans, humidâ temperante, leniente diætâ curatur. Uno verbo, cauſas illas remotas & occaſionales ut fugere & arcere facillimum eſt, ſi ſemel fuerint agnitæ, ita non omninò ſemel ab illarum impetu natos effectus vincere pronum eſt.

Veteres cum Hippocrate & præſertim cum Galeno, rem adversùs Eraſiſtratum acriter diſputante, melancholicum humorem ut naturæ inquilinum habuerant. Hinc ergò eum à corpore eradicare & funditùs proſternere putaſſent eſſe piaculum; temperamentum verò ab ejus eviden-

tiori exiſtentiâ conſtans atque conflatum, veluti rem ex ordine naturæ ſervandam eſſe conſtituebant, licèt aliter & Fernelius & Sennertus cenſuerint, auſi Galeno contraſtare, quòd illis quibus vivebant temporibus, grande nefas credebatur. Verùm cùm ex Galeni dogmatibus omne temperamentum à medio illo, ſeu mediocri diſcedens, furtìm labatur in intemperiem; ſi Melancholia prædominaretur, aut corrumperetur illa, aut ſi temperies univerſalis, hanc illamve partem affectaret, tunc præcautione utendum ſuadebant.

Præcautiones verò illæ in compeſcendâ luxuriantis temperiei vi, omnes ferè à ſex rebus non naturalibus deſumebantur, morbis enim reſervabantur remedia, quæ naturam mutare, non ſervare nata credebantur.

Ut autem frigida & ſicca habebatur melancholica intemperies, ita vitam & victum inſtituebant, ut hinc non frigida, illinc verò humectantia proponerentur. Victus, ait Galenus, *Libro de Melancholiâ*, ſit boni ſucci, humidus, ἀφύσος, *flatûs expers*, citrà aliud efficax remedium. Huic addit Poſidonius ſerum lactis melle admixto, tanquam verum imminentis Melancholiæ ſpecificum antidotum. Tum verò curas & acriora ſtudia, quas pro cauſis morbi agnoſcit, ſedulò vitandas eſſe patet.

Ut autem iidem Autores lienem habebant cum Galeno adversùs Eraſiſtratum, pro maximo nigri humoris emporio, ejuſque vacuationes per alvum fieri; omnes ex antiquitate Medici cenſuerint, mirum eſt quanto conſenſu in incipientis etiam morbi exordiis purgationem ſuaſerint.

Quid quòd Hippocrates ipſe, aut ſaltem primævi ejus diſcipuli, licèt in adhibendis catharticis adeò prudentes & cauti, ſi vel aliquod dubium de Melancholiâ exſuperante ab inſomniis ſignum arripuerint, illicò ſolvi per cathartica malum præcipiunt, ſi tamen qui de inſomniis inſcribitur Libellus, tanto Autori aut ejus ſcholæ tribuendus ſit. Quò autem magis hanc ipſi doctrinam tribuam ſuadet Galeni conſilium, qui in genuino ejus de atrâ bile Libello diſtinctis verbis pronuntiat : « Generatim omnes qui ab humore melancholico proveniunt affectus inhibebis inter initia humorem cum vacuantibus validè purgans ». Quod quidem periculoſum dogma quouſque verum ſit, alibi perpendetur. Nec minùs verò Rufus Epheſius adeò à Galeno laudatus, in fragmento quem nobis ſervavit Aetius Sicamius, inter initia lenem purgationem ex epithymo & aloë ſuadet, additque : « Etiamſi horum parùm quotidiè acceperit æger, prodeſt tamen moderatè & paulatim ſubducendo ». Rem leniùs tractari volebat Poſidonius in eodem loco, qui ſolo ſero lactis melli admixto præcipit alvum laxari, ut modò dicebamus, nec niſi eo deficiente, ad epithymum & aloem vult recurrere. Sed ab his omnibus Autoribus bona & conveniens victûs ratio antè omnia ſuadetur.

Porrò quæ ſit illa victûs ratio non dilucidè expoſuerunt, ſed cum Hippocratis maximè ſequaces ſint, ab eo diætæ leges mutuari non dubitamus. Hîc igitur 2°. de morbis, φροντίδα & morbos nigros deſcribens, his cibos pauciſſimos, ſi debilitas non adſit, alvum ſubducentes, commendat

mendat non acres, non ſalſos, non pingues, non dulces guſtu. Et calidâ eos lavare prohibet, à vino & acribus arcet, aut ſaltem vinum aquoſum permittit. Neque exercitationibus eos vult uti, ſed quiete contrà temperari atque emolliri. In progreſſu mali fit morbus niger quem ab aliis nigris acido dentes ſtupore afficiente, diſtinguit. Tunc primùm pharmaca frequentia ſuadet. Undè illa ab Hippocrate non tam ad precautionem mali, quàm ad fuganda ejus exordia videntur uſurpata. At ſemper cibos molles, piſces littorales & cartilaginei generis, betas, cucurbitas, vinum album aquoſum præcipit, & in omni horum genere morborum lac áſininum, ut & Poſidonius equinum, vult curæ abſolvendæ adhiberi, iteratoque præcepto à ſole, ſeu potiùs ab æſtuantis ſolis irradiatione in caput, abſtineant jubet.

Verùm ſi ultrà eſt animus, diætæ leges ad Melancholiæ tum præcautionem, tum curationem ſectari, quidni apud eundem Autorem diætæ autumnalis præcepta ſequimur. Cùm, ut jam alibi dictum eſt, autumno & ejus facultatibus, Melancholiam & ejus proprietates æquiparaverit. Hæc tum ex æſtivæ diætæ reliquiis, tum ingruentis hyemalis minùs ſeveris præceptis conflata, eò hyemali proximior eſt, quò tempeſtas magis in hanc vergit, & accuratè *Libro III. de Diætâ* deſcribitur.

In his igitur cautionibus adversùs imminentem morbum tria notanda ſunt. 1°. Conſenſum inter Medicos vetuſtiores ſummum eſſe, ut diæta mollis, humida, imbecillima ægrotantibus inſtituatur, ut labores nimii tum animi, tum

corporis vetentur, ne ſcilicèt Melancholia vertatur in atram bilem. Imò hunc in finem ipſe ſolis ardor devitetur, iu caput præſertim, ne humor quaſi rarefactione vaſorum attractus, caput invadat, ſuumque ibi dominium exerceat.

2°. Omnibus etiam æqualiter purgationem maturam commendatam fuiſſe, ſivè per univerſum corporis ambitum diffuſus ſit humor noſter, ſeu in caput deſævierit, ſivè lienem & hypochondria occupaverit, de quibus purgandis cùm cæteri tacuerint, præceptis Poſidonii de catharthicis ad hypochondriacum affectum adhibendis videntur conſentire.

Idem verò diſtinctè pronuntiavit Hippocrates de atrâ bile in uteris, *Lib. II. de Morbis.*

3°. Verò illud etiam æqualiter ab omnibus commendatum eſt, ut præcavens cura finiatur atque confirmetur, uſu lactis aſinini aut equini, repudiato lacte bubulo, cujus ſerum melli remixtum, lacti animalium ſuprà dictorum, videntur æquiparaſſe ferè omnes.

Ultrò tamen fatebimur quòd dum numeroſa veterum Medicorum à Galeni ævo volumina evolvimus, ſinguloſque ſpe arripiendæ veritatis ſectamur, autoritatem viliorem reperimus plerorumque, qui pudore ómni ſoluto, ætate ſuperiores ita exſcribunt, ut nihil addant, præter pauca quædam aut ſuperſtitione, aut merâ opinione famoſa remedia. Quod piaculum tamen, nec ad Alexandrum, nec ad Cœlium Aurelianum pertinere poteſt.

Præterea verò fugienda multa ciborum genera quæ Melancholiæ producendæ apta erant, Au-

tores veteres præcipiunt. Cùm enim Melancholia ipſis pro humore naturali haberetur, quæ plus terrei quàm alterius cujuſvis principii haberet, neceſſum ipſis videbatur, ut quodcumque ex naturalibus corporibus ſimili abundaret principio, Melancholiæ inducendæ faveret. Hinc inter vegetabilia Melancholiæ cumulandæ apta numerabant Lentem, ſemen Cannabis, Braſſicam, tubera quæcumque, inter animalium carnes bubulam. Ex animalibus quibuſcumque ſanguinem melancholicum edixere, ſed præſertim lienem quam acerbitate quâdam donatam, à leonibus, pantheris, carnivoriſque animalibus intactam relinqui docet Galenus, cùm reliquæ omnes cadaveris partes vorentur. Quod obſervatum à nullo alio Hiſtoriæ Naturalis cultore, comprobatum ſcio. Addit vitandis Trallianus Libro II. Erucam, Sinapi, Allium, carnem cervinam & ferinas omnes, panem ſordidum, garum, vina vetuſta auſtera. Oribazius verò his annumerat carnem leporinam, tynnos, cete, delphinas, cochleas, typham, caſeum vetuſtum, vinum craſſum nigrum.

Hiſce cautelis, Veterum ſpes fuit Melancholiam eludere atque præcavere, cùm ſummam ſimul adjungerent animi atque corporis moderationem; in quo quidem quantum ſpei eorum fuerit fundamentum, ex recentiori Theoriâ nunc videndum eſt. Tot undique circumſtant nocendi jure donatæ cauſæ, ut fugiendis atque devitandis illis impar ſit omninò hominum malè cauta ſedulitas. Sed ſi mutatio ab iis naſcenda, in humoribus corporis humani phyſica, ſemel cognita

fuerit atque ratione deprehenſa, quod in hac noſtrâ intemperie ſatìs abundanter factum confidimus, præcautio noſtra in duobus hiſce peragendis conſiſtet.

Primum eſt ut quantum fieri poſſit, malo cauſæ gravidæ ſummâ ſollicitudine arceantur; alterum eſt ut ſi non poſſint illæ à corpore averti, ita dirigantur tamen atque cohibeantur, ne eorum effectus corpus lædat, atque ita afficiat, ut iis etiam remotis morbidum remaneat.

Omnes porrò Melancholiam humoralem inducentes cauſæ in illud unum collineant, ut inductâ humoribus nimiâ tenacitate, ſolidorum vires ſimul fatiſcant, ut in priori noſtri Operis Parte demonſtravimus. Undè patet ad formandum morbum, præter alios complexum atque compoſitum, aut vehementi aut longâ opus fuiſſe intùs graſſantis intemperiei efficaciâ. Hinc cautela adversùs imminentis Melancholiæ minaces inſultus inſtituenda, hoc tantùm temporis punctum ſpectat, in quo morbus nondum exiſtit, aut cùm jam dubia & ancipiti fulta judicio, ſuæ præſentiæ ſigna comminiſtrat.

Præcipua igitur cautelarum noſtrarum meta, quæ ut remotiſſima primaque morbi elementa conſtituens è longinquo providenda fuit, in eo conſiſtit ut fluidorum prima habeatur cura, ne tenacitate indivulsâ partes illorum cohæreant, ne intrà ſuum activitatis centrum partes à ſe invicem repellendæ, poſſint concentrari atque attractione mutuâ adunari. Poſteà verò ſolidorum tonus ita ſartus eſſe debuit, ne inflammationem

ſpiſſiori liquido facilè contrahendam, concitet ars præpoſtera.

Ratio autem quâ denſiora atque ſpiſſata fiunt fluida, non una eſt. In alterâ ſcilicèt quaſi inerti otio torpentia ſolida, partes fluidorum heterogeneas adunari inter ſe ſinunt, laxiori quidem unione & ſpontaneæ ſimili, quâ cruor in vaſe effuſus concreſcit.

Altera contrà à nimiâ vaſorum actione partes ad ſeſe invicem apprimente & liquidioris partis expreſſione naſcens, ſpiſſitudinem ſeu denſitatem inflammatoriam conſtituit. Ut hæc poſterior ab aucto Naturæ motu pendet, prior eumdem præfractùm atque labefactatum oſtendit, eſtque ſpiſſitudo cachectica. Hæc autem etſi alacritatem atque nativam ad functionum exercitium aptitudinem deſtruat, nunquam tamen ſpiſſitudinem melancholicam inducit, cùm laxa omnia atque humore diffluentia efficiens, hydropem potiùs atque cachecticos morbos ex ſuâ naturâ invehat, quàm alios quoſcumque. Quæ autem inflammatorio æſtui natalia debet, ſi adunatis liquorum principiis, ſolida non ſtimulet ad phlogoſin, ſed ea inæqualiter aut gravet, aut obſtipet, habetur pondus, anxietas melancholica. Quo autem pacto res & fieri, & per univerſum corporis ambitum diffundi, aut in hanc illamve partem decumbere poſſit, alibi ſatis fusè expoſitum eſt; à quâ tractatione id velim unicum deduci, quòd qui humorem melancholicum præcavere atque prævertere volet, ſciat neceſſe eſt, ſibi antè alia cum eo hoſte dimicandum, ſpiſſitudinemque ſanguinis inflammatoriam, licèt omninò à melan-

cholicâ abludat, eſſe tamen remotiſſimum ejus elementum.

Res ergò removendæ omnes illæ, quæ dum tenuiores fluidorum particulas auferunt, ſanguinem denſant in ſolidiorem maſſam, eumque exſiccant. Actio nimioperè intenſa cordis; aëris calor immodicus, aut ariditate ipsâ protractâ exurens; aut diæta ſiccior, animi affectus violenti, motus nimii tum animi tum corporis, vacuationes quæcumque aut naturalibus majores, aut nimis protractæ, exceptâ ſolâ ſanguineæ ipſius rubræ partis, ad hoc inferendum ſanguini vitium conducunt.

Si quem ergò à longinquo melancholicum fore, & humorali melancholico vitio laboraturum ſuſpiceris, hunc maturè à violentis tempeſtatis nimiùm aridæ atque calentioris aſſultibus ſemotum ſervabis. Aër nec gravior eligetur, qui pulmonalem intendere natus eſt actionem, nec levior, quo exhalatio nimia fit.

Purus quidem & ab omni miaſmate liber, ſi talis eligi poſſit, cæteris omnibus antecellit; ſelige leviter humidum, qualis eſt littoralis, ſed qui ſtagnanti proximus aquæ non ſit, undè fit athmoſphæra gravis & putridis cœnoſa effluviis. Mirum eſt quantùm ad præcavendam ſpiſſitudinem hanc aëris ſereni uſus conducat, ſive quòd perpetuo ductus ſpiramine partes ſanguinis à ſe invicem ſolvat, elaſticamque reſilientem ipſis facultatem impertiat, undè minùs uniri faciles evadant; ſive quòd & nervorum & vaſorum oſcillationes reddat & liberiores & æqualiores. Certè nullus eſt quem non aër ſtagnans gravet, laſſum

atque hebetiorem reddat, cui non vires atque alacritatem, cœlum ſudum atque ſerenum inſpiret. Hinc præcipua regionum inter ſe diverſitas experimentis deprehenſa ſatis. Undè fit ut Melancholia quaſi cum civitatis jure quibuſdam tribuatur.

Generatim verò urbium aër campeſtri atque ruſtico probè ventis, præcipuè verò Boreâ perflato, magis melancholicus eſt. Hinc rure gaudent Camænæ, hinc ibi formoſiſſima voluptas, puraque & illibata deliciarum genera è Naturæ penu depromuntur, raròque apud Ruſticos gliſcit Melancholia. Hinc methodicis ut Sorano cujus verba videtur exſcripſiſſe Cœlius Aurelianus, ſumma in ſanandis animi morbis aëris ſeligendi cura fuit, quod aliis nimis prætervifum doleo.

Cibus verò & potus maximam in ſpiſſitudinis inflammatoriæ natalibus partem ſibi vindicant. Non quidem quòd pars ciborum nutriens per ſe eam poſſit inducere, ſed aromatum largior proventus, ſalitorum animalium fumo & ſale induratorum uſus, acria quæcumque edulia, qualia ab Autoribus noſtris enumerantur, partem maximam in actione cordis & vaſorum adaugendâ ſibi vindicant. Sed præcipuè verò & antè alia condimenta, ſpirituoſorum abuſus inflammat, denſat, exſiccat. Sed cùm de his in hoc Opere jam non ſemel locuti fuerimus, longiùs agere ſupervacuum eſt. Ad Melancholiam igitur præcavendam victus eſto ſimplex, humectans, ex cerealibus benè fermentatis conſtet & tenerioribus carnibus; potus nec eſto nimiùm copioſus, nec parcus nimis; nimiùm copioſus vix ſanguini miſcetur quem

gravat; ſimulque utiles miſcelæ totius partes per urinam avehit & abripit. Nimis parcus exſiccat. Undè liquet quantùm in hac diætæ inſtitutione cum veteribus noſtris Præceptoribus, ratio experientiâ fundata nos jubeat conſentire.

Nec minùs illis concordes erimus, cùm ſummam tum corporis, tum animi quietem commendamus iis quos minatur inflammatoria denſitas. Cùm enim tota illa nimiæ circulationis efficaciæ accepta debeatur, patet motum quemvis, aptitudinem liquorum quâ concreſcant atque coaleſcant, adaugere, adeòque iis tantùm ex medicâ lege motûs permittitur, quantùm ſufficit, ne omnia inerti torpore diffluant; videmuſque indè quàm ſapienter & Hippocrates & ab Hippocrate alii, diſſuaſerint iis quos ſpiſſitudo ad Melancholiam deducens, vexare poteſt, ne Soli caput exponant, cùm à rarefactione quam calor ille exurens producere poteſt, hærentia in vaſis capitis induci, atque in hanc principem partem Melancholia decumbere poſſit. Quod peſſimo exemplo vidi in viro, alioquin ingenioſo, quem ardor ſolis nimiùm capiti exceptus, in febrem ardentem præcipitem egit, quâ perſanatâ remanſit mentis error melancholicus. Qui non raró, teſtes hîc mihi adſint Medici omnes, poſt vehementiſſimas febres, compoſito febrili incendio, longa reconvaleſcentiæ faſtidia protrahit.

Vigiliæ cùm exſiccent, vitandæ. Vacuationes quævis in corpore non bellè præparato tenuiora auferunt. Venus ipſa niſi corporis ſalubri robore eam poſtulante, nocet, & ut pretioſi liquoris vacuatio, & ut animi affectus.

Affectus verò animi violenti omnes ita ſæpè inflammant, ut mortis ſubitæ, delirii, phlogoſios ab eâ natæ exempla apud Autores non rara ſint. Qui ergò vitandi, imò ſi in Melancholiâ nerveâ ſæpè plenaria curatio à legibus moralibus atque Philoſophiâ petenda ſit, ſæpè non minimam ſanationis partem implet, in ſpiſſitudine inflammatoriâ animum regere didiciſſe, eique fortiter imperaſſe.

Verùm omnia quæ hîc de inflammatoriâ denſitate afferuntur, an omninò & ſemper Melancholiæ denſitati competunt.

Differunt certè inter ſe ita tamen ut altera alteram præceſſerit. 1°. Ubi jam fervor inflammatorius deferbuit, jamque remanet melancholicum frigus, tunc quæ actuoſa erant, & tenuata diſſlata fuêre, ſupereſt quaſi picea tenacitas. Et ut metaphorâ è Chymicis petitâ uti liceat, remanet quaſi caput mortuum denſitatis inflammatoriæ. 2°. Adeſt in ſpiſſitudine melancholicâ vis impellens minor, quæ major in inflammatoriâ diatheſi. 3°. Ab hiſce proprietatibus tertia ſequitur quòd in phlogiſticâ humorum diatheſi ardor ingens adſit, nullus verò in melancholicâ, ſed ut Galeni verbis utar, relinquitur cinis poſt incendium. Hinc cautelas proprias ſibi vindicat.

1°. In ſpiſſitudine inflammatoriâ quocumque in caſu, omnia quæ æſtum incendere valent cane & angue pejus fugienda, melancholica verò craſſities, permittit leviora ſtimulantia quæ fibras exſuſcitent & liquida diſſolvant, ut ſunt Chamæmelum, flores Sambuci, Meliloti, ſucci plantarum ſubamari, ut ſucci Taraxaci, Cichorii, Bor-

raginis, aliique his ſimiles ſaponacei in eâ curandâ locum inveniunt; alimenta hujuſmodi ex oleribus, ut Betâ, Spinaciis, Lactucis, aceto, ſale condita, ſed cocta comedantur, nec vetitum ſit cautè atque prudenter vino tenui aquoſo uti.

2°. Ut craſſa, auſtera, cogentia in inflammatoriâ denſitate poſſunt aliquandò prodeſſe, cùm virium intenſitatem occupent, nocent ſemper in ſpiſſitudine melancholicâ, quia ſcilicèt facilè eorum partes in tenuiſſimis hærent vaſculis, & inertia fluida cogunt; cumque ipſis, terrâ intermediâ, reſinoſam unionem contrahunt, quod inflammatione minas intentante nullatenùs metuendum eſt.

3°. Laxatione in ſpiſſitudine inflammatoriâ ſemel factâ, cætera quaſi ſpontè reſolvuntur & quaſi elaſticâ vi reſiliunt. Quod in ſpiſſitudine melancholicâ evenire non poteſt, in priori enim vergunt omnia in adunationem, ſed vi ſuâ reſultivâ non defraudantur. In Melancholiâ contrà facta eſt & hæret principiorum adunatio, undè arte opus eſt ut illa ſolvatur. Hinc quam Veteres ferè omnes in curatione incipientis Melancholiæ ſuaſêre venæ-ſectionem, mihi potiùs ad præcautionem videtur inſtituta, quàm ad morbi curationem, quia nondum principiorum adunatione factâ, reſiliunt illa, priſtinâ enim libertate adhuc fruuntur. Hinc ergò ferè omnia quæ ad inflammatoriæ denſitatis naturam pertinent, poſſunt etiam Melancholiam metuentibus, paucis ſuprà dictis exceptis, competere.

4°. Undè etiam deducitur quòd ad denſum inflammatorium conſtituendum requiratur, hinc

actio naturæ prætermodùm aucta, principia ſanguinea compingens ſimul & tenuans, illinc verò partium tenuiorum atque fluidiorum exhalatio, atque reſidui ſanguinis exſiccatio. In melancholicâ ſiccitate nulla aut tenuatio principiorum, aut ex vi naturæ compactio atque condenſatio requiritur. Exſiccatio ſola, principia humorum diſponit ad piceam illam tenacitatem melancholicam, & ut voce pharmaceuticâ utar, humores quaſi cogit in extractum.

Hæc quidem fusè ſatìs in priori Parte enodata, hìc ſummis tantùm attingere labris viſum fuit, ut ſentiatur quâ ratione diluentia adhibenda ſint ad ſpiſſitudinis melancholicæ cautelam, & quid ſibi vindicet illa diverſi à denſo inflammatorio. Scilicèt in id omni ope atque operâ nitendum eſt, ut qui intromittitur liquor diluens, non tantummodò denſitatem illam perluat, ſed ita aliquid habeat aut hærentiæ, aut ſolventis potentiæ, ut inſinuata partes inter liquorum, eas à ſe invicem cogat diſcedere, nec ita tamen ſeparet atque ſegreget, ut à mutuo colliſu priſtinam non recuperent formam.

Hinc ergò copioſior fluidi ſtatim & ſimul introductio in inflammatoriâ denſitate, ſi periculo non vacat, multo majori diſcrimine erratur, in melancholicâ ſpiſſitudine, cùm non ſemper nimia liquidi ſtagnantis copia poſſit, vi & efficaciâ naturæ, per patentes urinæ vias expelli, ſed ſæpè contrà in ipſo venarum vado hæreat, non ipſi denſitati immixta, ſed ſejuncta & miſcelæ impotens, vaſa gravare, imò & minoribus vaſis convulſiones, arctationes, ſpaſmos inferre idonea.

Illud enim nimiæ aquei liquidi copiæ proprium eſt, ut in vivo cane per apertam venam immiſſâ aquâ, illicò animal in ſuffocationes atque convulſiones rapiatur. Quod mihi non ſemel viſum ab illuſtriſſimo Haleſio anteà fuerat obſervatum.

Sensìm igitur ſine ſenſu alimenta diluendo, aqua ita intrà ſanguinem introduci debet, ut partem ejus eſſentialem conſtituat, parſque parti miſceatur & adunetur. Quæ facilior miſcela erit, ſi aut mucilagineâ parte, ſanguineis moleculis adhæreat fluidus ille latex, aut vi ſolvente ſaponaceâ dives earum præternaturalem juncturam rumpat & inter inſinuet ſeſe. Hinc meliùs ad inflammatoriam ſpiſſitudinem, nec tamen ſemper malè ad Melancholiam potiùs præcavendam quàm ſanandam, conducunt famoſa illa hordei decocta, quæ ptiſanæ nomine ab Antiquis poſt Hippocratem, adeò in victu acutorum morborum decantata fuere. Humectant illa quidem imò & longâ in aquâ coctione, hordei indivulſa priùs atque tenacior mucago, tenuitatem acquirit faciliùs humoribus humanis miſcendam; verùm utut cocta fuerint, ventriculum gravare nata ſunt, & in mediocri virium actione quales ſunt in Melancholiâ, vix ſubiguntur, tenacitatemque tenacitati addere aliquandò poſſunt. Supereſt igitur ad melancholicos diluendos ut aqua vi leni ſolvente imbuatur, qualis virtus lenis ſaponacea in pluribus vegetantibus reperitur.

Vidimus in modò propoſitâ Antiquorum ad præcavendam Melancholiam praxi, quantùm oleribus molliſſimis, ſero lactis & melli tribuerint, ita ut his quaſi unicè innixi, totam ſuperſtruerent

humoralis Melancholiæ præcautionem. Porrò quod ipſis experientia demonſtraverat, ratio Boerhaavio duce, recentioribus adſtruxit.

Ille ſcilicèt alter ab Hippocrate in artis imperium vocandus, partem illam in oleribus, horæis fructibus, quæ aquam ſimul & oleum, ſale nativo plantæ connubium jungente nexumque præbente, continet, ſaponi æquiparandam voluit. Nec immeritò, cùm reverà ſaponis vice fungatur, dum partes per ſe unioni prorsùs ineptas alligat & unit. Nec porrò uniri aliter ſal & oleum poſſunt, quàm aut reſinoſis, aut ſaponaceis vinculis. Cùm ergò reſinoſa illa non ſint, quod ipſa demonſtrat eorum in aquâ ſolutio, ſupereſt ut inter ſapones numerentur, qui aquam ſimul & olea parte ſalinâ attingunt, imò & ſæpè potentibus vinculis ita ſtringunt, ut jam vel igne aperto, vel toto fermentationis apparatu opus ſit, ut in primæva redire poſſint elementa.

Hinc ergò ſi partes aut in oleribus & fructibus horæis exactè & ad amuſſim temperatæ ſint, nec illæ aliam aliunde virtutem nanciſcantur; eorum ſuccum ut ſaponem vegetantem cum Boerhaavio habebimus, leni virtute ſolvente donatum, nec igne acrem, nec alcalinâ indole cauſticum, ſed levi acido divitem, undè refrigerans ipſis facultas, meritò cùm ſolutivâ poteſtate ingenti conceditur.

Cùm autem formas admodùm varias in ſingulis hiſce plantarum generibus ſapo iſte obtineat, adeòque ad uſus varios poſſit adhiberi; licebit hîc ex tanti Præceptoris principiis ſingulas claſſes, in quibus occurrit, enumerare, ut ſingulis

ſpiſſitudinis, & gradibus, & generibus aptentur illi.

Primum conſtituunt gradum mucagines, quæ tenaciori & craſſiori partium vinculo vix ipſæ ſolvi ſe ſinunt à viribus Naturæ, adeòque ad ſolutionem aliorum principiorum conferre non poſſunt. Talia ſunt farinacea, frumenta omnia, Secale, Hordeum, Triticum, Zea, Lentes, Fabæ, legumina quævis, quæ uſu præpoſtero uſurpata inviſcant, obſtipant, nataque ſunt Melancholiæ nocere, nedum juvare dici poſſint. Hæc verò corpora à ſaponaceâ virtute prorsùs diſtant, quin imò eximiâ bilis ſaponaceâ ſolvente virtute egent, ut in emolumentum corporis nutritium cedant, verùm novâ attenuatione, qualem fermentatio ſuppeditat, facta tenuiora, ſaponaceam vim acquirunt, indivulſamque tenacitatem amittunt. Hinc panes & panum decocta aliquâ ratione inter ſaponacea numerari poſſunt. Sed debilis eſt hæc illis virtus, cùm contrà nutritia facultas inſit perfectior.

Olera verò & ſaponaceæ ſic dicendæ plantæ, ſicciorem ſaponem obtinent, minùſque fermentiſcibilem virtutem; ſalinam verò magis, adeòque ubi ex illorum extractis ſal eſſentialis arte extrahitur, maxima ſaponaceæ virtutis pars perit, remanetque ſi ſale privetur & ab eo disjungatur, magma terreum, de quo videantur non ſatis lecta Cartheuſeri experimenta. At remanente cum cæteris plantæ principiis ſale illo eſſentiali, qui ex pleriſque verè ſaponaceus extrahitur; omnia quotquot ſunt, vulgarem in uſum cedentia, olera, ſaponaceas, diluentes, humoribus humanis

facilè miſcendas partes intùs inſinuant, quibus ritè adhibitis, omnia ſanguinis principia amicè uniuntur, ſolvuntur concrementa, reſtituitur libertas meatuum; quo ſenſu verum eſt illud Plinii effatum: *Optima medicamenta, pauperrimus quiſque cœnat.*

Vario tamen gradu variæ celebrantur plantæ, repudiantur ſcilicèt aromaticæ ut Cærefolium, Pimpinella, Naſturtia, Braſſicæ, & aliæ quæ nonniſi coctione manſuefactæ ſaponaceam vim exercent. Non quòd illæ ſaponem non contineant, ſed quòd illum altè infecerit, penitùs immixtus ſpiritus rector aromaticus. Lactucæ juniores eâ ſe virtute commendant, ſervant reſinam vetuſtiores. Quod quidem cum omnibus ferè plantis plus minùſve commune ſit; hinc fit ut verno tempore naſcentes plantæ, aut autumno redivivæ, plus hujus virtutis cæteris omnibus poſſideant.

Inter olera ſolventi ſeſe virtute commendat troxymum ſeu troxyma. Quo quidem famoſo vocabulo interpretantur recentiores omne id eduliorum genus, quod nos olera vocamus mollia. Si aliquod peculiare olus hoc nomine intelligebatur, exquiſitâ inquiſitione, quale fuerit, mœrens reperire non potui, cùm ei tantùm Alexander Trallianus non ſemel à nobis laudandus, tribuat ut vel contumaciſſimas obſtructiones eo adjuvante ſuſtuliſſe ſe glorietur. Refrigerantem virtutem aliqua ſecum vehunt, ut Acetoſa, Lactuca junior, Portulaca, quâ denſitati inflammatoriæ magis conveniunt, amaricantem alia, quâ tonum aliquatenùs intendunt ut Cichorium, Taraxacum. Hac virtute, melancholicæ ſpiſſitudini plus con-

ferre videntur, cùm aliundè aperientem virtutem obtineant, quæ quanti ſæpè ſit in Melancholiâ præcavendâ momenti alibi exponetur.

Poſt olera & gramina ipſo vere naſcentia, jamque hyemali ſpiſſitudini diluendæ conflata, æſtuante jam ſole, fluidioribus liquorum moleculis per copioſiorem perſpirationem exhalantibus, adſunt nimiæ concretioni prohibendæ, miſcendæque intimiùs cum partibus oleoſis aquæ, fructus horæi, oleo per ſalem ſoluto turgidi, ſolventes maximè, ſimulque aquæ, quod ſatis ſit, intrà ſanguinem devehentes. Augetur per totam æſtatem & increſcit, in iis qui ſeſe invicem ubere copiâ excipiunt fructibus, ſolvens illa facultas. Nec ulla magis anni tempeſtas ſaponaceis fructibus abundat quàm melancholicus ille autumnus, cui quaſi remedium paravit Natura ſuâ fertilitate provida. Ceraſa, Fraga, Mori, Groſſulariæ æſtivum ardorem moderantur. Sed potentiſſimâ ſolvendi virtute ditantur Uvæ, Pyra, Granata Mala, Ficus, Aurantii fructus. Qui jam non ſpiſſitudinem ſolùm inflammatoriam, ſed & melancholicam piceam tenacitatem reſolvunt. Undè & ipſi & eorum ſucci inſpiſſati, Roob, Extracti, Sapæ, Defruti nomine ad morbum noſtrum prævertendum adeò meritò commendantur. Nec ea nobis lex ita intelligenda eſt, veluti iis abuti conceſſum foret; quanquam fatendum ſit haberi in Hiſtoriâ Medicâ temerariæ audaciæ exempla, quibus non ſolùm morbus ille ſolo horum auxilio præcaveri potuerit, ſed etiam omninò & integrè perſanari. Quod etiam noſtalgiæ melancholicæ vidi accidiſſe. Sed de his plura non ſunt addenda.

Luculenter

Luculenter ſatìs de eorum efficaciâ Boerhaavius & diſcipulus ejus, aliorum præceptor Swietenus immortalia præcepta cumulavere.

Poſt fructus horæos maximâ ad hancce ſolvendam melancholicam ſpiſſitudinem donatur virtute, antiquis Autoribus, mel. Admiranda certè, quæ ex florum nectariis, apum inſtinctu extrahitur ſubſtantia. Verum ſaponem exhibet mel oleo & acido dulciſſimo ſcatens, facilè fermentiſcibile, ex redundante quaſi plantæ ſapone formatum, & in inſectorum corpuſculo ita coactum ut cum mellitâ illâ virtute tonicam ſæpè aromaticamque ſervet floris undè natum eſt indolem. Hinc aliud Thymum redolet, aliud Anthos odorem refert, & diversâ aliquandò virtute imbuitur, imò venenatâ, ut Trapezuntinum illud de quo Xenophon mentionem injecit. Oleoſum maximè ſaponem mel conſtituit, undè ſervatur diutiùs, faciliùſque aſportatur, nec niſi admixtâ aquâ fermentationem ſuſcipit; ſolum verò atque ſibi relictumranceſcit potiùs oleorum more. Undè licèt melancholicæ ſpiſſitudini conducat maximè & atram bilem prævertat, nocet illis ventriculi conſtitutionibus, quæ areſcunt & æſtu torrentur. Hinc jure apud Bilioſos infame habetur, nec iis competit atræ bilis generibus quæ à bile peraſſatâ producuntur, ut diſertè expoſuit Galenus. Pituitoſis, ſenibuſque prodeſt, imò & apud Orientales populos, lautiſſimum olim ſenectutis præſidium fuiſſe, ut & infantiæ delicias ſacræ teſtantur paginæ. Prætereà & aquâ multâ dilutum & ſero lactis admixtum ad morem Veterum, ranceſcendi facultatem amittit, & lenis

ſolventis titulo in quibuſcumque caſibus advocari poteſt. De quibus fusè Hippocrates in Libro *de Acutorum victu*, cùm quæ ſummus Obſervator melli vindicat, ſaponaceæ virtuti pariter jure tribuamus.

Melli ut facultate ſic natalibus maximè affine eſt ſaccharum, quod olim ſolâ exudatione natum, μελὶ ἐν καλάμοις Theophraſto dictum fuit. Nunc verò arte magiſtrâ ex calamis ad certam maturitatem deductis, prælo educitur, coctione inſpiſſatur, terris abſorbentibus defæcatur, & eſt maximum ciborum atque potuum per univerſum terrarum orbem condimentum. Eſt autem ejuſdem naturæ atque mel. Ejus ſcilicèt præparatio in eo tota conſiſtit, ut ab extraneis particulis extrahatur atque liberetur. Hinc eum nunc Ars, nunc Natura ex variis plantis extrahit. Sic copioſum ſaccharum ſimplicibus vulneribus, Acer montanus candidus Canadenſis ſuppeditat. Ex raſis ſurculis, ſeu ſtolonibus Aloës cujuſdam Braſilienſis, copiâ ingenti ſaccharum dulce educitur, teſte Marcgravio, *Lib. I. cap.* 18. Borrichius ex Algâ Iſlandicâ ſolis radiis expoſitâ naſci ſaccharum narrat. *Act. Haffnn.* anni 1671. Juglans Virginiana, Plukenetio autore, Zea, ſeu Mays, Linnæo, graviſſimo in hiſce rebus teſte, ſaccharum fundunt. Ut & Aſclepias Americana caule erecto ſimplici annuo, aliæque plantæ plures.

Verùm inſigne eſt artificium & chymicâ doctrinâ plenum, quo uſus illuſtriſſimus Margraavius ſaccharum ex Betâ albâ, Betâ rubrâ, aliiſque oleribus extraxit, ut & ex Glycirrhisâ, Polypodio, Rapis, quod videre eſt in Actis Academiæ Be-

rolinenſis anni 1747. Undè conſtet ſatis, nativum in ſaccharo reperiri ſaponem, ejuſque vim mellitam, ſolventem, ſaponaceam nullatenùs eſſe contemnendam, ſivè conſervæ, ſivè ſyrupi formâ, ſivè in aquâ ſimplici ſolutum offeratur.

Saccharum autem quale apud nos uſui eſt, multiplici coctione adulteratum habet oleum, hinc illud dulce minùs eſt quàm aut mel, aut mellita quævis; nec ranceſcit ſolùm, ſed facilè acredinem urentem concipit, quo fauces quibus adhæret, inflammat & quaſi exurit, non ſine diſcrimine. Hinc quoties rancedo ejus metuitur, ut in illis quas bilioſas vocamus, mutuato à Veteribus nomine, naturis, cryſtalli ſacchari, reliquis ejus præparationibus præferuntur. Saccharum autem in genere ſalinis etiam particulis acidoribus peccat, hinc acido melancholico humori poſſit aliquandò nocere, undè jure meritòque ad uſum internum in melancholicis mellita quævis præferuntur ſaccharatis, quanquam frequens ita ſit ſyruporum uſus, ut iis vel in inflammatoriâ denſitate, vel in melancholicâ tenacitate nullus careat.

Verùm illud etiam in melancholicâ diatheſi cavendum eſt quod in denſo inflammatorio, nedum noceat, contrà prodeſt, ne nimia aciditas intrà ſanguinem incautè introducatur. In inflammatione ſcilicèt in quâ omnia ad acredinem alcalinam vergunt, acida dum progreſſum attenuationis morantur, pro antidoto mali haberi poſſunt. At in tenaci humorum mole hærent, nec citò mutantur, undè quaſi coagulum tenacitati additur; quæ tenacitas, ſi jam in Melan-

choliam activam mutetur, aciditatis caracteres induet. Hinc in priore hujus Operis Parte mentio injecta eſt Melancholiæ quæ à nimio acidorum potu nata erat, nec minùs certè nocent acida in Melancholiâ, quàm aut in Chloroſi, aut in languentis circuitûs quibuſcumque vitiis. Cùm autem aciditas vitatur, non ita res intelligenda eſt, ac ſi aceſcentia levia fugienda eſſent. Nocent præcipuè acida terrea, adſtringentia, omphacina, nocent etiam ea quæ maximè evoluta ſunt. Sed acida ſaponacea præſertim melli remixta tutò adhibentur, imò & ſpiſſum reſolvunt, modò nondùm adſit acida per ſe & erodens διαβρωτικῆ Melancholia. Hinc ſerum lactis, ſaccharum ſalinum è plantis eductum, in ſe recondens, hinc oxymel etiam, in caſibus in quibus metuitur melancholica ſpiſſitudo, tantoperè proſunt. Undè minùs mirum videatur, cur Veteres qui acidum Melancholiæ caracterem pluriès agnovêre, tamen aceti uſum melli remixtum totiès ſuaſerint. Illud enim ſaponem acidum conſtituit, cujus vim ſolventem efficaciſſimam pluribus nunquam refellendis experimentis Boerhaavius adſtruxit. Nec plura de hac humorum diſpoſitione, quæ ſola Melancholiam non facit, niſi in mali partem venerint ſolida, ut alibi demonſtratum eſt.

Melancholia enim humoralis etiam à ſolidis pendere dicenda eſt, quatenùs ea ſola ſentire nata ſunt, ea ſola impreſſionem ab externis ortam, altè fluidis imprimere poſſunt, adeòque ſola ſunt quorumcumque ſymptomatum melancholicorum fons & origo.

Verùm ea nequeunt univerſali auctâ tenſione

peccare, alioquin cum inflammatorio morbo nobis certandum foret; ſed tantùm erethiſmo in hanc illamve partem decumbente laborare; aut illâ univerſali atoniâ, è cujus ſinu convulſiones atque abnormes motus erumpant; ita ut ſi ex hac parte cum chloroſi Melancholia conſentiat, differat tamen exuſtâ humorum ſiccitate quæ in cachexiâ non reperitur.

Solida igitur per ſe ad actiones regulatas imparia & velut atona eſſe in Melancholiâ humorali neceſſum eſt. Ea autem ipſis indè ad actiones inefficacia & inertia, duplici de causâ exoriri poteſt, vel quia nimioperè ſiccata & quaſi indurata ſunt, ut in ſenio quod per ſe melancholicum eſt, & circà quod adeò multa notatu digna congeſſit V. cl. de Fiſcher, in Libello *de Senio*. Vel quia actionibus præcedentibus, & ſæpè ex ipſo atoniæ ſinu erumpentibus, delaſſata fuêre, & quaſi diſtracta: quod veræ Melancholiæ humoralis proprium eſſe alibi demonſtrare anniſi fuimus.

Hinc ipſa per ſe præſentis Medicinæ efficaciam poſtulant, ſeorſìm ab humorali vitio, ut ſubleventur, & ſi fieri poſſit, eorum tono reſtituto imminens jam melancholia præcaveatur; nam poteſt ſpiſſitudo humorum melancholica plures per annos ſtare, nec tamen ullus indè morbus conſtituitur, ſed ſi ſemel deficiant ſolida, illicò morbus adeſt, cùm hæc ſine functionum præſenti incommodo lædi atque vitiari non poſſint. Hinc in præcautione ad Melancholiam humoralem duo hæc objecta ſeorsìm atque ſeparatim ſpectari poſſunt, quæ in morbo ipſomet uniun-

tur, ſejunctaque à Medico ſibi depoſcere præſidia.

Verùm ex ipſo Naturæ ordine liquidorum vitium primarium eſt, adeòque ſi quem ab humorum melancholicâ degeneratione, præſtare immunem, ſigna jam hujus imminentis ſuaſerint, antè omnia diluentium modò propoſitorum uſui incumbes. Poſteà verò ubi jam à fluidis exeuntibus & coctione excrementorum naturali, cui tantoperè Veteres, vel in ipſo vitæ à morbis immunis & illibatæ curriculo attendebant, ſigna dilutionis arripueris, alteram ſibi curam vindicabit ſolidorum diſpoſitio, quæ aut tonica aut antiſpaſmodica poſtulant, prima quidem in atoniâ, altera verò in ſpaſmo inæquali.

Verùm quantùm ſit in remediorum iſtorum uſu, ancipitis curæ adhibendum, ipſa morbi natura edocet. Verendum enim eſt, ne dum tonum addere ſtudemus, irritationem concitemus, deſideſque fibras in vibrationes convulſivas cieamus. Hinc utraque niſi poſt humectantem adhibitam diætam, niſi diluentibus ſummè contemperata & quaſi manſuefacta non poſſumus uſurpare.

Videtur porrò Natura noſtræ indulſiſſe debilitati, cùm tot undequâque ſalutiferas ſcaturigines per univerſum orbis ambitum multiplicaverit. Eæ autem quæ ſolæ ad præcavendam humoralem Melancholiam univerſo Medicorum plaudente choro uſurpantur, ab antiquioribus Medicis neglectæ ſunt.

Illæ ſunt aquæ frigidæ acidulæ ſic dictæ, Martiali levi ſulphuri. ſali unito aut terreæ parti, virtutes acceptas referunt; ex quibus aliquandò

quaſi in ipſo connubii variarum molecularum puncto, adeòque indè natâ effervescentiâ haurirentur, accedit pars elaſtica illa famoſa, *Gas* Helmontio dicta, & Hoffmanni Halæique experimentis ſectata multùm, necdum deprehenſa tamen. Hæ verò aquæ refrigerantes ſimul atque diluentes, ſtimulum tamen ſolidis impertiunt, levem illum & fugacem imò ſi credere experimentis fas eſt, ruborem ſanguini, miſcelam, elaſticam vim videntur reſtituere.

Aquæ illæ è quibus quæ fortiſſimæ ſunt, id eſt, copiâ ferri potentiſſimæ, maximum chloroſi remedium præſtant, id habent commodi, quòd aut aquâ ſimplici remixtæ, aut morâ, tum parte gravi ad fundum, tum leviori in auras avolante, eum virtutis gradum nanciſci queant, quem tibi habes exoptandum.

Dantur verò aliæ ſimpliciores quæ nihil volatilis obtinent, ſed ſalinam partem Marti magis terreſtri junctam habent. Hæ depurantur, ſi fortiores ſint, minùſque ſunt antiſpaſmodicæ, nec diluente tamen virtute, aut Martiali terreâ tonicâ defraudantur. Tales ſunt Paſſiacæ noſtræ etiam leviter catharticæ, aut Forgienſes quæ alvum non movent, aliæque ita multæ, ut vix aliqua ſit quæ ſuis careat Provincia ſalutaribus fontibus, ut jam alibi expoſitum eſt.

Has autem rectè ita exhibere, ne ſtimulando vaſa arctent, ne nimiâ copiâ gravando, caput ipſum ejuſque arcem impetant, ne ventriculi functiones, affatìm ſumptæ, pervertant, Artis eſt vix deſcribendæ. Viribus, humorum conſtitutioni, ſolidorum craſi ita adaptandæ ſunt, ne eas in cri-

men voces, cùm tuum ſit ſcelus, ipſas præpoſterè in uſum vocaſſe.

Illas autem, quamvis plerumque reliquis remediis præſtent, tamen aliquandò eſſe antiſpaſmodicis poſtponendas, aut jungendas cum iiſdem, cauſa morbi indicabit. Quis, v. gr., antiſpaſmodicis uti verebitur, ubi Melancholia nervea abit in humoralem. Id autem non raró evenire alibi dictum. Verùm antiſpaſmodica cùm ſæpè & circuitui intendendo & ſolidis arctandis efficacia ſint, cautè in eorum uſu incedes, ſi ab inflammatorio necdum penitùs diſcuſſo incendio, naſcatur Melancholia. Simulque ea tibi cura incumbet ut imminentem liquidorum ſpiſſitudinem methodo diluenti ſupradictâ avertas.

Ex his porrò ſatis intelligitur methodum noſtram cautelis ornatam, quas perſpecta œconomiæ animalis natura indicat, apprimè eſſe conſonam dogmatibus Hippocratis & Doctorum ferè omnium qui poſt Medicinæ Patrem ſcripſerunt. Supereſt ut aliqua expendantur dubia quæ de præcautione adversùs univerſalem Melancholiam jactari poſſent.

Primum quidem circà balnea verſatur, de quibus vix mentionem injecere Veteres, nec Hippocrates ipſe, niſi cùm de Veratri uſu loquitur, purgationique vehementi vult balnea præludere & eam ſequi; nec Galenus qui dum methodi ad Glauconem, *Lib. I. cap.* 11. repudiat balnea in Quartanâ, videtur locum dediſſe Savonarolæ, *Lib. II. rubricâ* 23. ut clarè atque diſtinctè pronuntiet melancholicis quibuſcumque nocere balnea. Fomenta tamen Galenus commendat Libro

de Melancholiâ inſcripto. Balnea Alexander & ea quidem dulcia laudavit. Quas verò thermas celebravit Aretæus, ad ipſam Melancholiam videtur ſuaſiſſe. Certè balnea ad Melancholiæ præcautionem, imò ad ipſam Melancholiam peſſima pronuntiavere & Arabes, & Savonarola qui de iis expreſsè ſcripſit. V. Baccium *de Balneis*. Nec Arabes tamen Quartanæ videntur plus adhibuiſſe balnea, qui tamen, ut Avicennas diſtinctè *in Fen.* 3. 1. ea Melancholiæ ut commoda & utilia commendant & Serapion *de Balneis*; cùm tamen uterque embrochas medicatas præcipuè in uſum vocari velit. Verùm cùm ad Melancholiæ potiùs curationem, quàm cautelam pertineant illa, vix ad nos hucuſque ſpectant, nec ſi Quartanæ exiſtenti noceat balneum, idcircò imminenti velim illum ut nocivum ſpectare. Deſtituti igitur autoritatibus in hoc reſolvendum problema, rem ratione tentabimus expedire,

Balnea quæcumque certè humectant atque diluunt, & quò ſiccius atque aridum magis eſt corpus, ut vulgò in Melancholicis reperitur, eò magis abſorberi liquidi per hiantia & quaſi ſitientia vaſorum oſcula, rationi & experientiæ conſonum eſt, de quâ abſorptionis efficaciâ vide Simſonum in Actis Edimburgenſibus. Hinc certè proſunt, niſi atona prorsùs fuerint ſolida, quod ex actionum exercitatione facilè dijudicabis, & forſan meliùs adhuc ex ipſius morbi cauſis atque naturâ. In atoniâ certè balnea quæcumque tepida, nedum prodeſſe, contrà nocere debent. Nec rarum eſt videre homines ad Melancholiam proclives, qui çùm intrà balnea feruntur, animi de-

liquium experiuntur, imò qui in ipſis balneis convelluntur ex ipſo columnæ aqueæ pondere, ſuffocanturque tum ex ambientis atmoſphæræ ardore, tum ex vaporibus aquæ rareſactis aërem implentibus, imò etiam ex eo quòd ſpiſſior atque denſior ſanguis vaſa pulmonum impleat, neſciatque indè regredi propter hæſitantem molem & vaſorum parùm reſilientium atoniam. Undè ipſis facies nigreſcit, venæ jugulares turgent, gravatur cerebrum, & aut animi deliquium, aut ſopor imminet. His niſi poſt ampliorem dilutionem, balnea tepida non conveniunt, ſed hac ſemel factâ, cautelæ loco inter optima medicamina balneum recenſebitur. Modò ſubfrigidum ſit, nec atoniæ calidior faveat aqua.

Verùm non ſatìs erit ingreſſum aut moram in aquâ attentiùs ſpectaſſe, niſi etiam attenderimus quanta vaſis atque fibris indè laxatio accidat. Ex aquæ prementis latice exeuntibus plures ſunt, quos ingens debilitas occupat, pallor inficit ora, & agendi impotentia ſequitur; ſeſe vacuos arguunt, & niſi per cardiaca promptum iis auxilium ſufficiatur, animo linquerentur. Ingens ſcilicèt in cutem & laxata ejus vaſa ſanguinis fit impetus, calore humido notandus, & quaſi ex altis corporis adytis, per patentes poros perſpirationis ingens halitus. Imò vidi in aliquibus qui à Melancholiâ humorali non erant omninò immunes, convulſiones oriri à balneis, ſanguine ad magna cordis vaſa deficiente, ipſiſque quaſi à vacuitate laborantibus.

Alii ſunt quos frigus ingens à balneo occupat etiam tepido, & horror ingruit, vix calore

excipiendus, quòd novam ſibi negatam per minoris ordinis vaſa viam ſanguis affectet. His omnibus balnea tepida nocent, tum propter adaugendam atoniam, tum propter tenuiorum partium effluvia, quæ aquâ balnei ſimul admixtâ, è laxatis vaſis poſt balnea abripiuntur.

Hinc fomenta adhiberi Galenus ad Melancholiam ſuadet præcavendam, hinc perfundi ex aquâ, aut lacte, quod imò in ipſorum corporis ſuppoſiti ſuperficiem voluere mulgeri Arabes, potiùs quàm balnea ſuadebant. Hæc tamen adhibenda aliquandò perſuadet enormis melancholicorum ſiccitas, & ſenibus, olim vel Homero teſte Neſtorem in balnea deducente, in uſu erant. In quo quidem ſummâ cauſæ diagnoſi opus eſt, quam alibi expoſuimus.

Verùm an non incommoda illa omnia vitarentur, ſi ad Antiquorum morem à frigidâ in calidam, à tepidario in ſudatorium iretur, ſicque ſine ullo diſcrimine introduceretur intra corpus aqua diluens, laxatiſque vaſis atque ipſo reſtituto fluidorum tenore, dein novus vigor per natationem, aquæ frigidæ affuſionem in frigidario inſtaurari poſſet? Unctione ſaltem oleosâ, pars aquea cohiberi poſſet intra corpus in debilioribus frigoriſque minùs patientibus; poſteà verò frictione levi dilutior ſanguis factus, ad motum invitaretur, lenem illum quidem & viribus proportione reſpondentem. Certè poſſe hoc artificio, commodum ingens, tum vaſorum tono, tum craſi liquidorum enaſci, ratio indicat, cùmque exindè ingentibus malis medicina fieri poſſet, merentur certè vetera in lucem experimenta re-

vocari, quæ hucuſque tentare negat ipſa rei novitas, auribus noſtris parùm accommodata.

Videtur Hippocrates ſtatim atque melancholica emicant ſymptomata, ſuaſiſſe purgationem, hinc altera ſeſe offert quæſtio an ad morbi noſtri præcautionem Catharſis poſſit admitti?

Huic quidem quæſtioni ex ipsâ cautelæ ideâ reſpondere facile eſt. Atrum humorem & præſentem & mobilem credidit Hippocrates, cùm cathartica illi vacuando ſuaſit. Aliter in ſua peccaſſet principia, luculenter naturæ normam tot in locis, ſed inter alia in Aphoriſmis exponentia; verùm cautela timendi mali præſentiam ejus non admittit. Hunc juſtum timorem curare hîc ſatagimus. Porrò diſpoſitio ad melancholicum vitium craſſum, iners, terreum ex piceâ tenacitate & acri materiâ conſtans, vix diluentibus cedens, coctioni ferè impar niſi poſt longa diætæ tædia, ſatìs commonſtrat quantùm præpoſtera ſit catharticorum efficacia, quæ dum tenuiora quævis auferunt, reliquam humorum molem & ſicciorem & tenaciorem relinquunt, adeòque ipſi potiùs inducendæ Melancholiæ favent, quòd triſtibus exemplis evenire vidi, quàm præcavendæ. Exulent ergò cathartica quævis ex hac noſtrâ curatione, ſinantur tantummodò eccoprotica, ſi quandò inteſtinalem ſaburram vacuandi ſeſe offerat neceſſitas. Quæ tamen vulgò in habitu ad Melancholiam vergente parùm juvant, utpotè in ſicciori & aridiori inteſtinorum tractu.

Nullo quidem Medicorum conſilio, ſed ſæpè maleſuadâ perſuadente atoniâ, plerique Melancholiæ diſpoſiti præſertim ex animi affectibus,

vino medelam ſibi quærunt, quo fit ut anima quaſi obſtupeſcat, & oblivione malorum lenita, præclarè cum corpore agi adeò plus exiſtimet, quò reverâ ab epoto vino nullus eſt qui ſe non ſentiat alacriorem.

Verùm fallax venenum eò majorem poſt ſe relinquit atoniam, quò eam occuluit magis. Adeòque licèt cicurandæ bilis naturali amariori poſſit aliquandò vinum conducere, nocet ſemper melancholicæ ſpiſſitudini, & in ejus præcipuè cautelis, aut aquei laticis potum commendamus, aut cum Græcis modò citatis, ea tantùm permittimus vina, quæ per ſe leviora plurimæ adhuc aquæ ita permiſcentur, ut vix ſpiritus poſſit per ſe agere. Vina enim nigra, rubra, auſtera omnia inter Melancholiæ cauſas Præceptores noſtri recenſuere.

Supereſt demùm ut de lacte & lacteâ diætâ agamus, quam Antiqui omnes ab Hippocrate, tanquam ultimam cautelæ metam in melancholicis morbis commendant, & ita univerſo conſenſu, ut ad ſummam autoritatem accumulandam conſpirent. Equinum atque aſininum ſummis proſequuntur laudibus, quibus videntur ſerum lactis vaccinum melli remixtum æquiparare. Verùm utut hæc lactis genera & leviora ſint vaccino, & etiam inter potentiora humectantia recenſeri poſſint, adeòque reverâ ipſius melancholici morbi denſitati præcavendæ ſummè accommodata ſint; fatendum eſt tamen eam lacti concoquendo requiri virium conſtantiam, nullâ deturpatam inæqualitate, ut inter plurimas noſtri morbi cauſas paucæ omninò ſint quæ illud admittant medica-

men ; quod. ſi ſemel pertulerint, ſummum, verum, conſtans levamen in eo reperire poterunt. Prætereà atoniæ non minima pars eſt in melancholico morbo, quam lactis inſipida dulcedo auget prætermodùm, & cui ſemper præcavendæ ſtudendum eſt. Adeòque licèt Hippocraticis præceptis hac in parte non refragemur, tamen omnia ſummoperè penſitanda eſſe putamus, quoties de lacte adhibendo in Melancholiæ cautelam agitur.

Hæc ſunt quæ ad præcautionem tanti mali omni ope atque operâ moliendam putamus conducere, omniaque circà hanc, quam ipsâ curatione faciliorem credimus, adeòque omni & ægrorum & Medicorum curâ dignam, congeſta forent, ſi non peculiarem ſibi vindicarent cauſæ attentionem, hæ enim licèt eaſdem ſemper indicationes oſtentent, tamen varietates morbo ipſi inſignes afferunt, præceptaque ſibi propria expoſtulant, dum morbi fontes avertere, aut ejus radices evellere ſatagis : adeòque de ipſis peculiari agemus capitulo ; cùm præſertim cautelæ ipſi curationi viam ſternant, eamque efficiant, & exequendo faciliorem, & diſſerendo lucidiorem.

CAPUT II.

De curatione cauſarum variarum, quibus Melancholia intrà corpus introducitur.

Ingressum ad Melancholiam arcentibus ſtatim in ipſo limine notandum eſt, eumdem ſemper atque naturæ prorsùs homogeneæ eſſe quacumque de causâ producatur humorem melancholicum. Eſt enim humor ille veluti picea tenacitas humorum præcipuèque bilis, acredinem morâ, calore & ipſo nativo ingenio concipientium acidam, eò quòd inerti vaſorum actione ſibi relicti, ſpontanei quid patiantur quale ipſis extrà corpus accidiſſet. In quâ acredine, tenacitas ipſi ingenita perſeverantem facit. Eadem ergò ferè, ut alibi videbitur, ei præſenti ſemper competit curatio.

Verùm cùm id in ipsâ rerum naturâ certum ſit atque ſancitum, ut quò ſimpliciora ſunt corpora, eò minoris capacia ſint in effectibus diverſitatis; millenis de cauſis intrà corpus introducta labes, in eamdem tamen recidit perniciem. Et ubi ſemel firmata atque ſtabilitata eſt, eandem prorsùs requirit medendi methodum; verùm cui illud incumbit ut malum prævertat, ſpeculator longè latèque obſervatores oculos in varias hoſtium claſſes diffundet, munitoſque aditus quà patent, inſidiis ſervabit; duplicemque hunc ſcopum ſibi ſemper objectum habebit, hinc ne irrumpant cauſæ, illinc ne impetus illarum vividiùs ſentia-

tur, protinùſque incuſſa labes arte potentiori reſarciatur.

Cauſas autem vel in remotas, vel in efficientes eſſe diſtinguendas nemo neſcit. Remotæ ab ipſo morbo diverſæ nihil aliud indicant, niſi ut, quantâ fieri poteſt ſedulitate, arceantur atque removeantur, ut jam diximus. Verùm id ſemper humanitati non licet. Quantumvis enim & te ſuperſtitioſæ ſobrietati addixeris, & ita animum indurueris, ut te nec Venus, nec Bacchi, aut deliciarum illecebræ à recto tramite unquàm abduxerint, aut à virtute amoverint, quem non aut ludo crudeli fortuna perſtringit? Aut ipſa aliorum mala ingemiſcentem miſericordia aliquandò humi non afflixit? Quem non aliquandò ipſe virtutis amor edaci curâ momordit? Hunc vigiliæ exanimant, illum jejunia conſumunt, Hippocrate & Boerhaavio teſtibus ipsâ plenitudine periculoſiora. Aër cænoſus, humidus, gravis, pruinoſus longo tempore ſuſtentatus, marinus, frigidior, nec tamen glacie conſtrictus, ſcorbutum parit qui quouſque cum Melancholiâ concidat jam alibi viſum. De cauſis illis pridem actum eſt: nec de iis removendis longior erit diſquiſitio. Tollendæ ſunt illæ & per contraria curandæ. Id eò facilius eſt quò vulgò locum Prophylaxi majorem relinquunt, cum lento duello conficiant, quæ Melancholiam invehunt cauſæ. Si enim vehementiùs agerent, acutiores morbos inducere natæ priùs hominem perimerent quàm nata foret Melancholia. Hinc iis obviam ire facilius.

Prætereà cùm non ſimplex ſit affectus, ſed ex complexis atque complicatis pendeat ille cauſis,

rarum

rarum eſt unam ſolitariam cauſam ad ejus natalia impendi. Sed hos præſertim impetit quos ex parte animi poſt magnas ſpes ingens inceſſit deſperatio, à fiduciâ deturbavit metus enormis, à lætitiâ inexpletâ mœror immodicus concuſſit atque protrivit. Ex parte verò corporis, mutationes quæcumque in abrupta, ſine lege, ſpretâ mediocritate, non ſolùm à meliori in pejus, ſed etiam à pejori in melius. Uſque adeò nihil in humanâ conditione tutum præter prudentiam. Hinc iis qui morbos acutos experti ſunt, non perfectè ſoluto denſo inflammatorio, remanente poſt longam dimicationem atoniâ, familiaris eſt Melancholia, ſeu potiùs melancholica ſpiſſitudo quam reſolvunt, Aperientia ſeu Tenuantia levia, virtute leni, tonicâ atque cardiacâ inſignia. Talia ſunt vegetantium ſubamaricantum decocta, quæ virtute ſaponaceâ prædita, nonnihil reſinæ amaricantis continent, ut ſunt Cichoria, Intyba amara, Taraxacum, Becabunga, Trifolium fibrinum, quibus tonicam, ſi opus fuerit, virtutem addunt, Pimpinella, Scolopendrium, Cærefolium aliæque hujuſmodi plantæ quibus ſcatent Autores qui de materiâ medicâ ſcripsêre, inter quos liceat Cartheuſerum præ aliis ferè omnibus commendare.

At ingenti arte opus eſt ut affectuum animi violenti effectus præcaveantur, ſi præſertim illi ita ſeſe mutuò exceperint, ut nec moram nec requiem relinquant. De ſubitis eorum effectibus tot & tam multa ſcripta ſunt volumina, quæ manibus hominum teruntur, ut de iis plura loqui nec locus hîc adſit, nec methodus præſcripta ſinat.

At ſi lentâ tabe peredant, nullum eſt quod non poſſint invehere malum, nullam labem quam non poſſint afferre. Verba duriora ſcorbutico homini dicta, ipſum eò mali adegere, ut vel ipſo die moreretur. Mœrentes & à patriâ exules, qui per vim navibus imponuntur, ferè omnes ſcorbuto pereunt, teſtante cl. Rouppe *de Morbis Navigantium*. Iidem ſpe redditâ convaleſcunt. Quod in ſcorbuto accidit, poſſe etiam ad Melancholiam pertinere, utriuſque morbi ſervata in pluribus analogia docet. Hinc animum ægrotantis regere ſermonum gravitate, facundiâque ad ejus miſerrimam infirmitatem accommodatâ, non minima artis pars erit. A modò propoſitis exemplis diſcatur quanti ſit diſcriminis ægros duriùs verbis carpere, aut minis terrere. Sed unica ſupereſt à morali petenda Medicina, moderationem & animi conſtantiam ſuadens, ne procellis continuò vexati, iis tandem occumbant; aufert enim morbus conſtantiam, vel iis quibus virtus murum & æra triplex circà pectus circumduxit.

Verùm cauſæ morbum efficientes in ipsâ humorum depravatione intuendæ ſunt & altiùs penſitandæ. Quæ ſi non à piceâ omnium humorum tenacitate, de cujus & naturâ & cauſis hucuſque dictum eſt, pendeat, nunc bilis ipſius vitium eſt, nunc contrà ipſius lymphæ quaſi ſpontaneâ alteratione aceſcentis, cæteraque fluida quaſi cogentis atque coagulantis. Utriuſque corruptionis origo, ex primâ noſtri Operis Parte repetenda.

Lympham ſi inertem, torpentem, malè coctam à chylo craſſiori, crudo, indigeſto ortam

ſemel cognoveris, brevì eam aceſcere poſſe ipſa ejus tibi indicabit natura. Undè frequentiùs nunquàm obſervatur hæc Melancholiæ ſpecies à lymphæ corruptelâ pendens, quam in junioribus, imbellibus, cachecticâ intemperie laborantibus, fœminis quibuſcumque, præcipuè puerperis longo tamen à puerperio tempore; in uteri affectibus. Hæc eſt illa quæ ulcera in gingivis, lociſque tenuioribus, aut in quibus reditus ſanguinis tardior, ut cruribus ſæpè effecit, adeò ut pro ſcorbuto ſæpè habita ſit, præcipuè à Dolæo, imò & Riverio qui ſcorbutum pro ſummo morbi melancholici gradu habuit, atque Ethmullero. Nec inficias ierim poſſe melancholicum humorem in peſſimam illam ſcorbuti ſpeciem abire, quam in mœrentibus atque inediâ & ſquallore carcerum vexatis adeò horrendam, deſcripſit Poupartius, cùm in Melancholiâ ſanguis craſſus ater exeat, teſte Aretæo, qualem in ſupremo corruptionis gradu ſcorbutici emittunt, eâ tamen differentiâ, quòd rarò Melancholici per loca naturalia, ſi hæmorrhoidas & uterum exceperis, ſanguinem emittant, imò & nunquàm hæmorrhagias patiantur; ſed guttulæ tantùm ſanguinis à puſtulis decidant; contrà verò ſcorbutici ſanguine ſæpè per nares, pulmonaliaque vaſa exhauriantur. Cæterùm utrinque eadem in oſſa efficacia eſt, ita ut virus cancroſum atque ſcorbuticum ſemper ſervent analogiam.

Verùm hic Melancholiæ gradus, ſeu potiùs humoris melancholici præſentia, necdum morbum melancholicum efficiens longè aliter ac ipſe ſcorbutus curatur. Nam & leviora requirit reme-

dia, magiſque ſaponacea, in quibus tamen ea quæ levem virtutem obtinent antiſcorbuticam, ut ſunt Becabunga, Trifolium fibrinum, fructus horæi omnes, modò non aciditatis omphacinæ notam habeant, jure prætuleris. Imò quòd ipſe vidi ſibi criſim morbus melancholicus, & exitum fecit, corpuſque à Melancholiâ reliquit immune, dum per ulcuſcula, in fundo nigra, immenſa vis liquidi deplueret, à quo ipſa terrea appoſita emplaſtra, ſalino inſtar imbuta tabo *friabilia* evaderent. Hinc perfectè curatus æger cum crudâ viridique ſenectute, tetricæ frontis minas, luridumque turgentis vitreæ bilis aſpectum mutavit, mirum eſt quàm pauco remediorum apparatu. Nec hujuſmodi criſes quæ imminentia chronica mala ſalutari naturæ molimine prorsùs auferunt, adeò in arte raræ ſunt. Hîc legi meretur illuſtriſſimi Rouppe *de Morbis Navigantium*, obſervatio, de milite quem retropreſſa hæmorrhagia ſubitò ita nigredine in dextro brachio affecit, ut pro peſtifero haberetur & ad mortem diſponeretur. Attamen ipſa eum natura deſertum & à Medicis certæ damnatum morti, paucis diebus omninò per puſtulas leves nigras perſanavit. V. & Lentin. Obſervationes in priore Operis noſtri Parte ideò non citatas, quia nondum Viri clariſſimi ſcripſerant.

Huic lymphæ vitio antequàm melancholicum factum latè dominium exeruerit, remedia attulerunt, ſudorifera lenia, ad cutis organa, fomentorum externorum calore, determinanda. Sæpè enim cutis ſub eorum actione papulis & tuberculis magis magiſque deturpatur, quæ criſis optima eſt;

tenuit enim illæſis minoribus vaſis humor acrior exitum, & ſæpè titillationibus ferociſſimis ſeſe ad cutem prodiiſſe teſtatur. Poſteà verò alcalium levium parca doſis, ut ſpiritus volatilis oleoſus Sylvii, ſalia fixa Tacheniano more peracta, aquarum ad inſtar mineralium ingenti copiâ liquidi diluta, curam complent: quibus tum quaſi alcalino terreo ſale præditæ, tum quaſi vi tonicâ gaudentes aquæ Vallenſes, Cranſacianæ, Vicienſes, additæ, multum emolumenti ægris ſæpiùs attulerunt. Ut & tum interiùs epotæ, tum balnei formâ adhibitæ, Balneolenſes Occitanorum, ſi præſertim fuerint ſalubribus quæſitæ itineris longinqui laboribus. Nec Mars ipſe non profuit, doſi ſuſpensâ & attentâ manu exhibitus. Cùm enim ſummum in irritatione malum lateat, tamen ingens in tonicis ſubſidium invenitur, ſimulque indè innoteſcit, quouſque levia prodeſſe debeant antiſcorbutica, tum ſalis penetrantis quo turgent indole, tum ſaponaceâ atque tonicâ virtute quâ eorum nulla deſtituuntur. Intereà verò nullis non nocere vidi celebre nimis apud nos & frequentiori forſan uſu commendatum vinum antiſcorbuticum, & quæ ſæpè laudando in aliis caſibus inſtituto, acida remiſcentur antiſcorbuticis. Sanguis ſcilicèt hoc in caſu ſecundariò tantùm laborat, primariò lympha quæ ut tenuior ſanguine, penetrantibus indiget auxiliis.

Prætereà verò variis de cauſis poteſt acidum illud hoſtile intrà lympham admitti, quæ ſingularem & propriam ſibi medelam expoſtulent. Sic lues Venerea Melancholiam invehere poteſt, eaque per Mercurialia ſanabitur, cùm lues illa

Cl. Aſtrucio, inter acidas non immeritò recenſeatur. Strumæ, lymphæ inertis vitia, ab iiſdem auxiliis ſæpè ſanata ſunt, quanquàm fatendum ſit quòd ſi unus tibi occurrat æger quem lues Venerea melancholicum effecerit, mille aderunt qui tibi ſe, ob Melancholiam, lue Venereâ affectos profitebuntur, quibus incautè in vitiatæ imaginationis gratiam adminiſtrata hydrargyroſis nocebit.

Sivè autem à lymphæ acidæ, ſivè ab ejuſdem acris vitio, natalia debeat Melancholia, qualis eſt quæ ab herpete, impetigine, ſcabie retropulsâ pendere poteſt, antequàm extet & morbum faciat humor ater, remedia ab horumce vitiorum medicatrici methodo petenda ſunt. Nec inepta eſt ea quam recentiora diaria à Medico Boruſſo factam jactant ad hominem quem retropulſa ſcabies hebetem fecerat, ſanandum, ſcabiei inſertio, miro, ut aiunt, excepta ſucceſſu. Dies diem docet & naturæ judicia confirmat.

Generatim verò quoties lympha peccat, frigus ſummoperè vitandum eſt. Inter frigidas affectiones Melancholiam Veteres recenſuerant. Id de nullâ aliâ, ac de eâ de quâ nunc agimus, adeò verum eſt. Repercuſſa ſeri aceſcentis aut acris perſpiratio, malum ipsâ lymphæ ſtagnatione inducit, cui frigoris impreſſioni, ſi humiditatem addideris, corruptio peſſima acris lymphæ, ſcorbutum, eroſiones, Melancholias motas producet. Aceſcens verò & ſicca aut ſpiſſiori denſitate inſignis, meram humoralem Melancholiam, ſed peſſimam & aliquandò in tabum gangrænoſum tranſituram efficiet.

Illa etiam Melancholiæ cauſa & labores & exercitia admittit, imò & neceſſaria illa efficit, cùm nil in illâ quæ in extremis vaſorum repagulis & amfractibus hoſpitatur, periculoſius ſit inerti torpore. Sed non tenuanda tantùm eſt lympha aceſcens & motu ad alcaleſcentiam adigenda, ſed expellenda etiam, & tum ſudoribus, tum urinis extrà corpus abigenda. Aëris ſereni, ſicci, calentioris maxima habenda eſt cura, frictionibus utendum, demùm omnibus mediis quibus otii & ſtagnationis effectus poſſunt expelli & ſuperari.

Cibi verò non duri, non ſale aut fumo indurati, prætereà non auſteri, aut ex immaturâ fructuum omphacinâ vi, potûs titulo exhibeantur, ut ſæpè pomaceo, pyraceo, vinis minùs benè moratis accidit, cum anno aut ſolo infelici, minùs maturi fermentationi fructus committuntur. Hæc enim præcedens aëris inclementia terream indolem auſteram adſtringentem non ſatìs corrigit. Undè ſimile etiam malum debent inducere, ſi quandò eas potare neceſſitas coëgerit, aquæ Aluminoſæ, Terreæ, Cretaceæ quæ frequenter viatoribus occurrunt.

Quâ ratione affectus animi triſtes noceant imò & morbum hunc noſtrum à peccatis lymphæ inducere valeant, ſatìs intelliget quicumque à Sanctorio didicerit quantùm lenti, tardi, mœrentes affectus perſpirationem cohibeant, & ſuppreſſioni perſpirationis indè, hinc verò motui cordis obſtent. Cùm autem aliqua inter noſtram hanc Melancholiæ ſpeciem atque ſcorbutum extet analogia, mirum eſt ex Cl. Rouppe, quantùm mœrentibus navigantibus immineat ſcorbutus. His

ergo ſemper ſpes & fiducia addantur, erigatur animus per ſe imbellis atque à morbo meticuloſus, Choreæ, Saltationes, aut ſaltem deambulationes ſuadeantur. Servanda eſt alvus libera, & omnes excretiones ſine vi adaugendæ. Nec enim in quocumque præcavendæ Melancholiæ molimine vi illâ opus eſt vacuante, quæ liquidiorem ſeri partem ita auferat, ut cætera & denſiora & ſpiſſiora remaneant; imò contrà rectè inter Melancholiæ cauſas non ſolùm nerveæ, ſed humoralis etiam numerantur, potentiora cathartica, quæ ſpiritibus ſanguinem defraudant, aut ſaltem fluidiori atque magis aqueâ parte. Nulla enim aliâ causâ tanta in humoribus tenacitas viſcoſa inducitur. Lenta verò atque ſolventia eccoprotica commendantur, qualia Arabibus præſertim Autoribus celebrata primas præſertim vias vacuare nata ſunt, ea ſunt olea quædam, ut Ricini. Tum Manna, Caſſia, Tamarindi, quæ medicamenta virtute ſaponaceâ ſuccos fructuum horæorum æmulantur, laxante tamen reſinosâ vi adornata.

Inter Græcos ad morbi noſtri cautelam potiùs quàm ad curationem illuſtre videtur fuiſſe medicamentum ſimplex, laxans, *Epithymum* dicunt, quo Melancholiæ elementa ſensìm gliſcentia vacuentur, præcaveatur verò humoris melancholici prædominatio. Hoc,ex eo genere plantarum paraſitarum quæ aliis & tenuibus quidem innaſcuntur, ut eſt Cuſcuta quæ linum circumvolvit, Epimarrubium quod Marrubio innaſcitur, fulcitur quidem primò radicibus, mox ex quâlibet ramulorum ſuorum parte ſurculos emittit,

plantam ipſam amplexos, quibus videtur ex alieno fundo vivere. Partem virtutis ſuæ indè Cuſcutam mutuari autor eſt Geoffreyus. Undè ſi Epithymo aliquid virtutis mutuatæ ineſt, certè vi quam in illo admittunt veteres tum Græci, tum Arabes laxanti, vis tonica adjungi debet. Pituitam & atram bilem purgare, nullâ aliâ virtute numeratâ, narrat Dioſcorides *Lib. IV.* §. 1. Epithymum verò cùm præ cæteris Cuſcutæ ſpeciebus cognitis commendent, noverant enim eamdem Thymbræ, Stæbe, Lino, Chamædri & compluribus plantis aliis innaſci, an non ideò hodiè obſolevit quod fraus mercatilis & inquiſitionis labor virtutes inquilinas ponderare non ſiverit? Certè penè ex uſu hodierno evanuit planta cujus virtutes Plinius commendat, Dioſcorides verò infuſum ad drachmas IV. unà cum Galeno *Lib. XIV. Method.* inter blandè purgantia numerant. Dociles verò ſentire quantùm ſaponacea ſolventia lenia à vegetantibus deſumpta, levandæ Melancholiæ competant eique tenuandæ, ferè ſemper epithymum ex aquâ mulsâ, aut ſero, aut paſſo, aut aceto mulſo exhibuerunt: ut Aëtius qui ſcrupulos duodecim pro unâ doſi vult uſurpari, *Lib. III. cap.* 29. Imò Paulus ad cancrum ipſum tanquam humoris melancholici ſobolem, drachm. IV. ejus adhibet. Sex drachmas Oribazius. Eandem doſim Plinius ad ſolvendam alvum in uſum revocari vult. Uno verbo, Actuarius, Nic. Myrepſus, Meſue, drachmas ejus ſeptem in infuſo pro hauſtu præcipiunt. Imò poſt Arabas alii ferè omnes Galenici Medici,

præcipuè verò Hollerius, Schroderus, Etmullerus, de ejus laudibus non ſilent.

Certè inter leviora menalagoga recenſendum eſt epithymum. At vi laxante eum donatum agnovêre omnes, præter recentiores Medicos. Ego eum cum polypodii querni parte æquali ad drachmas 2. timidiùs forſan infuſum exhibui. Ad hanc enim doſin eum in ſubſtantiâ Veteres dabant. V. Oribaz. Εὐποριστῶν *Lib. I.* Levique laxanti virtute nec fallaci tamen præditum deprehendi, & ſi credere fas eſt, ejus infuſo, nam decoqui rectè vetuerant Veteres, debetur baſis famoſæ illius Ptiſanæ, quam *Luſitanam* Galli, Luſitani *Gallam* vocant. Hujus effectus laxantes ſummoperè laudant Melancholici; quorum non unum ab ejus uſu ſanatum & hodiè adhuc ſuperſtitem in teſtimonium adducere poſſem.

Verùm donec meliora dies & ſedula magis obſervatio docuerint, quid de Epithymo ſentiendum ſit; ſatìs ex ejus uſu ferè univerſali patet, id antiquis cordi fuiſſe, ut lenia tantùm alvum moventia ad Melancholiæ cautelam ſuaderent, fugerent verò quæcumque purganti nimiùm virtute donata ſunt.

Quod ut in omni quidem imminentis Melancholiæ genere verum eſt, præcipuè in eo confirmatur quod primam ſuî mineram in hypocondriis ſumpſit, vitiiſque hepatis atque lienis adſcribendum eſt.

Multiplici de causâ vitiatam bilem abire in æruginem, cæruleum colorem ſubire, indèque in atrum craſſum, piceum, ſplendentem humorem

mutari alibi dictum eſt. Hinc fit quaſi localis Melancholia, ſed illa tetrâ anathymiaſi, totam brevì inficiat molem, præcipuo coctionis inſtrumento deſtitutam. Verùm enarrata inter vitia quæ bili pervertendæ plus conducerent, non infimum obtinere locum lienis vitia, & ex Hippocrate & ex Naturæ judiciis libuit deducere. Imò & facilis fuit concluſio quòd nulla ſit iners hepatis obſtructio, quæ non poſſit hunc humorem procreare, ſivè dum ſtagnat in loculis propriis bilis, ſivè dum lienis vitio ſanguis malè ad ſecretionem inſtructus ad hepar appellit, ſive dum aceſcentiâ peccans vapeſcens chylus, glutine crudo bilem cicurat inertemque facit. Nec minùs verò prava membranarum capitis diſpoſitio hepatis functiones miro & inextricabili conſenſu conturbat, dum ab ictu in caput inflicto viridiſcens bilis evomitur, aut ex mali ipſius ſerie ægri capite vulnerati ab hepatis abſceſſu contabeſcunt & intereunt.

In hiſce porrò omnibus caſibus quantùm cognitio cauſæ conducat, facilè intelligitur. Hinc ſolvendæ decumbenti in hepar plethoræ & Melancholiam, tardato per venam-portarum circuitu, intentanti, ſæpè miraculi inſtar medeberis per venæ-ſectionem. Hinc revocandis hæmorrhoidibus, quarum ſæpiùs abſentia Melancholiam peſſimam attulit, aut etiam ipſis per artem procurandis ita contulere hirudines, ut morbum morbique cauſam ſuſtulerint penitùs, ita ut momento unius horæ venerit læta victoria. Balnea, ſemicupia & omnia horumce auxiliorum huc versùs derivantium molimina curam ſæpè ab hirudini-

bus inchoatam omninò perfecerunt. Maturè coctionibus inſtaurandis atque reparandis operam dabit, quicumque harum inertiam bili frænum injicere ſentiet, ejuſque activitatem retundere. Acidam effœtamque bilem, alcalicis ut ſale oleoſo Tacheniano eriget, amaris advocatis vim novam ipſi inferet. Imò & ex attenuatiſſimis animalibus, ut Viperâ & Lucio piſce bilem mutuabitur. Ex refractâ aloëticorum doſi, hinc bilem corrigere, illinc coctiones corroborare, morantes ſcybalorum reliquias expellere, imò & hæmorrhoides advocare, aliquandò artis eſt. Modò non adſit inertiæ fucata velo irritatio, quæ nerveam ſæpè hîc admixtam Melancholiam & deſignat & comitatur, ſæpèque imminentem atrum morbum per amara aromatica expellere ſatagenti nectit impedimenta. Nec verò unquàm quoties jecur laborat aut lien, capitis obliviſcendum eſt, quod ſæpè primariò ægrotat. Huic ferenda ſunt præſidia, aut ſaltem prognoſis indè inſtituenda, quæ Medicum à morbi minùs cogniti liberet infamiâ.

In genere verò quoties ab hepate cui lien, utì diximus, ſubſervit, aut ab ipſo liene Melancholiæ periculum adeſt, toties & Hippocrates ipſe & Galenus, & Autores omnes Græci, oleribus, diætæque ex ſaponaceis Boerhaavianis inſtitutæ, aperientia ſeu ſolventia vegetabilia admiſcent. Ipſe enim Medicinæ pater dum de vitiis hepatis atque lienis in Libris *de Morbis* diſſerit, uvarum paſſarum ſuccum expreſſum, mulſum, oxymel, ferè ſola collaudat, fomentis, frictionibus ſummoperè confiſus.

At verò Medici omnes Græci ejus ſequaces

eò majorem nobis facem præferunt, quò non morbis ſolùm harumce partium curandis magis inſudavere, ſed etiam harum intemperiebus, ut aiebant, quaſi morborum fontibus præcavendis operam dedere. Quæ porrò intemperies, quanquàm adversâ fronte inter ſe pugnent, in id tamen conſentiunt, ut functiones hujus illiuſve viſceris lædantur atque vitientur, perviaque vaſorum meabilitas impediatur. Undè etiamſi calida intemperies videatur Melancholiæ accerſendæ minùs apta, tamen, ut cinis poſt ignem, remanet ab inflammatione ſcirrhus aut vehemens obſtructio, poſt erethiſmum ſequente atoniâ. Hinc maximus proavorum noſtrorum labor in hepate aut liene roborando verſabatur; hinc plantæ illæ ſpleniticæ dictæ apud eoſdem, ſaponaceâ virtute inſignes, nunc tonicâ, nunc contrà laxante virtute commendantur. Dixerat Hippocrates in lienis morbis adhibendas eſſe plantas omnes diureticas. Galenus dum harum numerum recenſet, hepati accommodata eſſe amara omnia, præcipuèque abſynthium, Chelidonium, lieni verò Scolopendrium, ſed præcipuè & eximiâ donatam virtute Capparidem; poſteà verò cum ſummâ laude invocat Myricam quæ tonica ſimul eſt, Aſplenium quod laxare natum eſt, & Anchuſam ſive Lycapſon: variis, quas apud eos recenſitas reperire, eſt plantarum temperies, cognitis viſcerum intemperiebus aptari præcipiens. Sed præcipuè ſolvendis tum hepatis, tum lienis obſtructionibus, hæmorrhoidibus vult applicari hirudines, quaſi viam ſternant aliis medicaminibus.

Cujus in ſententiam cum laude abit Aëtius (*a*), nec minùs Alexander qui ex Philagrii Libris quos *Lib. VIII. cap.* 10. exſcripſiſſe ſe teſtatur, venæ-ſectionem Vere quotannis inſtituendam ſuadet iis quos hepatis intemperies ardens, ejus obſtructioni facit obnoxios. Hiſce infarctibus ipſe olera quævis commendat, radicem Apii, Intybum, Cichorium, Sonchum & his adhuc magis Troxymum, cujus vires dum impensè laudat, ut plures ab ejus uſu ſanatos ſe vidiſſe teſtetur. Alii verò omnes, teſte Gorræo, de τροξίμοις tanquam de generico nomine loquuntur. His alvo ſolvendæ adjungit Mercurialem, Polypodium, Cnicum, Lactucam aliaque mollientia, undè ſatis intelligatur quantùm in variis ad Melancholiam ingreſſibus ipſi conſtiterit alvum liberam ſine irritatione ſervare, qui alvi ſubductionem potiùs quàm catharſim commendat, nec unquam de purgatione loquitur, quin ſummam ſubjungat præparationem ubi præſertim aliquid calidi ſupereſt.

At ubi inertia ſunt & frigida omnia, en novum ſaponaceorum ordinem ſubminiſtrant Alexandro, Oribazio, Aëtio, Gummi illa reſinoſa Ammoniacum, Bdellium, aut Salina, inter quæ florem ſalis præcipuè commendant Veteres à Dioſcoride; inter amara vegetantia recenſentur lieni ſpecificus Capparidis cortex, folia atque cortex Salicis, Viticis ſemina, Eupatorium, Erythrodani quæ hodiè Rubia Tinctorum dicitur radix, Lupinorum amarorum decoctum, quæ ta-

(*a*) Tetrabibl. Serm. III. cap. 6.

men pleraque ex aceto aut aceto mulſo exhibentur.

Nimii forſan videbuntur eſſe antiqui illi Autores in topicorum applicatione ; nec methodus illa hodiernorum hominum inconſtantiæ videtur apta , cùm præſertim quæ ab iis commendantur parùm cum præſenti materiæ Medicæ cognitione convenire videantur. Quid enim hîc aut Auripigmentum, aut Alumen efficere poſſint , non ſatìs ſentitur , niſi tamen nomina illa Libros exſcribentium antè repertam Typographiam , errore , pro aliis irrepſerint , cujus mendi non unicum exemplum materia Medica ſuppeditare poteſt. Certè malim ego ſimplicitatem Hippocraticam præferre, luxui forſan minùs erudito reliquorum Græcorum, cùm jam ſubgliſcebat in methodo Medicâ oſtentatrix pompa, & Imperatoribus addicti Medici ipſos nonnunquam adulatrici ſedulitate deludebant. Satìs ſit indè comprobaſſe ad lienis atque hepatis infarctus , à quibus illi Melancholiam ſæpè repetebant , hanc ſemper methodum invaluiſſe , ut nunc pro re natâ aperientibus laxantia,nunc verò tonica medicamenta miſcerentur.

Quid Celſo immoremur , quid Cælio Aureliano , quanquam hic Methodicorum ſectæ addictus, ille in eam pronus, & quamvis Hippocratis exſcriptor , Themiſoni tamen obſequioſus, diverſi nominibus , vix re differant.

Recentiores magis Tralliani veſtigiis inſiſtimus. Si qua ſe prodat in utroque hoc viſcere infirmitas, cauſam , gradum , temperiem corporis

in quod incidit, rimamur aſſiduò, tum è vegetabilibus diætam, è diluentibus, ſi corporis conditio ita ferat, medicamenta inſtituimus: inſtruuntur autem præparatione illâ, corpora, quâ à debilioribus multâque aquâ cicuratis, ad vi majori prædita medicamina fiat tranſitus. Tum interpolantur ſubindè alvi laxantibus, quæ hærenti materiæ calcar addant & promoveant exitum, aperientia. Hæc ex vegetantibus expetuntur, aut præparatis chemicis ſimili vi præditis. Hæc & illa referre de cauſis tantùm Melancholiæ tractantibus longum foret. Scatent autem his Libri omnes Medicorum. Tandem morbi materiâ penitùs exactâ, roborandis viſceribus illis, quod tanto apparatu Veteres moliebantur, nos ſolum aquarum Martialium uſum concedimus. His porrò regiones noſtræ ſcatent, variarum gradu virium, vi magis minùſve laxante. Sed in horum uſu nimis forſan univerſali, cavendum id eſt ne aquâ diffluenti & inerti corpori debiliores aquæ exhibeantur, ne forti & tenſo vividiores, ne demùm obſtructione laboranti adhuc per eorum vim tonicam, ſolvens remediorum aperientium retundatur efficacia. Nam ferrum tanquam tonicum agit, nunquàm verò ſolventi virtute agere dicendum eſt. Purgantia autem ex aquis mineralibus ſolventibus petita, ſi recto uſu adminiſtrentur, cùm ſimul aperientem atque diluentem vim obtineant, palmam omnibus ab antiquitate commendatis præripiunt.

Unicum eſt in quo ab Antiquis prorsùs differre atque diſcedere cogimur. Spleni ſcilicèt laboranti

ranti poſt longa remediorum tædia lactis aſinini uſum conſecrant ab Hippocrate omnes. Nos verò vappidâ bile, fatiſcentibuſque ex vitii & viciniâ & communione digeſtivis viribus, ſummè metuendum lac credimus. Præterea vix concoctum induratur, & in fæces atque ſcybala duriſſima abit, quæ moram ſanguini per arctata vaſa injiciant; aut acrem acidamque mutationem ſubit, adeòque quaſi ex ipsâ materiei naturâ melancholicam invehit diarrhæam. Adde quòd obſervatione conſtiterit ferè nunquàm ullum aut hepatis aut lienis vitium ſine affectibus animi triſtibus graſſari, undè ab hac causâ nova digeſtioni naſcuntur impedimenta. Præterea verò quodcumque ſemel aliquo obſtruenti vitio laboravit ex hiſce viſceribus, illud debilitatis vaſis ita ei obnoxium fit, ut nulla ſit ferè aut tempeſtatis, aut animi affectûs variatio, quæ non aperientia poſtulet, leviora illa, ſaltem ex diæteticis deſumpta. Porrò alia eſt omninò lactis atque aperientium virtus, quorum illud dulcedine ſuâ bilioſas partes obtundit, hæc verò ei perditam reſtituunt efficaciam. Illud tonum ſolidorum hebetat & quaſi alligat, hæc verò ipſum contrà intendunt & adaugent.

Habemus ergò hìc debellatum triplicem Melancholiæ fontem ex univerſo ferè Medicorum dogmaticorum & Hippocraticorum conſenſu; nam quòd Methodicos ſpectat, dum laxo atque ſtricto nimioperè tribuunt, humorum vitia, Eraſiſtrato duce, neglexere. Quòd verò poſſit enaſci melancholicus humor in locis aliis in quibus ſtagnare poſſunt fluida naturalia, non negamus

quidem, ſed ſi in hiſce caſibus qui cancros præ-nuntiant cautelæ aliquid in arte eſt, ad eam præcipuè refertur, quæ vitio lymphæ medelam affert. Alimentorum, aëris, exercitiorum uſus idem omninò debet in uſum vocari. Sed ut reluctante naturâ vana eſt omnis medicatio, ſic in affectibus animi triſtibus, in ſuperſtitioſis ægritudinibus, avellenda eſt antè omnia cauſa animum torquens, & huc atque illuc diſtrahens, quæ vulgò per Melancholiæ nerveæ tormenta, ad humoralem tendit, & infelix minatur connubium.

CAPUT III.

De Melancholiæ humoralis, ſeu ipſius morbi curatione.

JAM diſcuſſis atque Medicâ methodo debellatis quæ quaſi morbi noſtri atria ſervant, intemperiebus; imò & iis quæ velut ex ipsâ materiei neceſſitate ipſum invehunt cauſis in fugam converſis, morbum ipſum aggredimur, jamque è longinquo ſentire licet quàm operoſam nobis curationem ille ſpondeat, quem tot cauſæ adverſâ fronte pugnantes accerſere poſſunt.

In illo igitur tota noſtra præſens Tractatio conſtat, ut demonſtremus quid morbo jam facto Medicina agere poſſit; hic porrò cùm in variis ſuis periodis varia omninò phænomena exhibeat, diviſione hìc opus erit, ut omnia ſuum quæque locum nanciſcantur.

Melancholiæ ſanandæ humorali facem nobis præferent veteres, noſtri in hac potiſſimùm parte Præceptores. Tum eam vel per univerſum corporis ambitum diffuſam eruere tentabimus, vel in aliquâ parte decumbentem. Utriuſque verò variè multiplices gradus inſectabimur, ne quid aut deſit, aut confundatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De curatione Melancholiæ qualem Veteres deſcripſere.

Dum curationem Melancholiæ exequebantur Veteres, hoc nomine intelligebant morbum ab humore quidem pendentem, ſed inquilino illo, & qui dum peccaret copiâ, ſimul ſpiſſitudinem nimiam humoribus conciliaret acredine remixtam; intrà corpus enim prædominari non poterat, quin has ambas illi qualitates induceret, ipſi ex ſuâ ſubſtantiâ conjunctas.

Quidquid ergò ſub diverſo nomine ad expellendum atrum illum humorem propoſuere, non minùs pertinet ad acredinem illam quæ humori atro competit, mitificandam atque evertendam quàm ad piceam tenacitatem quam melancholicam vocavimus tenuandam, ſivè illa univerſum ſanguinem inficiat, ſivè ad ſolam bilem pertineat, ſivè lymphæ corruptioni adſcripta per univerſam humorum molem diffundatur. Nec verò minùs diverſa eſt eorum curatio pro Melancholiâ in hanc illamve partem decumbente, ſed peculiarem unamquamque ſuo titulo proſequemur; nunc verò videndum eſt quid ab illis auxilii Melancholia univerſalis mutuata ſit.

Videtur quidem methodi ad melancholicum humorem perſanandum adhibitæ autor non fuiſſe Hippocrates. Cùm enim Melampus vetuſtiſſimus Vates Præti regis filias humore melancholico ad

inſaniam adactas, helleboro nigro, quod idcircò Melampodium dictum eſt, ad priſtinam ſanitatem reſtituit: eas certè non ſimplici hujus plantæ adhibitione perſanavit, ſed eam adhibendi methodo quæ forſan ipſi gentilitia fuit & ſacra, cùm hujuſmodi arcana profanis detegere, tunc temporis piaculum eſſet.

Verùm exemplum illud antiquitatem methodi non methodum ipſam exhibet, quæ forſan paucis cognita fuit, cùm alioquin ſine ullius artis auxilio hinc Ajacem, illinc Narciſſum Melancholiâ emorientes nobis Antiqui depingant, & hunc præcipuè veſano amore tabeſcentem; præterea ars nulla attigiſſe viſa eſt furias atque importunum mœrorem à Deorum irâ pendentes, nunc juſtâ, nunc etiam injuſtâ, in Cadmo atque Bellerophonte.

Ad Hippocratem igitur Philoſophum illum Medicum quo nullus ex heroïbus unquam magis de humanâ gente meritus eſt, noſtra ſe fert Tractatio, qui primus de Humore Melancholico præcepta tradidit, *de Morbis Lib II. edit. Lind. Tom. II. pag. 93.*

Hic cibis utendum pauciſſimis ſuadet, frigidis illis & alvum ſubducentibus, διαχωρητικοῖσι, nec acribus, nec ſalſis, nec calidis, nec guſtu dulcibus, undè ipſo hoc vocabulo lacticinia omnis generis videtur excludere. At (*Lib. III. de Diætâ*) cibos leves & molles omni ratione commendat. Ii enim cibi & minorem à naturâ laborem poſtulant, & ex prædictis, multò faciliùs cum humore piceo atque tenaci miſcentur, ip-

ſiuſque quaſi reſinoſæ diatheſi, virtute ſaponaceâ medentur.

Eâdem de ratione, vinum omninò interdicit, aquam ſolam pro potu concedens, cui puriſſimo latici & potui animantium omnium communi ſi recuſent ſeſe ſubdere, ſaltem id unum concedit, vinum aqueum, ὑδαρέα οἶνον, bibant, id eſt, aut leve & parùm ſpirituoſum, aut aquâ multâ dilutum.

Generatim Melancholicos ab exercitationibus arcet, & quòd paucos ipſis concedat cibos & ſine labore ſubigendos, & quòd metus eſt ne mota laboribus Melancholia, vertatur in bilem atram. Deambulationes tamen multas, curſus tardos & matutinos in morbo ad Melancholiam vergente (*de Diætâ Lib. III.*) ſuadet, cùm ab iis nullum ſit ne moveatur humor periculum. His verò levioribus exercitiis miſcibiles fiunt inter ſe partium diverſarum humores. Quibus peractis balnea ſimplicia atque unctiones commendat; at omnibus æquè commune præceptum eſt ut Venerem, tenuiorum humorum partibus vacuandis & ſpiritibus atque omni virium genere exhauriendis aptam, fugiant omninò.

Quoad ipſam morbi curationem fatendum eſt præter humectantia atque diluentia, imò & narcotica, ut eſt Mandragoræ radix, quam triſtibus, anxiis, ægrotis & ſe ſtrangulare volentibus vult exhibendam, minori doſi quàm quæ ad inſaniam adigat, totam illam ab Hippocratis præceptis in Veratri, ſeu Hellebori albi uſu contineri; cui additur Seſamoïdes inter purgantia

ab Antiquis numeratum, & de quo agitur in ſolo *de Veratri uſu* Libro; nam quoties Hippocrates agit de Veratro, de eo tanquàm de vomitorio mentionem facit, & inter purgantia numerat Helleborum nigrum, quem raro uſurpaſſe in Melancholiâ videtur; cui aſſimilat aliquam Tithymali ſpeciem Peplium dictam, cujus duas ſpecies recenſet Dioſcorides.

Mirum eſt quantâ fiduciâ Hippocrates Veratrum adhibere veritus non ſit, ut infrà dicetur, ita ut per ipſum melancholici humoris exundantiam tentaverit antevertere, naſcentemque quaſi occupare. Verùm meretur rei dignitas ut de Hellebori exhibitione peculiari articulo agamus, poſtquàm eorum excuſſerimus ſententias qui Hippocratis doctrinam, paucis mutatis, ſecuti ſunt.

Videtur cum Eraſiſtrato Aſclepiades, cum Aſclepiade Celſus de melancholici humoris exiſtentiâ, diversâ prorsùs ab Hippocrate ratione ſenſiſſe. Undè apud Latinum ejus Exſcriptorem vix ulla hujus morbi mentio facta, multò minùs aliquid apud illum de curatione reperies quod attentione dignum videatur.

Pleniorem contrà hujus curationem nobis reliquit Aretæus Cappadox, quem ipſa quas incoluit regionum temperatura, inviſendis atque curandis melancholicis fecit aptiorem, indèque procul dubio ut in morbo deſcribendo uberior eſt, ita in curatione maximè fuiſſe exercitatum veriſimile eſt.

Duplicem Melancholiæ gradum in ſuâ curatione diſtinguit. Prima remedia à venæ-ſectione in brachio dextro orditur, niſi tamen tenuis na-

turæ ſint & carnes molles habeant ægrotantes (ἰσχνοὶ καὶ λειφαίμοι). His tamen paucum ſanguinem detrahi præſcribit, multùm verò aliis, præſertim junioribus. Quibus paucus ſanguis auferendus eſt, iis iteranda venæ-ſectio. Cur verò è brachio dextro velit detrahi ſanguinem, addit ipſe ut ab hepate fluat. Quæ in ipſis Hippocratis principiis fundamentum habet opinio. Nam & Autor Medicinæ dogmaticæ, & ſequaces ejus omnes è directo (κατ' ἴξιν) fieri detractiones voluere, ſucceſſuſque diverſitatem experimentis confirmare auſi ſunt, licèt huic repugnet doctrinæ, de revulſione atque derivatione recepta apud nos theoria.

Nec mora, ſtatim nigri hellebori drachmas duas ex melicrato dabat ſeu mulsâ, ſaponaceam virtutem purgationi hac ratione adjungens. Si vires langueſcerent, thymum Atticum eidem hellebori doſi adjungebat pluriesque, & repetitâ vice ſine intermiſſione idem exhibebat medicamentum.

Verùm ſtomacho posteà præcipuam afferebat attentionem; at ſuccum abſynthii primariò laudat, quem vidimus ab Antiquis pro præcipuo hepatis roborante habitum fuiſſe. Et aloëm commendat quotidiano uſui, quia ſcilicèt virtuti roboranti áliam vim adjungit ſummi hîc momenti, bilem ſcilicèt movet. Prætereà ſummâ diligentiâ videtur neceſſarium Aretæo, antè omnia diligenter inſpexiſſe, an non traxerit morbus natalia ab hæmorrhoidum ſuppreſſarum, aut menſtruorum morantium vitiis, quibus inprimis vult opitulari Medicum, ſi quidem ſine curatione cauſæ nulla eſt morbi ſanatio.

Verùm cùm ex illuſt. Dan. Clerici obſervatione, fuerit ille Pneumaticorum ſectæ addictiſſimus, ut ex ipsâ patuit morbi deſcriptione, ei in curatione fidelis remanet. Nam ut flatus & tetram anathymiaſim diſcutiat, vult apponi cucurbitulam unam ad hepar, ad ventrem aliam, aliam ad dorſum, medio inter omoplatas loco, non ſimul quidem & ſemel, ſed diverſis atque repetitis vicibus. Sed & ipſi capiti auxilia fert, & vel ipſi calvariæ cucurbitas apponit.

At verò ubi ad ſummum gradum morbus pervenit, jamque omnia vehementiora ſunt, vehementioribus etiam auxiliis Autor noſter operatur. Incipit rursùs à venæ-ſectione quam ſemper in brachio vult ſecandam, rursùs cucurbitæ apponuntur, poſteà jam non helleboro nigro ſollicitatur alvus, ſed hellebori albi ope, vomitus concitatur. Sed jam aut infirmiora corpora erant, aut timidiores Medici. Hinc cautelas cautelis accumulat, ne noceat vis medicamenti nimia quas apud ipſum autorem legere eſt.

Præptereà verò cataplaſmatum, linimentorumque formulas aggerit, quorum vis eſt ut partìm debilitatas, partìm doloribus incenſas partes, hinc roboret, illinc compeſcat: quæ quidem medicamentorum genera hîc exſcribere prorsùs inutile eſt, cùm vix hodiernæ Medicinæ accommodata ſint.

Nec de victu ab Hippocrate differt, nec de exercitationis ratione aliquid novi propoſuit. Sed primus eſt inter eos Autores quos legere contigerit mihi, qui ad Melancholiæ ſupremum gradum ſuaſerit uſum aquarum thermalium nati-

varum. Nullâ tamen habitâ ratione diverſæ earum virtutis.

Hippocratis admirator maximus ejuſque Medicinæ inſtaurator Galenus, ipſi tamen nunquàm ſerviliter addictus fuit. Obſervationes obſervationibus addidit, undè novam ars ſalutaris lucem nacta eſt, adeòque & aucta & amplificata. Hinc *de Locis affectis*, *cap.* iv. audacter pronuntiat, humorem melancholicum minimè inveteratum, balneis, victu humido, cibis boni ſucci, nullo alio adhibito præſidio perſanari. Hinc ad gradum prædominantis ejuſdem ſucci majorem, applicandum eſt illud, quod *Lib. de atrâ Bile* ſtatuit, « Generatim omnes qui ab humore melan» cholico pendent affectus, inhibebis inter ini» tia, humorem cum vacuantibus validè pur» gans ».

Quamquàm autem Galenus in genere *de Locis affect*, *cap.* iv. pronuntiaverit alvi dejectionem, vomitum & probam concoctionem in hypochondriacis ſummè juvare, tamen ubi in peculiari Libro, quos quales & qualiter purgare oporteat, enumerat, melancholicos per inferiora ſemper vacuare oportere non hæſitanti ratione pronuntiat; modò qui eâ afficiuntur, vomitioni dudum non aſſueverint, aut eam aliundè repetita ſymptomata non depoſcant. Tunc verò per vomitoria lenia agendum ſuadet, qualia Veteribus in uſum adhibebantur, oleum, hydræleum, mel, mulſa meracior, radicula ſive raphaniſtrum Veratro, ut alibi dicemus, transfixum, Narciſſi bulbus, aliaque medicamenta hujuſmodi, virium illa mediocrium. Antè verò quàm adhibeantur me-

dicamenta illa, primus omnium in morbo melancholico mentionem fecit, præparationis atque attenuationis præviæ in quacumque methodo adhibendæ. Jam ipſi Veratrum dubiæ videbatur virtutis, & infirmioribus hominum ſuæ ætatis lateribus minùs accommodatum, quod exhibere verebatur. Hinc *de Methodo medendi Lib. XIV.* ſimpliciſſimam omninò methodum adversùs ſuccum melancholicum præſcribit : Solvemus, ait, melancholicum ſuccum drachmis quaternis epithymi in ſero lactis aut mulsâ, aut propinato medicamento noſtro quod ex triginta duobus ſimplicibus conſtat. Medicamenti hujus formulam in ejus Operibus reperire non potui ; at herclè quantùm compoſitum eſt ? Quantùm jam à nativâ ſuâ ſimplicitate receſſerat Hippocratica Medicina. Facit ipſa hæc variarum virtutum complexio atque complicatio, ne amiſſum lugeam.

Verùm Autor idem qui in Epithymo vix hodiè apud nos admiſſo ſummam repoſuiſſe videtur fiduciam, helleborum nigrum in *Libro de Purgantibus*, ut medicamentum minùs valens habet. An cùm eadem hodiè propinantur medicamentorum genera, ut ex Dioſcoridis, Plinii & Antiquorum deſcriptione patet, diverſæ tamen ſpecies adhibentur ? Repugnat enim œconomiæ per univerſam naturam diffuſæ, ut virtutes plantarum aliquam expertæ ſint viciſſitudinem ? Crediderim potiùs quòd diverſitas dogmatum in diverſis Autoribus indè pendeat, quòd prætervisa Melancholiæ diverſitas, varios omninò à medi-

camentis ſortita fuerit effectus ; ecquis enim non ſentit quantùm nocere debeat nerveæ Melancholiæ aut Veratrum, aut Cyclamen, Spartium, Peplium, aliaque hujuſmodi medicamenta? Quàm parùm humori melancholico debellando prodeſſe ſimplex illa quam ſpaſmodæa repoſcit diatheſis, curatio. Prætereà Galenus Romæ & in Europâ noſtrâ medicinam fecit, ubi jam omnia multò moderatiora ſunt quàm in Syriâ aut etiam Græciâ Aſiæ finitimâ ; undè in Melancholiâ curandâ omnia etiam medicamenta mediocria præſcripſit, arcet verò quæ ſua vehementia jam facit ſuſpectos atque metuendos magis.

A Galeno ad Alexandrum Trallianum, omiſſis aliis pluribus qui utriuſque inter ætatem ſcripſere, filum deducimus, quia ſcilicèt vix illi Galeni, Rufi Epheſii, Exſcriptores, aliquid arti emolumenti fecere, verbiſque vix mutatis eadem proferunt. Sed non ita Alexander ſeſe geſſit, ſed propriâ naturæ obſervatione dives alienis ſua adjungere auſus eſt.

Quatuor humoralis Melancholiæ genera recenſuit. Altera fit à plenitudine, ab obſtructione præſertim partium ſub calvariâ contentarum fit altera. Bilis vitia tertiam inducunt : quarta à melancholico ſanguine pendet. Quatuor hæc genera cauſarum in recentiori præſertim Melancholiâ adoriri lubet. Veteraſcenti & jam invaleſcenti methodus alia confert.

Ubi à ſanguinis plenitudine pendet illa, curationem univerſam conſtituit ipſa ſanguinei laticis imminutio. Statim venam ſolve; præcepta verò tradit invariata è quo loco detrahi debeat ſan-

guis. Nunc è manu tollendus eſt, nunc è brachio, nunc è poplite, quam tamen ultimam vacuandi ſanguinis methodum mulieribus præſertim expedire atque conferre putat.

Verùm pace tanti Viri dixerim, nullus niſi in re Medicâ cœcus omninò, alacritatem à ſanguinis plethorâ deſtrui negaverit, ſed ipſa à plethorâ pendere dici non poteſt Melancholia, niſi longo & inveteraſcente malo, fracta fuerit partium ſanguinearum ad ſeſe invicem proportio. Hinc licèt illa inter remotas Melancholiæ cauſas numerari & poſſit & debeat, proximam ejus cauſam, ſolvi facilis morbus non continet, totam &, ut aiunt, adæquatam.

Magis, ut æquum eſt, complexa proponitur illius quæ ab obſtructione pendet curatio. Aperientia recipit. Tum verò cùm obſtructio illa in variis encephali loculis hæreat præcipuè, ibique ſolùm poſſit morbo noſtro producendo adaptari, venam frontis ſecandam ſuadet non unâ vice. Res autem incipiente morbo peragenda, ubi enim inveteraſcendo invaluit, de eâ ſpecie pronuntiat Trallianus ἀθεραπέυτον eſſe, id eſt, prorſùs inſanabilem. Proderit ergò ipſam ab aliis diſtinxiſſe in prognoſeos gratiam. Sed res ex ſuperiùs dictis ſpontè fluit.

Therapeia verò illius quæ acrimoniæ debet originem, ſi mobilis ſit ipſa hæc acrimonia, ſtatim cholagogum pharmacum admittit. Tale eſt illud quòd Hieræ picræ ſcrupulos ſex continet, & Scammonii pondus ſiliquarum octo; doſes quidem medicamentorum nobis vix credibiles, quæ corpus ita concutere debebant, ut non mi-

rum ſit ſi ab illis epotis, nova remedia ipſa ſibi requireret Medicinæ efficacia. Hinc tali pharmaco fatigatos, quiete ſummâ, balneiſque refici volebat; tum purgandum rursùs; alterniſque & laxantia, & balnea & perfuſionem toto corpore calidæ aquæ commendat, diætam verò exquiſitè tenuem, ptiſanam pro potu, aliaque hujus generis quæ acutioribus morbis competunt. Et certè eâ ſolâ methodo vacuari poteſt prædominans acre; ſed ſummè metuendum eſt ne morbus humoralis cum nerveo ſpaſmo confundatur, in quo quantùm lædere poſſint cathartica ſatìs alibi intelligendum dedimus.

Nihil novi addit Alexander methodo à vetuſtioribus præſcriptæ ubi à ſanguine melancholico pendet morbus noſter. Sed plura addit quibus probet vanam eſſe Medicinam, ſi non illudentia phantaſiæ figmenta procul amoveantur, undè à morali magna pars Medicinæ in hoc morbo petenda eſt.

Verùm ab hoc ultimo cauſarum in univerſam ſanguinis molem agentium genere, ea repetenda eſt Melancholia quæ inveteraſcit, morbumque ipsâ ſuâ tenacitate materiæque univerſalis ſpiſſitudine, medicatrici arti difficilem facit. In hanc potiſſimùm inſudat Trallianus. Spectandum eſt, inquit, an incipiendum à catharſi, an à venæſectione, imò an requiratur utraque? Utrùm neceſſarium ſit ut altera alteri ſuccedat? Vulgò tamen, ait, à venæ ſectione auſpicanda curatio, poſteà uſurpanda ſunt dulcium aquarum balnea, vel antequàm reliqua admittantur remedia. His ſuccedit catharſis ex epithymis ſcrupulis 12.

cum ſero lactis. Paucorum dierum intervallo rurſùs ad purgationem redeundum eſt. Hæc ex epithymi & hieræ picræ ana ſcrupulis ſex inſtituenda, ſicque ad decem ſcrupulos quæ fortior doſis eſt, pervenitur, per plures dies relicto levi intervallo iteranda. Non niſi protractiori atque reſiſtenti adversùs omnia remedia morbo vehementiora ſuadet medicamina ſivè Helleborum, ſivè Armeniacum Lapidem. « At ego, inquit, multò » antefero Armeniacum Lapidem Helleboro ». Quid ſit autem Armeniacus ille Lapis infrà videbimus. Hæc Autor noſter *Lib. I. cap.* 16.

Nihil novi ferè dicentes Aetium, Oribazium ſilentio præterire liceat, dum ille Galenum, Archigenem, Rufum ita exſcribit, ut veræ curationi nihil indè lucis accedat, niſi quòd apud ipſum ex Rufi ſententiâ maxima clyſteribus adhibeatur fiducia, nec ſimplicibus illis, ſed ex natro & melle compoſitis, quæ certè non minimum uſum obtinere poſſunt quoties aut ſtagnans, aut hærens intrà craſſiora inteſtina habetur ſuccus melancholicus. Ultrà, vim ferè non extendunt, quamvis plura, imò & omnimodam curationem ex eorum uſu promitteret hodiernus Agyrta, qui cùm ipſum mille experimenta fefellerint, ab urbe evaſit. Nitrum autem aut natrum Antiquorum nullâ ratione cum noſtro confundi debet, ut omnes ſciunt; noſter enim ſalem neutrum conſtituit ex acido ſpecifico conſtantem, & alcali. Antiquis verò ſal ex lixivialium ſpecie, nitri nomine deſignabatur. Salem ammoniacum inter ſolventia numerat, purgantibus aut remiſcendum, aut etiam interpolandum. Oribazius

verò acetum dormituris vult exhiberi quaſi ſedativum, quod eò lubentiùs hìc animadverto, quòd vim poſteà maximè ſedativam in eo detexerit Boerhaavius, quam ego in uno è Collegis, qui ex Boerhaavii chymiâ, magnas ab illo ſpes conceperat, deprehendi. Hic enim merè hypochondriacus, nocturniſque angoribus divexatus, certas ſibi inducebat inducias hauſto aceti meri uno vel altero cochleari, quæ doſis ſi careret ſucceſſu, ad alterum recurrebat, quod nunquàm medicamentum ſpem ejus eluſit, me & teſte & mirante.

Nova ſperare fas eſſet à Cælio Aureliano. Hic enim ſuæ ſectæ addictus, methodo curationis differre debet, nec tamen aliter ab aliis diſcrepat, quàm dum communia atque vulgaria barbaris formulis ſuperſtruit.

Ut tenſum in Melancholiâ laxetur, jaceat ſuadet ille, æger in loco lucido atque calido, nullâ picturâ quæ ideas in abſurda rapiat, cubiculum adornante. Si qua pars ſaltu ut amat loqui, ſeu convulſionibus agitata ſit, tepidis vaporationibus erit mitiganda. Eæque ferè ſemper capiti, collo, thoraci ex lanis mollibus circumdandæ ſunt. Collutio oris, potus tepidus, aſſiduus, ſuadenda ſunt. Præcipuè verò multorum ingreſſus ſunt prohibendi, cùm nihil æquè anxietatis ægro afferat, quam huc & illuc euntium ſtrepitus ſæpè renovatus.

Diatrito diætâ jam antè Hippocratem famosâ, & quam fruſtrà vir à naturâ inſtitutus convellere tentaverat, omnes morbos inſtituebant Methodici. Hinc quaſi rarum atque magnum ſuadet

Autor

Autor noſter ut in ipsâ primâ diatrito inſtituatur phlebotomia. Nonniſi eâ peractâ cibus ex Alicâ & melle exhibendus. Tum primùm proluenda alvus clyſtere ſimplici, & ne quid methodo humectanti deſit, præcordia laxantibus cataplaſmatibus circumdare juvat.

Humectantibus verò, ſi dolor adſit Melancholiæ conjunctus, diutiùs inſiſtendum, imò anodyna & leviter narcotica ſinit adhiberi morbi vehementia. *Ceratoria* enim medicamenta opium recipiunt. Sin minùs, detonſo capiti cucurbitam appones ſcarificatam, aliam verò in metaphreno. Aretæi dogmata ſequitur in hac parte Cælius, quem elegantiſſimum Medicum dum trahunt ad ſe Methodici, imitari non dedignantur. Et intereà non ceſſari vult ab exercitiis, ſed alia ſi prohibeat ipſe corporis infirmati tenor, ad ſolam geſtationem recurrendum eſt.

Tardus eſt in majoribus auxiliis advocandis Aurelianus. Si tamen expoſitis medicamentis rebellem experiaris morbum; tibi cum Methodicis, luxu erudito duplicem cyclum ſubeundum imperabit. Alter eſt reſumptivus, alter recorporativus ſeu metaſyncriticus. Operoſum ſanè præcipuè in melancholicis utrumque hunc cyclum fusè *Lib. I. cap.* 1. *de Cephalæâ* exequitur. Adeòque de iis longiores non erimus. In utroque verò, ſecundùm Methodicos ingens ineſt virtus, cùm in illis, à variis exceſſibus ad oppoſitos ex arte deveniendum ſit, adeòque & œconomiam corporis immutare, & roborare ipſam æqualiter nati ſunt. Verùm plus illi ad cautelam morbi conducere poſſunt.

At vehementiora demùm in vehementioribus mali periodis ipſe ſuadet. Primus eſt qui Dropacem, ſeu emplaſtrum quo in veſiculas attollitur cutis ſuaſerit. Hic eum inveterato malo præſcripſit, & formulam emplaſtri è cantharidibus Euphorbioque conflati reliquit. Huic addit vomitum ex helleboro albo, non unâ vice, ſed pluries repetitâ, intervallis tamen mediocribus temperatâ. Sed parcus horum remediorum fuit, nam ad indicationes cauſarum attentus, « neque phlebotomiam, ait, pro» bandam teſtante dolore cenſemus, nec gradus » ſolus mali hellebori purgationem indicat ». Sed redundat localibus adjumentis, quæ plurima recenſuit ex attenuantium atque roborantium claſſe conflata. Cæterùm agmen claudit apud ipſum uſus aquarum mineralium nitroſarum. Muſicen intereà atque omnia animi oblectamenta commendat, vultque Doriam imbecillibus & cacochymicâ humorum indole deformibus, ut erigantur eorum animi, adhiberi; Phrygiam verò mœſtis ſuadet, qui porrò utriuſque Muſices effectus quàm vividi olim & ad curandas Melancholias proprii fuerunt habiti, teſtantur omnia Veterum monumenta. Nihil ergò ferè ab aliis differt Cælius, niſi quòd verba elegantiorum Medicorum in barbarum dicendi genus convertiſſe videatur.

Steriles ſunt veri, imò & vix aliquid curationi addiderunt qui in locis calidioribus morbos noſtros in ſuâ vehementiâ videre potuerant, plus de verboſâ dialectice curioſi Arabes, quàm de verâ Naturæ obſervatione.

Eſto inter alios omnes Avicennas, qui dum à ſpaſmo Melancholiam diviſit, plus aliis omnibus videtur ſapuiſſe.

Hic *Fen.* 1. & 2. *Tractatu* 5. & 1. *cap.* 5. cauſas à Tralliano deſcriptas admittit, ab iiſque vult indicationes ſumendas eſſe. Sed brevì promiſſorum oblitus, nil tanto hiatu dignum profert. Sed tota quanta eſt ejus curatio, à Galeno videtur exſcripta. Undè ad hunc referendus erit honos omnis. Nec alii alia addidere præter voces incognitas, cognitis multò magis abſurdas.

Nec tamen uſque ad Linguæ Græcæ inſtauratum ſtudium, plus ſapuiſſe Arabibus Medici videntur, qui anicularum more, quæ ſibi prodeſſe viſa ſunt, methodo nullâ adjecere. Sed tempus affulſit tandem, in quo dum ab Arabibus ad Græcos ſcholarum imperium defluxit, ſervile in ſcientiis jugum fuit excuſſum, & indè autoritatis pondus imminutum raciocinio locum dedit, obſervationique Naturæ, à quâ facilè ſenſere homines ad promovendas artes nati, novos ad gloriam patere aditus. Verùm cùm humani ſit ingenii vitium ut ſibi præſcribere limites recuſet, mens Medicorum novitatis amore ita flagrare incæpit, ut vel cum horrore repudiaverit antiqua. Quàm parùm autem indè Medicina profecerit ſatìs facile eſt intelligere. Verùm inter tot & tam immenſa volumina liceat unum aut alterum eligere, ut intelligatur, quanto conſenſu omnium temporum Medici firmatam artem exerceant.

Diviſa eſt ferè eodem tempore ars noſtra duas in partes, quarum prima Hippocratis aſſertis, & ipsâ ſuâ vetuſtate ac vigentis Philoſo-

phiæ concordiâ ſuperbiens, parem nec poterat, nec ſi potuiſſet volebat admittere; altera ipsâ ſuâ novitate, homines rerum inſolitarum avidos alliciens, imperium prioris videbatur concutere debere. Hinc odioſa illa nomina indè Galeniſtarum, Humoriſtarum, Scholarium, indè Paracelſitarum inſufflantium, &c.

Paracelſus qui à Baſilio Valentino primus acceptam Chemiam medicinalem in artem redegerat, pauca admodùm de Melancholiâ dicit, eam tamen ut & *Spectrum* atque *Phantaſiam* habet, Coralliiſque rubris ſanari, obiter pronuntiat Libro *Herbarum*, tit. *de Coralliis.*

Quod autem ita de Coralliis ſenſerit mirum nobis videri non debet, ſi credamus illi *de Enti naturali Lib. III. cap. 9.* differenti. Ibi enim expreſsè ait: « Aciditas eſt Melancholia, quid» quid enim acidum eſt, frigidum & ſiccum exiſ» tit, nec ad terram quidquam pertinet, aut ad » terream craſſitiem vitium melancholicum ».

Etſi verò vi veritatis expreſſum videatur ſuffragium illud, nobis tamen eo ſuperbire non licet. Nam in Tractatu primo *de Statu Hominis* ſibi contradicit. « Si frigidam & ſiccam Me» lancholiam vocaremus, mendacium dicere» mus. Nec enim ita ſe habet Melancholia, col» lectitium nomen eſt, multis mendaciis confu» tum ».

Quò autem in ſuis operibus progreditur magis, eò videtur plus experiundo profeciſſe. Nam Tractatu ſecundo *de Morbis* ex Tartaro, Librum edidit *de Morbis Amentium*, in quo cùm circà Theoriam nil boni lateat, ridiculas nempè &

pueriles fingendo cauſas,ad Veterum tamen dogmata furtim relabitur, affectuſque oppoſitos affectibus oppoſitis eſſe perſanandos inſinuat, medicinaſque nunc lætificantes præ mœſtitiâ melancholicis ſuadet, nunc mulcentes & lætitiam temperantes, iis qui contrà præ impotenti lætitiâ laborant. Utriuſque medicamentorum generis nomina referre ad cognitas nil pertinentia ſubſtantias prorsùs inutile eſt; ecquis enim enodare poteſt quid intelligat per aurum potabile, manna maris, opiatum primum purpuratum, lolium purum, &c.

Ne verò, Paracelſo forſan audacior Helmontius atræ bili ſuccurrat in causâ eſt, quòd ipſam non admiſerit, ſed atram bilem dictam pro ſtagnante in ſemi-ruptis vaſis ſanguine habuerit. In quâ quidem opinione, maximæ autoritatis ſinceræque doctrinæ Medicos aſſeclas habuit. V. *Scholar. Humoriſtarum paſſiva deceptio*, *cap.* 4. Delirium verò melancholicum ſemper à ſtercore liquido intrà inteſtina hærente voluit repetendum, quâ in irrationali medicinâ quàm parùm ſit à nugivendulis illis expectandum, ſatis intelligitur; hi enim nihil aliud ſibi prætendunt quàm ut aurum corradant, ex iſtis quas congerunt fabellis.

Jam ergò ex illâ flagitiosâ nequitiâ rursùs ad puritatem Philoſophicæ Medicinæ emergamus. At in ipſis hiſce luminibus fateri cogimur primos à renovatâ Medicinâ Medicos nihil aliud ſibi gloriæ propoſuiſſe, quàm ut aliis meliùs & intelligerent & interpretarentur Hippocratem atque Græcos Veteres.

Hinc Nicolaus Piſo qui in deſcribendis atque curandis morbis alios ejuſdem ævi præcelluit, fuſus in Melancholiæ curatione nihil omninò ut legenti patebit, Græcis addidit. Idem de Hollerio ſcholæ Pariſienſis non ultimo ornamento dicendum: additus atque prælatus ab iis plantarum noſtris regionibus familiarium uſus. Borragini tum decoctæ, tum expreſſæ, Bugloſſo, Soncho, Cichorio, aliiſque leviter aperientibus plantis magna conceſſa eſt fiducia. Radices Aſparagi Graminis, Ruſci, Apii, Ononidos, commendatæ. Folia Agrimoniæ, Cærefolii, Ceterach, Adianti, Scolopendrii ſummoperè laudata. Sed indicationes eædem; eadem in quâ tota Medicina conſtat, curandi methodus. Nec cùm penè oblivione deletus foret hellebori uſus, loco tamen ceſſit aut Epithymum, aut Lapis Lazuli. Cùm enim apud omnes æquè conſtet ſervandam eſſe alvi laxitatem, imò vacuationes eſſe repetendas, catapotia, apozemata, decocta varia in hunc finem varii præſcribunt quæ referre tæderet, utpotè non inutilia ſolùm, ſed noxia, cùm ſua cuique ægrotanti non doſis ſolùm, ſed & miſcela competat.

Inter illas tamen adeò eminenti virtute præditæ dicuntur ab ipſo Autore Pereda, ſeu potiùs Haly Abba, Arabe Medico, ſequentes pulveres, quos ad Melancholiam divinos vocat, ut eos referre liceat, non tam ut aliis præſcribantur, quàm ut indè conſtet quâ proportione olim melancholicis præſcriberentur purgantia. Eæ autem tales ſunt. Recipe Epithymi unciam ſemi, Lapidis Lazuli optimi, Agarici recenter trochiſ-

cati, ana drachmas duas, Scammonii drachmam unam, Caryophyllos integros numero viginti. Capiat drachmas duas bis aut ter in menſe ex ſero lactis.

Porrò ex illâ tam frequenter repetitâ catharticorum & quidem draſticorum doſi, ſatìs aptè concluditur, quòd ſi apud recentiores eviluerit aut potiùs elanguerit hellebori uſus, id potiùs indè factum eſt quòd virtutibus ejus deſueti Recentiores parùm tribuerint, non verò ex eo quòd purgandi indicatio à Recentioribus minùs culta fuerit. Nec Antiquioribus minùs fidunt plerique, cùm aquas thermales ſub morbi finem ſuadent, aliquibus tamen contradicentibus.

Súpereſt verò quoniam in expendendis hominum opinionibus nunc verſamur, ut cùm novam theoriam invexerit ſanguinis circulantis doctrina, experiamur an etiam aliquid inſtituendæ circà Melancholiam praxi mutaverit. In quâ quidem inquiſitione duas adhuc Autorum claſſes licebit numerare. Alii enim ab ipſo invento ſtatim ſcripſere. Alii nuperrimi ſunt, gaudentque eâ inconcuſsâ & æternùm duraturâ Medicinæ theoriâ, quæ Mathematicis atque Chymicis fulta principiis, id ſibi antè omnia proponit, ut per demonſtrationes procedat, nec à vero unquàm inquirendo deſiſtat.

Inter priores omnium loco nobis erunt Sennertus & ejus ferè exſcriptor Riverius, qui uberrimos Medicinæ theſauros poſteris reliquerunt. Sennertus verò Melancholiam in varias partitam ſpecies ſpectat; dein per diverſas cauſarum claſſes vagatur, ſubtiliori forſan diviſione, cum tantâ di-

verſitate irrumpentes cauſæ in unum tamen finem recidant, & in illum unum collineent ut ſpiſſitudinem inducant melancholicam.

Commune eſt omnibus diætam illam ſeu potiùs ſex rerum non naturalium uſum ſervare quem in cautelis contrà Melancholiam ediximus. Curare enim atque præcavere, ubi de diætâ agitur, unum atque idem eſt.

Tum ad eam ſe vertit Sennertus quæ à capite pendet Melancholiæ ſpeciem. En illicò admittit purgantia. Leviora ſunt illa primùm & quæ alvum ſubluant; aqua pomorum, Tartarus Vitriolatus remiſsâ doſi, extractum hellebori. Poſteà ſensìm fortiora, Sennam, Epithymum, Helleborum ipſum, & corticem præcipuè radicis quaſi potentiorem præſcribit. Repetenda ea vult, & iis quæ alterantia vocat, remediis interpolanda. Quæ porrò à Sennerto alterantium nomine deſignantur, ea nos aperienti virtute donata ſaponaceiſque ditia particulis ſcimus; illa porrò vult roborantibus capitis remiſceri, ita ut ſimul coeant, Borrago, Bugloſſum, Crocus, Roſæ, Meliſſa, Doronicum, vinum album ſubtile aromaticum, & generatim omnia leviter odorata tenue & ſuave ſpirantia.

Chemici curationi huic addunt magiſteria Lunæ, Corallorum, Perlarum, &c. abſorbentia; ſed miſerè oppoſitâ virtute donata remedia commendavêre plures. Eaque non remixta, undè ſalem neutrum efforment, ſed ut pari virtute donata præcipiunt acida mineralia, præcipuè verò ſpiritum vitrioli ex Venere extractum. Undè ipſis contradicit Sennertus.

Cardanus ſolo Chryſolithi uſu ſe intrà octiduum melancholicos ſanaſſe aſſerit; ſed quæ fides viro ſit adhibenda, quicumque ejus ſcripta legerit & vitam perpenderit, non ignorabit.

Verumtamen quamvis Opiata morbo nocere potiùs quàm prodeſſe videantur, caput enim implent; aliquandò, ſi Sennerto credamus, debent in uſum revocari à prudenti manu, ſi vigiliæ vexant. Aliundè verò eadem remedia ſivè epithematum, ſivè fermentorum formâ exteriùs commendat. Proſunt fonticuli ex obſervatione Rondeletii, qui vidit jampridem morbo humorali noſtro laborantes, ex infortunio, medicinam ſibi inveniſſe. Nam ex caſu, lapſu atque vulnere melancholicos ſanari aſſerit, ulceribus ſcilicèt largè & per labia ampliſſima fluentibus. Verùm ipſi concedimus illud non unâ vice factum. Nec ſolis capitis vulneribus communis eſt eventus ille, quem ſæpè Natura, Arte titubante, concitavit, excitatis morbis aliis quibuſcumque febrilibus, modò non ita vehementes ſint ut totum hominem concutiant atque pervertant. Porrò methodi hujuſce Sennerti, elementa in Veterum monumentis reperimus, mutatâ tantummodò materiæ Medicæ atque Chirurgicæ formâ.

Eadem ferè de Melancholiâ ab univerſi corporis conſenſu pendente habet, niſi quod nec tot Epithematis, nec tot fomentis ægrum divexet. Plurima reſolvit dubia, quæ jam inter Autores exorta fuerant circà purgandi methodum. Alii enim vehementiora Antiquorum more ſuadebant, alii contrà eorum uſum reformidant. Methodum hanc Sennertus cæteris an-

reponit, quæ propter viſciditatem atque tenacitatem melancholici humoris, longâ & ſæpiùs repetitâ præparatione continetur, novatâque purgantium exhibitione quorum uſus novis præparationibus locum cedat. At his duobus indicationibus tota conſtat curatio, humectatione, dilutione, poſteà verò alvi ſubductione quam per helleborum nigrum vult fieri, etſi præparata antimonialia à quibuſdam recenter laudata non improbet. Tertia demùm curationis pars roboratione, malo jam abacto atque devicto perficitur, ubi locum præcipuè inveniunt, aromata lenia, levia, & antè alia omnia quæ ex Ferro jactantur præparata.

Nec multùm diverſa eſt quam ab hoſpitante circà hypochondria Melancholiâ pendens morbus ſibi depoſcit, curatio. Nam alvo per clyſteres ſubductâ, miſſo, ſi fieri res ipſa exigat, ſanguine nunc ex largè fluente venæ ſectæ alveo, nunc per hirudines aut cucurbitas, pro vi ægri, ejus temperie morbive causâ, ad diluentia & humectantia eundum eſt. Hæc aperienti virtute donata requiruntur. Uſus eorum per cathartica levia interrumpitur; nec aliud hîc notandum habemus, niſi quòd efficacior purgatio lentiùs ſenſìm admittenda ſit, ne moles iners præpoſterâ medicatione nimiùm reſiccetur, adeòque poſteà ad motum quaſi inhabilis fiat, humido diluente per artem præpoſteram detracto. Sed ut ſensìm ſine ſenſu augetur aperientium efficacia, ſic etiam intenduntur purgantia. Semper verò aliis præponenda ſunt ex vegetantibus deſumpta aperientia, quibus in materiâ Medicâ exercitatiſſimus vir, &

recenti Chymiæ cognitione clarus, totam tamen curationem abſolvit, ita ut dum aſſuetis vomitionem commendat, radice Aſari utatur, non emeticis antimonialibus. Sola Martialia, abſorbentiaque, quibus roborandi vim ineſſe prædicabant vel ipſi veteres, ex minerali regno deſumit.

Nec diutiùs inſiſtemus ſcrutandæ curationi illius Melancholiæ, quam ex utero pendere ait; cùm illa nunc ad Melancholiam nerveam referatur, nunc indicationes ſumat ab humorali, quas ſimul debellare, quibus ſimul inſtare, nunc in hanc, nunc in illam versâ operâ, artis eſt quam nullus exarare poſſit Liber. Parùm verò curabimus illam errabundam à Marcello deſcriptam Februario menſe ſævientem, cùm homines noctu circà ſepulchra vagantur, *Kutubutk* ab Arabibus dictam, cùm ſymptomata tantùm ſit prædictarum Melancholiarum, nullamque per ſe curationem poſtulet in malo adeò Protheiformi, ut nulla non experiantur miſeri ſymptomata.

Nec longum erit quidquid à Riverio mutuabimur, Sennerti potiùs exſcriptore quàm novæ methodi inventore. Nec tantas ſcilicèt diviſiones admittit, nec nova proponit remedia; plenior adhuc Sennerto in ſuadendâ hirudinum aut cucurbitarum applicatione ad hæmorrhoides, etiamſi non prodierint illæ, ſi æger hypochondriacè laboret. Balnea aquæ tepidæ in univerſali Melancholiâ omnibus aliis remediis anteponit. Progreditur indè ad vulgata tunc temporis purgantia, intercurrentibus ſimul diætâ atque remediis humectantibus. Demùm ad viſcera roboranda ut Martialia quævis laudat, & balſamicam

atque ſulphuream Thermarum virtutem, ſic aliis poſthabitis ſalem novum ſatìs nunc cognitum, ſibique proprium ad granorum duodecim quotidianam doſim collaudat.

Mirum habemus hucuſque inter omnis ævi, omnis ſectæ, Medicos ad curandam Melancholiam conſenſum. Nulla alia ferè ars opinionibus theoreticis adeò vexata, uniformi conſtantiâ operationum tantùm ſeſe jactare poteſt. Uſque adeò latet ſub imo pectore omnium, vera, nullis fucata nebulis, ſimplex & ex primigeniis enata principiis Ars Medica, methodo conſtans quam vix unquam ulla obcæcare poteſt præjudicantium cavillatio. Nec conſenſus minor erit inter hujus ævi Medicos, licèt theoriâ multùm abludentes, Stahlium, Fredericum Hoffmannum atque magnum Boerhaavium, quorum illuſtrium virorum diſcipuli artis hodiernæ regimen per univerſam Europam obtinent.

Unicam ferè Melancholiam admiſit Stahlius, aliique ab eo edocti Albertus, Nenterus, Junkeruſque præcipuè tanti viri tam illuſtris diſcipulus. Hanc hypochondriacam cæteris poſthabitis ſpeciebus vocavêre. Junkerus tamen duplici ſub titulo nunc Melancholiam, nunc hyſterico hypochondriacum morbum tractavit, ſed nec in theoriâ, nec vix in praxi aliquam diviſionis cauſam reperire potuiſſe me lubens fatebor. *Tab.* 122. de Melancholiâ differens, ejus à ſanguinis ſpiſſiore plethorâ trahit originem. Hæret & titubat circulatio circà hypochondria, hinc hæmorrhoides, quæ ſi fluant, Melancholiæ medentur, indè ergò in hoc centrum tota dirigenda curatio.

Primæ viæ laxandæ & per melanagoga quidem. De iis nil novi proponitur.

Alvo ſublutâ, ut alii ferè omnes Medici hucuſque propoſuerunt ad ſectionem venæ ſe vertit. Hanc ex ſaphænâ commendat, ab unciis quatuor ad ſex. Purgantia illam levia ſequuntur. Tum temperantibus nitroſis & hæmorrhoidum advocatione curam abſolvit, notatque *Tabulâ* 22. in morbo qui humectantia adeò exigit, formam pilularum minùs aptam eſſe diluendiſque ſuccis inhabilem, hinc proſcribendam.

At longior in malo hyſterico hypochondriaco pertractando, ut morbos hoſce à plethorâ ſanguinem inſpiſſante pendere putat, hanc verò à legitimæ vacuationis aut defectu, aut ſuppreſſione autumat eſſe repetendam, huic reſarciendæ primas impendit curas. Indè craſis ſpiſſior propria ſibi remedia poſtulat. Attenuantia hæc ſunt omnia, nec indubitatæ virtutis, nec mediocris illius. Septentrioni vicinior medicina calentiora admittit medicamenta, Radices Ari, Vincetoxici, Helenii, Pimpinellæ albæ; folia Cichorii, Taraxaci; radices Caryophyllatæ, Rubiæ tinctorum ſeu Erithrodani Veterum, Dictamni. His adjungit Scordium, Fumariam, Scolopendrium, Adianthum, Cuſcutam atque Epithymum quod inter alterantia videtur admiſiſſe. Diverſus quidem eſt horumce ſimplicium in virtute gradus. Sed agendi norma eadem. Salia neutra atque media eodem titulo recenſet Sennerto concors. Nec minùs laudat molliſſima illa ſaponacea quæ latent in gummi reſinis vegetabilibus, Ammonia-

co, Galbano, &c. Huc etiam refert antiſcorbutica levia; quanquam enim ſcorbutum à Melancholiâ diſtingui velit, comparationem tamen aliquam hos inter morbos init. Intereà hiſce remediis ſi vis ſpaſtica inſit, conſociari præſcribit antiſpaſmodica; cui repugnantem præcepto nullum inveniet. Demùmque ut cæteri omnes Medici, tonum per Martialia tum ſpaſmo, tum causâ morbi infractum vult reſarciri. Nec aliter Hoffmannus, nam *Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 4. 5. 6. nihil aliud primò quàm clyſteres & laxantia præſcribit; ſecundo loco quæ cruditates temperant & ſpaſmos fugant; tertiò ea commendat quæ acidi abſorbentia ſunt; licèt acidum melancholicum non admiſerit. Lapides cancrorum, mater Perlarum, Succinum præparatum non alio tamen titulo proſunt, at Cinnabaris fatuum prorsùs medicamentum ex noſtrâ curatione rejicietur, Tralliòque obſequemur, autoritati magni Hoffmanni hac in parte detrahentes. Sed ſolvens eſt Tartarus ille Vitriolatus cui confidit. Antiſpaſmodicum eſt Caſtoreum, & liquor mineralis anodynus quem præſcribit. Nec à roboranti methodo abeſt, cùm jactat ſtomachica balſamica, aut aquas acidulas Chalybeatas.

Boerhaavius verò cui adeò ſplendidam intexuit coronam Swietenius, Antiquorum theſauris dives, propriis opibus ditior, ſolventia levia, humectantia penetrabilia, cathartica leviora præſcripſit, nec niſi ubi materies mobilitatis ſigna daret, voluit draſticis Medicum operari. Neç mirum cùm puriſſimus Naturæ Myſtes

honorem Medici in hujus ſervitute repoſitum eſſe docuerit. Expulſum morbum à tergo Martialibus inſequitur. Quæ quouſque cum Naturæ judiciis quadrent, licebit expendere, poſtquàm Veterum helleboriſmum ad ſeveri examinis leges, rationis trutinâ vindice ponderaverimus.

APPENDIX.

De Veterum Helleboriſmo.

Nullum eſt forſan apud veteres Medicos pharmacum adeò illuſtre, quàm quod apud Græcos Helleborus, Latinis verò Veratrum dicitur.

Nam Hippocrates ipſe de eo agit tanquam de cognito jamdudùm remedio, & cujus longa primævorum Medicorum experientia virtutes in apertum protulerat. Fuit enim & antè exquiſitam Græcorum doctrinam, apud Ægyptios atque Chaldæos exculta ſalutaris doctrina, teſtibus Heſiodo atque Homero. Quominùs autem ex Hiſtoriæ monumentis occaſiones quibus primùm innotuere medicamenta eruamus; vetat quòd eorum origo ipsâ ſuâ vetuſtate ex hominum memoriâ deleta ſit, tum etiam quòd cùm à Diis immortalibus beneficio ſingulari in homines collato conceſſa crederentur medicamina, ut eſt Moly apud Homerum, Dictamnus Creticus, Lotos aliaque ſimilia à vetuſtioribus Hiſtoricis atque Poëtis commendata, ea & lucri & honoris causâ, à ſacerdotalibus familiis atque Deorum ſalutaribus initiatis ſervarentur, ſedulòque averterentur ex oculis Profanorum.

Hellebori autem variis ſpeciebus ingens efficacia olim conceſſa eſt, ut morbis illis quæ ſenſus atque motus pervertunt, mederentur. Imò ſi & proverbia uſu recepta, & luſus vitam ho-

minum

minum domeſticam exhibentes ſcenicos, & vulgares hominum ſermones in ſatyris expreſſos tibi exhibeas, miraberis eos omnes de morbis mentis tanquàm ſanabilibus locutos fuiſſe. Doſin pro vehementiâ morbi vehementiorem ſpondebant; ſed vix unquàm inſanabilem inſaniam edixere. De quibus vide Plautum in Menechmis, Horatium, Perſium, Juvenalem in Satyris, & Adagia magno & mirando labore ab Eraſmo collecta.

Poſteà verò cùm medicamenti hujus uſus eviluerit, ita ut hodiè inter varios quos ars ad inſanorum curationem extundit conatus infelices, vix ad Helleborum attendatur; imò ingenti ille nocendi vi reus fuerit habitus, ad rei veritatem propiùs intuendam proderit, ejus natalia proſequi, vires expendere, uſum ponderare, ut vel Antiquis obſecundemus, aut eorum opiniones convellamus omninò,

Duplex igitur Hellebori ſpecies ab Antiquis ut & à Recentioribus numeratur, altera albi ſeu Veratri propriè dicti, altera verò nigri, ſivè, ut jam diximus, Melampodii.

Helleborus albus ſeu Veratrum, officin. apud nos radix eſt plantæ, quæ in Alpibus atque Pyrenæis luxuriat, Planta autem illa dicitur *Veratrum flore ſubviridi* inſt. R. H. Cui altera eodem virtutis jure ſubſtituitur quæ dicitur *Veratrum flore atro rubente* inſt. R. H.

Deſcriptionem plantæ hîc afferre, utpotè ab Autoribus Botanicis ita luculenter deſcriptam ut nulla hîc confuſio metuenda ſit, inutile pror-

sùs putamus. Optimus à Theophraſto habetur Oeteæus, poſteà Ponticus, dein Eleaticus & demùm Maſſilioticus (*a*). Multa de ejus delectu habet Aetius; eligatur tuberoſus recens, forìs niger, intùs albus, fibris diſtinctus, qui manſus primò dulcedinis indicationem linguæ præbet (*b*), latentem tamen prodit modicam acrimoniam, poſteà fervorem ori inducit & ſalivam multam ducit, & ſtomachum evertit. Sivè, quod idem eſt, nauſeoſum ſaporem obtinet.

Licèt verò Oeteæus aliis omnibus ab antiquioribus prælatus videatur, maximè tamen ad hellebori uſum rectâ ratione adminiſtrandum, nullus in orbe locus præluxit Anticyrâ. Porrò ſi Strabonem conſulamus, duas recenſet Anticyras, altera quæ in Maleaco ſinu jacet, altera quæ Phocenſis à proximitate Phocidos dicitur, an etiam hodiè dicta inſula Syra nomen Anticyræ ſibi vindicavit? Rem videtur putaſſe Tournefort, *Voyage au Levant*, *Tom. III.* in Maleacâ Anticyrâ naſci optimum, in Phocenſi verò meliùs præparari inſinuaſſe videntur Theophraſtus & Dioſcorides.

Illa autem Phocenſis inſulæ proprietas indè derivatur, teſte Plinio (*c*), quòd in Anticyrâ Phocenſi naſcatur planta Seſamo ſimilis, quâ Oetæum temperant, quæ Seſamoïdes dicta & Hippocrati ſivè Autori Libri *de Veratri uſu*, & Galeno, in id videtur inſtituta ut ſcilicèt vomi-

(*a*) Lib. IX. cap. 11. (*b*) Lib. III. cap. 129.
(*c*) Lib. XIII. cap. 20.

tum à Veratro inductum temperaret, adeòque vim convulſivam retunderet, adaugeret contrà atque intenderet vim catharticam. Sed ne diutiùs in ejus naturâ inveſtigandâ inſudemus, facit graviſſima Theophraſti autoritas qui eam Helleborinem & nominat & deſcribit; verùm ex ejus deſcriptione dubium eſt an eadem ſit planta, cum illâ quam nos ſub eodem nomine noſcimus etiam hodiè. Seſamoïdes igitur, Cnicus etiam Plinio dictus, Helleborine Theophraſti, pro remedio, Hellebori albi vim acrem & convulſivam temperante omninò habitus, ad Veratrum album primùm & præcipuè pertinet. Hujus duo genera recenſet Dioſcorides (*a*), magnum atque parvum. Magnum quem in Anticyrâ Helleborum etiam vocari vult, fortè non ſatìs attentus ad diſcrepantiam nominum Helleborines & Hellebori. Datur, inquit, ſemen tritum ad bilis pituitæque dejectiones quantùm tribus digitis comprehenditur, addito Veratri albi ſeſqui obolo (*b*). Parvum purgante vi inſignem commendat. Cæterùm à Theophraſto longo ævo diſtans, aliam Hellebori albi patriam nominat. Primatum enim apud ipſum Cyrenaïcus tenet, Galaticus autem & Cappadocicus, candidiores & pulvere quodam obſiti celeriùs ſtrangulatus movent.

Cæterùm apud Antiquos omnes, teſtibus Autoribus non Medicis, Anticyranus videtur prælatus fuiſſe, ſive ipſius vi plantæ, ſive ut probabile magis videtur, præparationis efficaciâ.

(*a*) Lib. IV. cap. 152. 153. (*b*) Cap. 150.

Nunc verò ex ipsâ Anticyrâ nomen Hellebori albi oblivione deletum eſt, teſte Tournefortio.

Helleborus verò niger, radix aut cortex radicis eſt plantæ quæ dicitur *Helleborus niger flore roſeo* C. B. P. Adhibentur etiam radices plantæ congeneris quæ dicitur *Helleborus niger anguſtioribus foliis*, inſt. *Helleborus niger legitimus Cluſii.* Deſignatur ſub nomine vulgatiſſimo Melampodii. Alii tamen eum, monente ſic Dioſcoride, Polyrrhizum à formâ radicis vocavere, alii Ectomon. Certè ſub Ectomi nomine illum indubitanter deſignavit Hippocrates Libro primo *de Morbis Mulierum*. Illum etiam ex Anticyrâ optimum devehi Autor eſt Dioſcorides, quanquam in Helicone, Parnaſſo & Ætoliâ etiam bonus naſcatur, ſed inter hos præcellit Heliconius. Hunc vere effodiunt. Sed eſſe celeriter effodiendum monet, quoniam halitu caput aggravat. Additque felicia auſpicia, quibus in momentoſis rebus Græci fidebant, ita ut ſi avis effodientem conſpexerit, moriturum qui ſuccidit, augurium ſit.

Verùm ex Hellebori nigri deſcriptione à Dioſcoride allatâ dubitat Bodæus à Stapel, an qui hodiè Helleborus niger apud nos venditur, idem ſit atque ille quem Veteres in Maniâ & Melancholiâ perſanandis adhibuere. Nam Dioſcorides eum Sphondylii foliorum æmulum deſcribit, quod Helleboro noſtro non convenit; undè poſtulat Autor an Pityuſa, Tithymali ſpecies, à Dioſcoride & Meſue alibi deſcripta, non habenda ſit pro vero Antiquorum Helleboro, cùm

pulvis ille qui à ruptâ radice veteris Hellebori exilit, lacteus fuiſſe videri poſſit. Certè pulveres omnes illi qui à radicibus exſiccatis exiliunt, & in decocto ſubſidunt, reſinoſi ſunt, & in primâ naſcentis plantæ ætate aut lactei fuere, aut lacteſcentes. Dubitat etiam an non Helleborus Veterum Chriſtophoriana fuerit ? Certè ſagaciſſimus Obſervator Monnerius noſter in itinere Alpino annotavit, eas quæ indè aſportatæ, & apud nos ſub Hellebori titulo venduntur atque emuntur radices, veras eſſe Chriſtophorianæ radices, ita ut ſola hæc planta pro Helleboro nigro vendatur hîc locorum. At ſepoſitâ Dioſcoridis autoritate, quam ipſa Manuſcriptorum vetuſtas ſuſpectam facit & infidam; neutram pro vero atque legitimo Veterum Helleboro haberi vult Tournefortius. Sed conjecturâ aſſequitur eſſe radices plantæ quæ ipſi dicitur *Helleborus niger, Orientalis, caule prœalto, flore purpuraſcente.* Cùm omnium hujus ſpeciei plantarum frequentiſſima illa ſit præſertim in Anticyrâ, ſeu Anticyris illis quæ in ſinu Maleaco jacent; uberrimuſque pariter hujus proventus ſit in orâ Ponti Euxini, & ad radices montis Olympi in Aſiâ, præſertim verò circà celeberrimam civitatem quæ Pruſa dicitur. Sed quodcumque ſit de clariſſimi viri opinione judicium, ſaltem ab eâ conſtat poſſe in uſum radices illas cum aliis revocari, cùm aqua ejus ſtillatitia, hauſta ſenſum parem linguæ imprimat. In collibus apertis, aſperis atque ſitientibus enaſcitur. Seligitur autem corpulentus & plenus tenui medullâ, acris guſtu, fervenſque.

Utriuſque Hellebori tum albi, tum nigri deſcriptiones confundere videtur Plinius.

Apud nos verò uterque Helleborus ex Alpibus atque Pyrenæis affertur, aut in hortis ad uſum colitur, nullo delectu, nullâ obſervatione aut loci in quo creſcit, aut plantæ ex quâ extrahitur, aut evulſionis atque ſiccationis methodi. Imò dubium eſt an reverà Helleborum, an Chriſtophorianam exhibeamus ægris. Nec mirum ſi tam negligentes, tam ſæpè fallat ſucceſſus. *Amat Victoria curam.*

His verò circà hujus utriuſque medicamenti hiſtoriam expenſis, jam quid de utriuſque viribus ſenſerint veteres Medici ſupereſt penſitandum, quibus cognitis jam methodum exhibendi proſequemur.

Viribus multùm inter ſe diſtant Helleborus uterque. Nam Helleborus albus potentiori virtute donatus ad vomitus concitandos, legitur apud Hippocratem paſsìm. Qui quidem vomitus cum violentis nixibus ſtipatus plerùmque ſit, vectibus atque ingenti molimini comparatum eſt. Hinc olim Helleborus albus μοχλίκος, id eſt, vectis vocabatur, quod ab eo acceptum nomen ad cætera potentioris efficaciæ medicamenta defluxit; ut etiam recentiori uſu vomitorium antimoniale ex vitro antimonii conflatum, Mochlicum dictum eſt. Vix porrò aliam virtutem evidentem in Veratro Veteres animadvertebant, niſi quòd ejuſdem in vino infuſum, inter potentiora medicamenta diuretica Theophraſtus annumerat.

Ab eo autem vehementer totum corpus concutiente effectu, ipſumque prorsùs immutante

pendent vires Hellebori albi. Hinc aliis ut venenum habetur, aliis ut medicamentum efficax, opinione utrâque vera proferente, ſi ad omnia quæ ipſius actionem valent immutare, vel vim dirigere attendatur.

Pro veneno quod ad ſalutares tamen uſus accommodari poſſit, habet Theophraſtus. Hippocrates eum adeò frequenter in uſum redegit, ut certè ipſi ſaluberrimum habitum fuiſſe jure meritòque cenſeatur. Nec tamen ipſe diſſimulat aliquid periculi ſecum ferre. Nam ſanas carnes habentibus, ut ipſius verbis utar, periculoſum diſtinctè arguit. Et vetuſtiſſimus quicumque ille fuerit Epiſtolarum Democriti ad Hippocratem Autor, eamdem doctrinam tenet. Verùm cùm Hippocrates Lib. *de Inſomniis*, ſomnia mala & Melancholiam arguentia memorat, his conducere ut Veratro purgentur ait, victuque humido & molli & ad aquam vertente utantur; hinc palàm facit quantùm ipſi parum formidinis Veratrum incuſſerit. Nec minùs eadem res arguitur ex eo quòd generatim edicere non dubitet, omnes qui fluxionibus à capite laborant, eſſe Veratro vacuandos. Lib. *de Victu in Acutis*. Idem omninò in morbo, *Curâ* φροντιδῆ, edicit; nec minùs ſecurum illi viſum eſt in nimiâ illâ humorum plenitudine quæ à malè directo diætæ uſu pendet. Hinc Veratrum illis ſuadet quibus caput dolet & gravatur, quibus palpebræ concidunt, & mens conturbatur in ſomniis. Sed quod maximè hîc notari convenit, vix unquam de Hellebori uſu mentionem injecit Hippocrates, quin ſimul cibos molles, laxantes, humectantiaque

omnis generis præſcripſerit. Nec minùs quanquam ex illo vix certi quidquam de legitimâ Veratri doſi concludi poſſit, ita tamen ſenſiſſe videtur, ut eam potiùs doſim ægri ſumerent quâ vomitus eliceretur, quàm quâ corpori tantùm tumultus inefficax concitaretur. Nam in Libro de ejus uſu ait, Veratro ſursùm ſecurus uteberis, deorsùm verò non tutò. Cui quidem indicationi adimplendæ prætollit multò Seſamoiden, quam Helleborinem Theophraſto vocatam fuiſſe diximus, imò & quam pro ipſo Helleboro nigro habet Dioſcorides, aut ſaltem pro plantâ virtutis æmulæ, ut ejus verba legenti diſtinctè apparebit.

Hinc videre eſt Hippocratem Veratro albo fidem adhibuiſſe, quoties quovis pretio, quâvis arte humor aliquis tenax, viſcidus, rebellis avellendus ſursùm foret, quoties exundaret aqua, quoties in caput humor ferretur & rationis arci ſtrueret inſidias. At ex Hippocrate & ejus ſequacibus, Plinius, *Lib. XXV. cap.* 5. docet Helleborum album mederi morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, lymphaticis. Verùm & quamvis de horum curatione Hippocrates per Veratrum ſiluerit, non minùs ex ejus principiis Veratri virtutes jactat Plinius in Morbis quorum pars alia ab humore melancholico pendet, alia à quâcumque rebelli humoris extranei pervicaciâ, morbis ſcilicèt cutaneis, Elephantiæ albæ, Vitiligini, Lepræ; nam & quod in hydropicis & tympanicis affectibus ipſum plurimi facere debuerit ipſa ratio Hippocratica indicat. Verùm minùs arte medicâ imbutus eſt, cùm jactat illum in tetano, tremulis, ſtomachicis, ſpaſticiſque

affectibus. Longiùs porrò adhuc à verò abeſt cùm eum in inflammationibus commendat, qui in iis locum invenire nunquàm queat, niſi à capite revellendum ſit. Nam cum torminibus redeuntibus eumdem aptat, locum conjecturæ facit, non adeò ignotos fuiſſe Veteribus dolores Colicos metallicos, aut quos poſteà & Aetius, Citeſius & Huxham deſcripſere, Pictavienſes atque Damnonienſes, in iis enim ſolis mochlicum, locum poteſt invenire. Illa eorum curatio indolem melancholicam mali docet; quæ analogia Medicum in Veterum doctrinâ verſatiſſimum Naturæque ſagaciſſimum obſervatorem non fefellit Cl. Huxham.

Jam verò licèt adeò cautelâ dignum eſſe medicamen cenſuerit Hippocrates, ut haſce cautiones Libro peculiari inſectari dignatus ſit, pluribuſque & Aphoriſmorum & Operum ſuorum locis de iis mentionem injiciat, jam ſive imperitiâ, ſive corporum à luxu molliorum debilitate Galeni ævo terrorem injecerat. A quo ſe non immunem vir exercitatiſſimus fatetur. Ejus tamen uſum auxit ipſe & ſanioris methodi luminibus ornavit. Præparari voluit corpora vomitoriis mediocribus, ut eſt aquâ oleo junctâ, quâ quidem in præparatione id ipſi erat inſtitutum, ne in ſaburram ventriculo contentam medicamenti vis conſumeretur. Hinc poſteà cibus uberior commendatur atque quies, cùm ex præcepto Hippocratico motus aſſumpto vomitorio corpora concutiat & ad vomendum concitet. Tumque jam non Veratrum ipſum adhibet, ſed Radiculas ſeu Raphanos ex oxymellite. Raphani

autem illi arundine perforantur & transfiguntur Veratri ramulis, perque totum diem atque noctem relinquuntur. Hujuſmodi, inquit, purgatio facta per Helleborum album erit imbecilla.

Verùm ab illo Medicinæ Principe poſtulabimus an aliquandò non præſtet fortis purgatio imbecillæ, in iis præſertim quos commendat fortiter purgandos Hippocrates? Cùm aliundè robuſtos tantùm huic generi Medicinæ deſtinaverit. An non ſpiſſiori atque tenaciori humori eruendo Ars eſt impendenda? Quin verò ipſo Galeno minùs timiditatis habet Celſus. Nam ſi nullis remediis cedit epilepſia, confugiendum cenſet ad Veratrum album, ac ter aut quater eo utendum, non multis interpoſitis diebus. Nec juvat quod alibi dicat Galenus vomitum valenter excitari à transfixâ ſurculis Veratri albi Radiculâ & oxymellite. Non enim vomitus ſolùm in caſibus hiſce requiritur, ſed violenta & ipſum corpus, motu vehementi impreſſo, concutiens convulſio.

Nec certè tantummodò ob vim emeticam ſolam, Veratrum adhibuiſſe videtur Hippocrates, quanquam hanc ipſius efficaciæ debitam activitatem plurimi fecerit. Sed cùm circà variorum medicaminum virtutes in diverſas ſæpè ſententias abierint Autores, omnes uno conſenſu Epithymum æquè ac Veratrum album inter medicamenta bili atræ expurgandæ dicata conſentiunt.

Prætereâ verò Hippocrates de Veratro albo ſæpè loquitur, nunc tanquam de purgante, nunc tanquam de emetico, variaſque directiones docet, quibus aut hinc, aut illinc agatur. Notat

verò Aetius diſtinctiſſimè *Tetrabibl. I. ſect.* 3. *cap.* 124. quòd etſi Veratrum album nec vomitu quidquam, nec per alvum expurget, non minùs tamen ad morborum quibus à naturâ deſtinatum fuit, expulſionem conferat. Quod aſſertum licèt ex Operibus Hippocratis odorari liceat, tamen nullibi adeò diſtinctè expreſſum reperire potui. Cùm autem hoc loco Aetius ut ipſe profitetur & Anthyllum & Poſidonium exſcribat, videtur ab Antiquioribus id receptum fuiſſe, ineſſe Helleboro albo vim ſpecificam quâ Melancholiam deſtruat, ut juvant acria antiſcorbutica, dolores à ſcorbuto qui per ſe viderentur erodentes. Et certè quis poſſit vehementi adeò purganti materiæ, vim ſolventem atque aperientem denegare, cùm præcipuè exteriùs adhibitum hærentes in ulceribus ſordidis viſcoſitates potenter abſtergat. Undè quid vetat in medicinali ejus facultate reperiri ſpiſſitudini illi melancholicæ ſpecificam antidotum?

Verùm cùm potentiſſimum illud pharmacum ita natum ſit, ut omne corpus prorsùs immutet, ut Aetii in loco citato verbis utar, ipſique novam omninò diatheſim inducat, ſatìs ex ipsâ ejus virtute intelligitur, quantùm etiam incautè & ſine arte adhibitum debeat importare diſcriminis atque periculi. Aliter enim non poſſit ſua ipſi virtus concedi. Hinc tot quæ ab ipſius uſu Medicos deterruere, terriculamenta. Illa ipſe Hippocrates eo uſus non diſſimulat. Inter agendum multa producit ſymptomata quæ Medicum horrore impleant. Peractâ operatione, multa

FOUNDED 1813
UNIVERSITY OF MA

etiam relinquere poteſt incommoda. Agentis Hellebori effectus ſic deſcripſit Aetius.

Prima perceptio caloris circà ſtomachum & fauces contingit. Indè ſaliva multa in os colligitur. Poſteà partem medicamenti & pituitam bile mixtam vomunt. Aliquandò venter ſubducitur. Singultiunt leviter & facies rubicunda eſt. Aliquandò verò ſtrangulatio vehemens eſt. Et in multis contractiones atque convulſiones fiunt crurum atque manuum. Iis omnibus medentur Anthyllus atque Poſidonius per inunctiones, fomenta molliſſima, imò acida Omphanica. Nam videntur uſum narcoticorum rarò adhibuiſſe, licèt de iis mentionem injiciant.

Jampridem in uſu Veratri ſtrangulationes notaverat Hippocrates. Et in ſummâ à Veratro purgatione convulſiones fieri notaverat & quidem lethales. Sed id de iis quæ Veratrum ſequuntur, nimiâ vacuatione corporis tonum exhaurientem, intelligendum, non de eo ſpaſmo qui in ipsâ ejus actione emicat. Alioquin nullum eſt vel leviſſimum catharticum quod non ſæpè eadem incommoda produxerit. Cæterùm notat Aetius ſomnum multum & profundum Veratri actionem excipere in iis qui probè purgati ſunt, eoſque aliquandò ſudoribus diffluere. Quod quidem ſummam noſtri pharmaci vim ſolventem demonſtrat.

Verùm plures ſunt Autores qui dum de ſtrangulatione per Veratrum inductâ loquuntur, eum laquei inſtar collo injecti pingunt, ut videre eſt in *Scholio Ephemerid. Natur. Curioſ. Decur.* 2.

ann. 2. imò vim in ipſo convulſificam & veneni ad inſtar, ſi incautè adhibeatur necantem tribuit Gedeon Harveius *de Vanitate Med.* 17.

Inter alia ſymptomata quæ actionem Hellebori albi comitantur, obſervavit Olaus Borrichius miram cæcitatem à convulſione oculorum quâ planè invertuntur, bulbuſque duntaxat albus inſpicientibus apparet. V. Manget. *Bibliotheca Practica Lib. XVIII. pag.* 828. Duravit cæcitas illa per horam & crebris vomitionibus peractis ceſſabat tandem.

Verùm utut periculoſum videatur Veratro incautiùs uti, ita ut de illo mentionem non injiciant apud Veteres, nec Oribaſius, nec Paulus; imò in inſaniæ curatione etiam apud Arabas qui meliùs de eâ ſcripſit Meſues vitandum omninò ſtrangulans remedium pronuntiet, tamen quotquot eum experti ſunt recentiores cum Veteribus de ſanante ejus efficaciâ conſentiunt, metum verò inexpertum timiditati prætexunt, eorum qui illum non uſurpavere.

Celſus eum in epilepſiâ laudat repetitum, utì jam diximus. Meſue terroris oblitus in eodem morbo eum uſurpat. Verùm totus eſt Geſnerus in prædicandis Oxymellis Helleborati Juliani quòd Helleborum utrumque recipit, virtutibus, quod phlegma viſcidum non melancholicorum ſolùm, ſed etiam cachecticum, crudum, indivulſum, tenax Aſthmaticorum potenter vacuet. Undè etiam illi poſtremo morbo quaſi ſpecificum habet. Theodorus de Mayerne, *Lib. III. cap.* 3. ſeſe cum optimo ſucceſſu uſum ait in epilepſiâ radice Hellebori albi, quæ ad gr. III.

violenter ſursùm & deorsùm vacuat. In quâ quidem doſi à Veterum uſu nimiùm diſtat. Plura congerere hîc autoritatum monumenta ſupervacuum videtur, cùm certè hæc illi fama omninò ſuperſit, ut ſit quaſi morborum mentis medicamen certiſſimum. V. Friccium *de Virtute Medicâ Venenorum*, *cap.* XI.

Nunc à viribus ad exhibendi methodum ordo nos deducit.

De Hellebori albi doſi nihil omninò reliquit nobis Hippocrates, ſive quòd dum doceret Diſcipulos, hæc ipſis ſolis myſteria revelaret, ſive quòd eam aliundè cognitam ſupponeret; nec Celſus, aut Galenus magis circà illum aliquid memoriæ reliquere. Sed jam metu percitus Galenus, primus, ut videtur, edocuit Radiculas, ſeu Raphanos per ſe jam vomitorios ex oxymellite propinare. Lib. *quos & qualibus medicamentis purgare oporteat*, & *Comment. in Lib. ſecundum de Articulis*. Sed eſto nobis omnium inſtar Aetius qui primus ad Raphanorum ſecundùm Galeni methodum præparationem Veratri drachmas ſex adhibet, eoſque oxymellite maceratos edendos ægris offert, ſedulò tamen exempto Veratro. At dabatur prætereà Veratrum vel in cremore, ut aiebant, vel in decocto, vel in ipsâ ſubſtantiâ.

Cremor Veratri vocabatur, ubi drachmæ quinque ramentorum Veratri in aquæ pluvialis heminâ dimidiâ fuerant ad triduum macerata, dein colata atque calefacta aqua dabatur ſenibus atque pueris, & in iis quibus habitus corporis defluxerat, aut qui morbum facilè ſolubilem habebant.

Decoctum Veratri fiebat ſequenti ratione ; concidebatur Veratri libra una in aquæ pluvialis ſextariis duobus , macerabatur ad triduum. Deindè ad prunas mitiores coquebatur ad tertias. Colato decocto adjiciebant mellis deſpumati primarii libras duas , & coquebantur ad mellis ſpiſſitudinem. Cochlear unum aut lingendum dabatur, aut ex ſorbitione. « Sic præparatum , ait » Aetius , nec convulſiones , nec contractiones , » nec nimiam purgationem facit , volenti ad ipſam Veratri ſubſtantiam tranſire , ut confiden- » ter ejus ramenta accipiat. Sic autem exhibitum » Veratrum quaſi gradum facit ».

Hæc autem præparatio quàm concinnè ad ſanioris Pharmaciæ leges aptata ſit ratio chemica ſatìs indicat.

Veratri autem ſubſtantiam ſumendi duæ erant formæ. Vel enim fortioribus ac virium ſuarum confidentibus feſtucas linteo exterſas , detractiſque ſubtiliſſimis omnibus partibus , ne ſtrangularent , ex aliquâ ſorbitione offerebant ad drachmas duas ; vel in pulverem craſſiorem ad drachmam unam & obolos (ſeu ſcrupulos) duos ; pulvilli verò tenuioris eadem erat doſis. Tenuem verò pulvillum ſæpè cum melle in catapotia redigebant. In ramenta confectum citò incipit purgare, poſt horas in totum duas , & quatuor aut quinque horis purgationem abſolvit, citrà convulſionem aut incommoda. At pulvillus tardè operatur ita ut poſt quinque tantùm horas incipiat. Præparatio hæc præcipuè ad metum contractionis & nimiæ purgationis deducit. Verùm addit Aetius , ad multa alia adjuvat , & certè

quòd tantoperè intrà corpus moratur pharmacum ad ipſius tenorem immutandum non minimi eſt ponderis.

Verùm in præparandis ad Helleborum album corporibus, iiſque ſeligendis maximam impendebant curam Veteres. Non enim omnium ætatum, non omnium corporum eſt medicina, dignaque quòd circà ipſam Librum ſcripſerit integrum ſive Hippocrates, ſive ex ejus ſcholâ vetuſtiſſimus Autor. Ibi ſanis vetat Helleborum dari, tum quibus inflammatoria diatheſis, vel infrà vel ſuprà pectus eſt. Peculiariter verò eos ab Helleboro vult arcendos, quibus aut adeſt diſpoſitio ad ſputum ſanguineum, aut quibus inſunt tubercula. Addit his Galenus omnes eſſe excludendos qui anguſto thorace ſunt; vetat Plinius iis dari qui exili & tenui corpore ſunt præditi ut fœminis, iis qui nimiùm ſicci ut ſenes, aut præmolles ut pueri, quippè quibus nimia exſiccatio metuenda eſt. At quod notandum eſt, Hippocrates cùm Veratrum iis omnibus in caſibus, ubi defluxio à capite fit, commendet, iis negat qui ophthalmiâ laborant. Crediderim quidem id ab eo dictum qui expertus fuiſſet, quantæ convulſiones in oculis ab Hellebori albi uſu concitentur. Cui metui pondus addit obſervatio jam ſuprà à Borrichio mutuata. Nec minùs velim hîc attendi quòd in omnibus quæ præcedunt Hellebori uſum præparationibus, tum in ipsâ ejus actione, imò & ipſius pharmaci correctione, ſemper mel potentiſſimum illud ſolvens ſaponaceum naturale adhiberi, quo iners glutinoſa compages reſolvatur.

Nec

Nec verò tempeſtas anni ad Hellebori uſum non ſpectanda ; ſub ardentiſſimo Syrio , ubi omnia arida & exſucca ſunt , difficiles & non ſine periculo purgationes pronuntiat Hippocrates. Hyeme per ſuperiora purgari non voluit ; quia ſcilicèt organa ſtrictiora difficiliùs motum concipiunt. Vere & autumno vomitus anteferebat, & id quidem , ut ex ejus Operibus concludo , quia à vomitu corpora minùs colliqueſcunt in temperatis cœli tempeſtatibus.

Præparatio autem corporum Helleboro purgandorum tota ex hoc Hippocratis axiomatè quod in ipſo Libro *de Veratri uſu* poſuit , deducitur : *Quicumque inflammata in principio morbi ſolvere aggrediuntur , pharmaci purgantis ope , hi de eo quidem quod diſtentum eſt atque inflammatum , nihil auferunt. (Neque enim remittit qui crudus eſt affectus). Ea verò quæ morbo reſiſtunt & ſana ſunt , conſumunt. Corpore verò debili fiente , morbus ſuperat , & immedicabile malum habent.* Hinc enim facilè intelligitur in eo totam intendi debere præparationem , ut mobiliora fiant & magis fluxilia , quæcumque nobis purganda proponimus. Quod & fuſiùs & dilucidiùs à Galeno expoſitum eſt , dum mellita , diluentia tanquàm præparantia medicamenta propinat. Sed illud Antiquis peculiare eſt quòd dum verebantur ne non aſſueto corpore , violentiùs pharmacum valens exciperetur,ad concuſſus patiendos corpus pararent exhibito paulò antè leniori vomitorio non ſemel , ſed ter aut quater , à cœnâ. Ex iis quæ antiquitas uſurpabat, hydræleum, ſive aquam oleo mixtam , ſæpiùs uſurpatam videmus ; fortior

ſed præparatoria tantùm fiebat emeſis ex mulsâ meraciore, Narciſſi bulbo, forſan & Scillâ maritimâ atque Radiculis. Victum autem non ſolùm accuratiſſimum præſcribebant, ſed etiam abſtineri à carnibus & alvum ſubduci juſſere, ſicque cataphractum corpus purgationi ex Veratro albo committebant, prænuntiatâ tamen ægrotantibus ut & ipſorum familiæ atque gentilibus, certaminis anxietate.

Ventriculo vacuo, toroſos atque carnoſos vomere voluit Hippocrates, pleno verò graciles atque tenues. Nec certè id ſine arte ab eo inſtitutum eſt; cùm multò minus ſit rupturæ periculum à vomitorio in ventriculum infirmum, ſed plenum agentis. Cicuratur enim atque retunditur contractio, à contentarum materiarum pondere. Verùm ferè ſemper vomitoria pleno ventriculo & Hippocratem & Galenum exhibuiſſe ex millenis Operum illorum locis eruitur, imò ipſa quæ mitiora vocant emetica, vix aliâ ratione vomitum concitant quàm pondere.

Per illum autem quem tempore exhibitionis apud ægrum, & quaſi ad manum, reperiri vult apparatum Aetius, apparet frequenter ægrum in convulſiones rapi, in animi deliquia incidere; undè Cardiaca odorata, reficientia volebat præſentia haberi. Et ea quidem ſymptomata non ita rarò apud Antiquos in purgationibus, conturbationis criticæ more, accidiſſe, ſi non ipſa purgantium natura indicaret, ſatìs declararetur ex hiſtoriâ Philippi Medici, qui dum pharmacum Alexandro Macedoni offert, ipſum ad extremas redigit anguſtias; ſed quàm celeriter tumultus

illos exceperit reconvaleſcentia miramur; adeò efficacia illa vim morbi contuderat. Certè in pleuritide, qui Alexandri morbus fuiſſe videtur, ſtatim Helleborum nigrum aut Peplium, tanquam vacuantia per alvum medicamenta collaudat Hippocrates *Tract. de Victu Acutorum.* Et hanc certè methodum vix nobis credibili ſucceſſu videtur Philippus adhibuiſſe.

Helleborus niger de cujus viribus hucuſque ſiluimus, ne cum pleriſque Autoribus utriuſque plantæ virtutes confundamus; cùm vi attenuante atque ſolvente polleat, etiam inter eximia per alvum purgantia ab Antiquis numeratur, nec unquam vomitum promovet, niſi ſeſamoïdi aut Helleborine jungatur. Helleborum hunc ſemper nigri nomine deſignavit Hippocrates, cùm Helleborum ſimpliciter eum, quem nos album dicimus, deſignet, notantibus & Paulo *Lib. VII. cap.* 1. & Galeno in *Aph.* §. 1.

Id autem notandum in Helleborine quod Veratro vim purgantem conciliet, Helleboro nigro emeticam; quæ virtus indè, ut puto, naſcitur, quod utrumque pharmacum diutiùs in ventriculo hærere fecerit; narcoticâ forſan aliquâ vi quæ ſæpè in purgantibus latet, ut fidem facit Nicotianæ herbæ virtus hodiè cognita.

Illum etiam in melancholicis, inſanientibus, epilepticis ſpecificum habuere. Sed Galenus eum inter mediocria purgantia numerabat. Et raro ſolum præſcripſit, ſed adjunctâ aut tertiâ parte Scammonii, aut in Hierâ Diacolocynthidos, ut & Hippocrates, cum Baccare, ſeu

Aſaro, aut interiore parte Cucumeris ſylveſtris anniculi (ἐνιαυσίην). Cùm enim brevi præ terrore, & adhibendi ignorantiâ album eviluerit, longo uſu Hellebori nigri & Græci & Arabes inſaniam curavere, ut Meſues album Veratrum reformidantis, nigrum verò laudantis, teſtimonio ſanciri poteſt.

At poſteà labentibus annis & ſopitâ obſervatione, unius violenta vis, & metus indè enaſcens, ad alterum traductus eſt, & æquali formidine exploſus uterque Helleborus. Vel ſaltem quoniam durum videretur exulare ſpecificum adversùs plures morbos, ita imminuta fuit ejus doſis, ita per correctoria ſic dicta, adulterata fuit ejus virtus, ut à priſtinâ indole, non mutatione Naturæ, ſed præpoſterâ Artis ſollicitudine, degenerem Helleborum in Helleboro reperire vix potueris. Multæ autem hujuſmodi formulæ apud Galenum, Rufum, Aetium, & præcipuè Arabas reperiuntur. Nec aliud eſt famoſa illa Hiera Diacolocynthidos à Galeno prædicata præter purgans, helleboratum, aromaticum. V. Aetium, *Tetr. I. ſerm. 3. cap.* 113.

Radices ejus quò tenuiores ſunt, autoritate Plinii & Galeni, eò etiam aliis anteferuntur, & ex iis potentior eſt cortex ſive liber rejectâ lignoſâ parte. Dioſcorides doſim ejus ad drachmam unam, adjecto Scammonio propinabat; alii, ut etiam recentior Manardus, drachmas duas. Quæ certè doſis medicamento cathartico ſi pro violento habeatur, prorsùs non conveniret. Solus autem vulgò in antiquioribus Me-

dicinæ temporibus dabatur, ſicque datus à Melampo, Præti filias inſanientes ſanavit, cùm nonnulli inter Antiquos voluerint etiam ſolo lacte caprarum, eâ plantâ ſeu radice nutritarum, peractam fuiſſe curationem illam. Hippocrates eum aut ſolum, aut paucis adulteratum medicamentis dedit. Sed poſteà creſcente miſcendi luxurie, vix ſolus dabatur. Hinc varia illa decocta, à Galeno Libro *de Medicamentorum adminiſtratione* prædicata, hinc variæ formulæ pilularum ſeu, ut Antiqui vocabant, catapotiorum quibus antiquiores Medici ſcatent; has omnes referre ut tædioſum foret ſic inutile. Omnium ſint loco illæ quas Haly adversùs melancholicos affectus utiliſſimas & quaſi certiſſimas prædicavit. Recipiunt illæ Hieræ Picræ drachmas 12. Hellebori nigri, Polipodii ana drachmas 5. Epithymi, Stæchados ana drachmas 7. Agarici, Lapidis Cyanei, Salis Indi (quem Ammoniacum puto), Colocynthidos ana drachmas 3. Dabantur tutò, ut aiunt, à drachmâ unâ ad duas. Cùm autem cætera præparata helleborata tutiùs darentur, pilulas illas minùs ſecuras judicant aliqui.

Famoſum verò maximè medicamentum fuit apud Arabas ex Helleboro, ſyrupus Regis Sapor in quo coctione cum melle in ſyrupi conſiſtentiam, vis Hellebori videtur credita infringi. Id quidem ex ipsâ reſinosâ ejus naturâ deducitur, & quod ſolvendæ ſimul viſcoſitati glutinum, mel aptiſſimum ſit; undè apud omnes uno conſenſu Medicos & mel & mellita ut mulſa, decocta uvarum paſſarum, aliaque hujuſmodi inter ipſius medicamenti actionem fuere adhibita.

Tardiùs & ſeneſcente eorum uſu mixta ſimul & certè minùs eleganti mixtione fuere Veratrum album ſimul cum nigro, quâ quidem miſcelâ ſcatent Autores medii ævi, quos infimæ Medicinæ Scriptores nominaverim.

Laudatum tamen à multis fuit Juliani oxymel helleboratum, quod utrumque Helleborum & Eſulam recipit, in cujus laudibus tantus eſt Geſnerus, ut plurimos morbos à ſanguinis præſertim ſpiſſitudine craſsâ oriundos eo ſe ſanaviſſe teſtatus fuerit. Hinc ejus formula in Auguſtanâ Pharmacopæâ recepta eſt. Et certè ſi quid violentioris Pharmaci virulentiam delere poteſt, acetum omnibus antidotis præferri debet. Undè miræ non videbuntur rerum peritis laudes quibus Geſnerus oxymel helleboratum cumulat, quaſi mirificè abſtergat, incidat, aperiat meatus omnes, ac meatus intùs forìſque reſeret.

Nec verò licèt audaci Veterum ſcientiæ ceſſerit timida Recentiorum ignorantia, omninò tamen efficacibus ad Melancholiam præſertim, Epilepſiam, reliquoſque capitis rebelles morbos curandos, ſucceſſibus apud recentiores deſtituuntur præparata helleborata, quos congeſſit Friccius Libro utiliſſimo *de Virtute Venenorum medicâ*, *cap.* 11.

Sic Andr. Matthiolus Comment. in Librum quartum Dioſcoridis, ſeſe ait Melancholicis Veratri dilutum exhibuiſſe optimo cum ſucceſſu, nullo ægrotantium incommodo nullâque noxâ. Ita Samuel Ledelius, *Obſ. 65. Dec. 3. ann.* 1. *Ephemer. N. C.* Ita Theodorus Mayerne, *Praxeos Medicæ Lib. I. cap.* 6. ob efficaciam ſimul,

& innocuam virtutem extractum Hellebori nigri jactat ad gr. 3. quo ſe Maniacum curaſſe aſſerit.

Hyeronimus Velſchius in *anno* 4. *Ephemer. N. C.* narrat Abbatem S. Nicolai Venetiis ſolitum eſſe Dæmone vexatis potionem ſequentem exhibere. Recipe Hellebori albi drachm. 1. Cinnamomi electi ſcrupul. ſemi. Infunde in vini albi drachm. 4. colaturæ addendo pauxillum ſacchari. Plurimis evacuatione copioſâ ita profuit, ut exorciſmo opus non fuerit. Nec minùs Nonus refert & Sylvaticum & Melchiorem Sebiſium, & ſeipſum, extractum Hellebori nigri à ſcrupulo uno ad drachmam unam in Melancholicis affectibus exhibuiſſe, nec unquam exceſſiſſe ſcrupulum unum, niſi in merâ inſaniâ; plurimoſque ſeſe vidiſſe aſſerunt, qui ſe à Dæmone vexatos autumarent, fruſtrà exorciſmis adjuratos, hac methodo in noſocomio convaluiſſe. Eſſentiam Hellebori albi ad eundem uſum cum ſucceſſu adhibuiſſe ſe, autor eſt Ettmullerus.

Ex his autem cumulatis obſervationibus deducitur quantùm conveniant inter ſe non evidentibus quidem effectibus, ſed potenti illâ ſolvendi, & quaſi corpora glutinoſa everrendi, virtute Helleborus uterque, ita ut quòd albus actuoſiùs & cum impetu, niger tardiùs & leniùs ſimul efficiat. Nec minùs verò præceps & temeraria videbitur illorum opinio qui idcircò putant Helleborum utrumque è foro Medico exulaſſe, quòd repertis antimonialibus præparatis eorum virtus eviluerit. Ecquis enim Naturæ atria ſi ſemel introſpexerit, non ſentit, aliam omninò in ſolventibus eſſe vim quâ hunc humorem attingant,

V iv

aliam quâ illum prorsùs non moveant. Qui, quæſo, cantharides veſicam lacerant? Potentiora dantur cantharidibus ſolventia, quæ tamen eundem effectum non exerunt.

Aliundè verò cùm diſſimulare ſit nefas quod emendare ſpes eſt. Cur inſanos hodiè fruſtrà vexamus vomitoriis, non ſanamus verò? Cùm contrà ex Hiſtoriis Medicis non refellendis, ex ipsâ Autorum non Medicorum confeſſione vulgò ſanarentur illi. Ter de curatis inſanis Melancholicis mentionem agit Horatius. De curatione eorum ut vulgari loquitur Plautus non uno loco. Idem Ovidius. Idem graviſſimus Autor Plinius. Idem omnes uno ore.

Pluriès autem imò & repetitis vicibus nec multùm diſſitis dari Helleborum ſive album, ſive nigrum, autor eſt Celſus, & confirmavit pluries Galenus. Et ait Plautus: *Faxo Helleborum potabis aliquot viginti dies*. Et infrà dum furor ægro creſcit, ipſi jugera demetienda Hellebori pollicetur. Tres Antyciras Horatius, ut doſim maximam intelligeret, dicit. Nam doſim malo accommodari æquum eſt. Videturque Meſue poſt Hippocratem Hellebori potioni id tribuiſſe, ut priſtinum robur reſtitueret, corpuſque ac mentem in ſtatum priſtinum reſarciret. Undè commutans medicamentum vocatur, quæ virtus unicæ doſi unius medicamenti competere non poteſt, ſed quaſi cuidam ejuſdem habitui.

Ego verò quid bis Hellebori albi exhibitione viderim profitebor.

Inſaniâ evidenter melancholicâ laborabat Vir nobilis, laboribus & ærumnis in miſerrimum

hunc ſtatum adactus, vultu lurido, incomptis capillis horridus, nec deformis minùs convulſionibus perpetuis oris atque faciei; mœrore irrequieto confectus, & illatas ſibi à Regibus injurias querebatur & carcerem, quia tutiùs cuſtodiebatur, ſibi injunctum credebat. Jam à biennio varia ipſi præſcripta ex arte remedia quæ ſucceſſu omninò caruerant; cùm deſperatis omnibus, offert ſe ſanando ægrotanti Vetulus quidam qui plures ex eodem ſtatu in ſanitatem ſe reſtituiſſe aiebat. Fecit ipſa Medicorum deſperatio, ut dictis aliqua fieret attentio. Inquirunt ab eorum quos inſanos anteà, poſteà verò reſtitutos profitebatur, propinquis an aliqua poſſet pollicenti fides dari? Fœminam unam, alium verò juniorem pluribus ejuſdem medicamenti doſibus convaluiſſe, teſtes adſunt fide non indigni; Chirurgus ſcilicèt hinc, indè Monachus ex Charitatis Noſocomio. Grande promittunt ſanitatis reſtitutæ pretium propinqui, imò & tentamini, modò vellet mecum communicare remedium. Haud abnuit. Drachmam unam imò & alteram vehementiore malo Veratri albi pomo indebat, coquebatque antè focum. Fructu jam cocto, auferebat Veratrum, inſpergebat ſaccharum; ægro offerebatur. Amarities indita Malo cocto ex efficaciâ Hellebori, ſaccharo condebatur. Undè aſſumpſit doſim manè cum pauco pane, nec reluctatur.. Aquæ cyathum ſuperbibit, ad ambulationem & motum corporis, perſuadentibus verbis inducitur. Bihorio elapſo, metus ſyncopes aderat unà cum faucium ſtrangulatione inſigni & oris diſtortionibus. Mens multò pacatior erat. Saliva te-

nuis ingenti copiâ exilit. Stomachus & inteſtina cruciatibus afficiuntur, brevìque cum tenebris antè oculos obverſis, vomitu rejicit multa glutinoſa, variiſque coloribus mirum ad modum diſtincta, prout Antiqui jam notaverant. Poſteà verò non ſine anxietate ſummâ ſurarumque dolore convulſivo, crambem vocant, affatim multa dejicit, craſſioris atque glutinoſæ conſiſtentiæ. Viri defatigati imaginem ſerò referebat, ſed cutis color multò nitidior erat, judicium firmius, imaginatio multò minùs vivida, ſomnus diem excepit ſeptem horarum, quietus, nulliſque turbatus deliris imaginibus. Manè ſurgenti mens videbatur multò firmiùs conſtare. At labile levamentum vix ſub ſerum aliquid à priore ſtatu diverſum exhibuit. Iteranda erat doſis, at pomis illis jam quibus modò dicta tribuebat ſymptomata, erat infenſiſſimus. Sumit tamen reluctans. Sed cùm eoſdem rursùs & nixus & vacuationes experiretur, novum ipſi adversùs Mala cocta errorem incutiebant diri effectus. Undè factum ut rursùs ipſo aſpectu eum terrerent Mala, imò odium & diffidentia adversùs omnes cibos, & veneni ab infenſis hominibus ſuppoſiti ſuſpicio eum ad inediam redegit. Hinc & falſis deluſi terroribus, & aurem conſiliis nòn ſatìs prudentibus præbentes propinqui, iterari doſim vetuere; indè & felicibus ſucceſſibus jam eluceſcentibus & remedio efficaci ſurreptus eſt æger. At poſteà tamen uſque ad mortem quæ biennio pòſt accidit, & minùs delirabat, & majora habuit intervalla, ita ut & hortum colere & ædificandis ædibus præeſſe potuerit, nunquam tamen

mentis compos, ſed & quietior & felicior. Alterum mihi exhibuit merè melancholicè Inſanus, ut teſtati ſunt qui ipſi adſtiterant, & qui bilem morbumque Helleboro meraco depulerant. Hunc omnes vomentem colores viderant illi, vimque medicamenti mirati fuerant, ſanctèque teſtabantur, hoc ipſo ſolo eum fuiſſe uſum & abſolutè ſanatum.

Ars igitur illa ſimplex ſuffecerat, quæ primitùs, ut ex Hippocratis Operibus apparet, uſurpata fuit. Huic poſteà, ut ex Græcorum & Latinorum tum Medicorum, tum Scriptorum teſtimoniis patet, per intervalla repetendæ, admiſcebatur diebus liberis uſus decocti ex Helleboro nigro; quod illi ut medicamentum imbelle habebant quoad vim catharticam, & quod per aliquot viginti dies iterabatur. Hæc curatio etiam ſeorsìm adhibita videtur fuiſſe ſine Veratro albo, exemplo Melampi. Demùm prima Hellebori mitificatio in debilibus Helleboro albo addita, in Antycirâ præſertim, teſte Theophraſto atque Dioſcoride, fuit Helleborine ſive Seſamoïdes, quòd utut vomendi virtute præſtaret, antiſpaſmodicis tamen facultatibus eminebat, nam, teſte Autore Libri *de Veratri uſu* & aliis, ſtrangulatum tollebat. Vulgò tamen ex Plauto videtur curationem terroris plenam apud Medicos, præſertim Antycirenſes, in ipſorum ædibus inſtitutam fuiſſe; illorum miniſtris partem operis in ſe ſuſcipientibus, qui ſanatos poſteà civitati reſtituebant. At mollibus imò & narcoticis, ut Mandragoræ radice corpora præparabant, teſte Libri *de Veratri uſu* Autore. Quæ

porrò corporum præparatio ita erat attentione digna, ut de eâ Librum integrum ſcripſiſſet, Dioſcoride teſte, Philonides Siculus Ennenſis.

Miſcuerunt verò ſimul, ut mihi ſaltem videtur, inconditè Helleborum utrumque Græci poſteriores atque Arabes, ut ex veteribus eorum monumentis patet, in oxymelle helleborato Juliani, aliiſque paſsìm formulis. Hinc forſan vis utriuſque cicurata. Et ut omnis ars ſine arte periculoſa eſt, effectus utriuſque ſalutares extincti, neglectuſque Hellebori uſus, cùm contrà prior methodus ad leges Artis ſummè concinnata ſit, facilèque pro varietate corporum temperanda. Imò & antiquæ methodi nobis exemplum præbet uſus Mochlici, quo ad colicos dolores metallicos eliminandos utuntur. Ex mollibus, narcoticis, atque violentis emeticis conſtans, ad noſtram ita ſeſe refert, excepto ſolo Helleboro, ut ſatìs indè pateat, quantùm ad duros difficileſque nodos efficaciter ſolvendos conferre poſſit methodica Draſticorum adminiſtratio. Ad hanc quidem Colicorum dolorum curationem conſtanti experientiâ demonſtratam, eò magis attendi velim, quod non unâ ratione comprobari poſſit à melancholico humore non alienos eſſe morbos hoſce quòd hîc luculentiùs demonſtrare aggrederer, niſi jam rem Cl. Huxham extrà dubium obſervatione poſuiſſet. Nec tamen is ſum qui Geſnero negare velim potentiſſimam helleborati oxymellis in aſthmate, orthopnæâ, aliiſque craſſioris lymphæ affectibus efficaciam. Sæpè enim demonſtravit experientia refractam purgantium doſim inter ſummè attenuantia locum obtinere.

At ſpecificis ut agant ſuâ doſi opus eſt, citrà quam eorum perit actio, & quod vitium artificis timiditati debetur, ſæpè medicamenti inefficaciæ tribuitur. Id in actione Kinækinæ omnium, ut ſpero, Medicorum conſenſu firmabitur.

Quid ergo ex his omnibus concludendum? E Conſtanti, uniformi, univerſali non Medicorum ſolùm, ſed etiam Philoſophorum atque Poëtarum ſuffragio demonſtrari atque evinci, ineſſe Helleboro utrique vim ſpecificam, quâ morbos melancholicos, præſertim ſi cerebri arcem obſeſſerint, profligant, atque aut vacuando, aut corpus immutando prorsùs ſanent. Quæ ſanatio Antiquis, ut ex ipſorum Libris videtur, familiaris, recentioribus inuſitata, debet ad uſum in infelicibus illis morbis revocari, quos impium & inhumanum eſt deſerere, atque miſerrimæ ſuæ ſorti relinquere. Nec ulla certè ratio unquam induxit ad hanc medicinam derelinquendam. Sed cùm devictæ atque barbarie Arabum proſtratæ jacuerunt bonæ Artes, nil mirum ſi ineruditis atque ſuperſtitioſis concredita Ars Medica, communi omnium aliarum fato multa amiſerit; cùm præſertim Mahumetani fatalitati tanta conceſſerint.

Hinc cùm de plantæ delectu, de ipſius cultu atque præparatione tam longo tempore plurima latuerint, novam Artem experientia facere debet, ad quam omnes invitantur Medici, tuque primus, illuſtriſſime Storki, quem non à tam multis experiendis deterruere famoſa Venenorum nomina, metuſque, qui animam & veri avidam & utilitatis publicæ vindicem, nunquam ſubire potuit. Referes nobis aliquandò plurima ſana-

torum exempla, ubi ad Helleborum tuus te divexerit, nunquam ſatìs laudandus, nec unicâ civicâ donandus quercu, humanitatis amor.

Verùm Alexander Trallianus primus, ut arbitror, poſteà verò Nonnus Helleboro utrique Lapidem Armenium prætulerunt. Tanta ſunt Tralliani in artem noſtram merita, tam certum judicium, ut quodcumque ipſi placuerit, ſummâ Medicorum attentione dignum mihi videatur. Hic autem virtutes Lapidis Armeni omnibus in Melancholiâ meritis aliis anteponit.

Lapidem Lazuli & Armenum pro uno & eodem habent Autores plerique, inter quos nominandum Friccius *de Virtute Venenorum Medicâ cap.* 2. Dioſcoridem ſecutus, qui ſub nomine Lapidis Armeni, eum intelligit quem nos vocabulo ab Arabibus mutuato, Lapidem Lazuli vocamus, *Lib. V. cap.* 105.

Lapis autem ille λαμπύρος vel λεμφύρος, à Myrepſo dictus, *de Antidotis Sect. I. cap.* 111. adeòque Latinis Lapis radians dictus, & à Græcis ſeu Græco-Arabibus λίθος λαζουρίος, Lapis Litze vocabatur. Et raró ſolum adhibebatur in uſum. Sed illuſtre fuit apud Veteres antidotum Meſue, quod ex illo & aromatibus fortiſſimis conflatur. Lotione verò, ſeu præparatione quam Schroederus *Pharm. Lib. III.* deſcribit venenatam ipſi qualitatem auferre ſatagebant. Sed lotio illa quid efficiat non video, nec vidit graviſſimus autor Geoffroyus, hoc titulo Tom. I. Ipſi porrò ab antiquis omnibus ſpecifica vis adversùs Melancholiam conceditur, quam teſte Myrepſo & Meſue, per ſuperiora atque inferiora purgando exer-

cet. Vim enim ut ad exteriora ulcera mundificantem, teſte vel ipſo Dioſcoride, obtinet, ſic interiori uſu ipſi attenuantem tribuere facultatem Veteres, quam poſteà experimentis firmavere Joan. Dolæus *L. IV. c. 5.* Freder. Hoffmann. *Pharmac. Medico-chym. L. III. cap.* 8. §. 147. Zacutus Luſitanus, Joannes Schroederus & alii. Si qui vèrò notam ipſi infamiæ inurere ſatagunt, hanc illi indè repetunt quod κύανος λίθος noſter vim ſuam repetat à cupreis quibus conflatur particulis.

Sed huic objectioni reſpondere facile eſt, quòd certè eminentiores ipſomet cupro ad convellendam machinam facultates obtineat antimonium, nec tamen ullus ſit Medicorum hodiè qui eum à foro Medico exulare voluerit. Aliundè comperta eſt millenis experimentis, teſte ipſomet Phyſices experimentalis promotore eximio, Rob. Boyleo, & magno noſtro Boerhaavio, ſolvendi vis cupro propria. Ens Boyleanum ſuâ inculpatâ vigebit gloriâ quoties adhibebitur rectè & ex arte. Porrò quantam tenuitatem autumabimus eſſe in cupro quod Lapidem noſtrum conſtituit, cùm jam eam tenuitate ſuâ proprietatem acquiſierit, ut dum elegantem *ultramarinum* colorem conſtituit, per multa ſæcula, nullâ rubigine deturpetur. Inexpertus nulla de hac re conſilia dare audeam. At notari velim potentiorem tum vacuantibus, tum incidentibus effectibus eſſe Lapidem Lazuli, Lapide Armeno, qui ut Pictores norunt, non jam cyaneum, ſed viridantem colorem elegantiſſimum profert. V. Geoffroyum. Tum ſimul illud antè omnia notari ve-

lim non minorem eſſe à Medicis repetendam in ſeligendis pharmacis diligentiam, quàm eam quæ Pictoribus expoſtulantibus in Pigmentis adhibetur. Docebunt nos illi quantùm differant Lapides iſti ab Oriente acciti, ab iis quos Germania & Italia ſuppeditant, durabilitate & elegantiâ, quæ proprietatum diverſitas, aliquid etiam demonſtrat latêre diverſi in effectibus Medicis.

Hæc omnia, ut ſpero, nobis etiam luculenter oſtendunt quantùm de priſtinis medendi divitiis amiſerimus, qui tria illa melancholici humoris ſpecifica vix nominetenùs cognoſcamus, Helleborum, Lapidem Armenum, Epithymum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Methodo Melancholiæ humoralis curativâ.

SATIS hucuſque, ut ſperamus, in Antiquorum opinionibus hæſimus; nunc morbi noſtri curatio non autoritate, ſed ratione dirimenda eſt, & ex ipsâ humoris melancholici naturâ ſupereſt inveſtiganda. Hic porrò ſplendens, ater, erodens, craſſus, acidus, nunc has, nunc illas partes occupat, aut in eas, agmine quaſi facto, ex univerſo corpore decumbens, aut in ipſis etiam viſceribus educatus atque enutritus. Sed ſæpè corpus univerſum pererrat, & omnibus æquè partibus minas intentans, nondùm hanc illamve inſiluit, ſed ſuam quæque pars, quodque viſcus, oneris portionem

tionem ſortitur. Hæc quaſi univerſalis habenda eſt, aliis ſæpiùs præbet originem, cauſiſque vehementioribus efformata, maximas Melancholiæ indicationes in ſe complectitur; adeòque propriam ſibi vindicat curationem, quam ubi fuſiùs expoſuerimus, ſpontè fluent, & per ſe intelligentur media, quibus peculiaris & in ſingularem partem decumbens Melancholia poſſit ad ſanitatem revocari. Ubi enim de humore melancholico jam vim exerente venenatam agimus, eum exequimur tanquam morbi cauſam efficientem, adeòque ſolidas ſentienteſque corporis partes in mali partem ex rei neceſſitate trahentem; nec enim ſi humor melancholicus nondùm functiones vitiaverit, alia ab eo medicamina indicantur, quàm quæ in morbi præcautione retulimus.

§. I.

De Melancholiæ Humoralis univerſalis Curatione.

Morbus noſter non ſimplex intemperies dici poteſt, ſed eſt morbus verè compoſitus. Adſunt hinc effectus omnes, pericula omnia quæ impendent ab exiſtentiâ humoris acris, acidi atque craſſioris; indè verò ſtatus ſolidorum ille, in quo duriora illa inæqualiter quidem vellicantur & aguntur, ſed nullum regularem aut verè febrilem concipiunt erethiſmum. Verùm ſecundario tantùm affectu patiuntur illa, & aguntur à causâ effectrice, quâ remotâ, componuntur & in pacatam ſerenitatem reſtituuntur.

Indicationibus igitur Medicis patent, indè

acredo illa aceſcens, quæ quidem ſolida erodit; hinc picea tenacitas eadem obſtruens, infarciens, circuituique præſertim ad tenuiora vaſa, quò via anguſtior ab arctioribus vaſis conceditur, repagula opponens. In univerſali verò Melancholiâ de quâ agimus, acor non adeò manifeſtus eſt; alioquin brevì foret impoſſibilis omninò liquidorum circuitus. Vehementiſſimus verò eſſe poteſt in peculiari, ſi in ſingularibus loculis aſſervatus, ibi omnem ſuam exerat ferociam. At craſſitiei ſummi aliquandò ſunt effectus in univerſali Melancholiâ, ita ut quaſi omninò obrigeſcant aliquandò ægrotantes, ſemper verò frigore importuno laborent Melancholici qui humorem melancholicum undequâque diffuſum habent. A duplici verò hac qualitate, quam ſpontè fluant humoris noſtri venenoſi effectus, ſæpè inter ſe oppoſiti, ſatìs alibi probatum confidimus; cùm enim arctiſſimos vaſorum canales oppleat aliquandò humor tenax atque piceus, patet undè fiat, ut indurentur illa, rugoſaque antè diem evadant; cùm verò acore polleat, ſatìs intelligitur cur aliquandò per ejus morſum ipſamet terrea oſſium ſubſtantia in mollem Selenitem verſa fuerit.

Hinc porrò ſcaturiunt omnes adhibendæ curatoriæ methodi indicationes; id agendum ſcilicèt incumbit, ut humor ater, piceus, melancholicus, aut naturæ formam induat, aut à corporis œconomiâ avellatur atque extrudatur. Verùm his adimplendis obſtant, & ſolidorum durities ab ipſo morbo contracta, & ipſa liquorum craſſa moles, quæ ſi motum nimis ſubitum conceperit,

nedum curationem experiatur, contrà peſſimâ in furias acta medicatione, omnia ſuſdèque vertet, & certiſſimam importabit perniciem.

Quotieſcumque igitur id nobis propoſitum eſt ut ad Naturæ proprias qualitates melancholicus humor revocetur, dum craſſitiem ejus retundimus, ſolida ſimul molliora, humectata, imò & minùs rugoſa atque arctata minùs efficiantur. Dum acorem ejus ſpecificis obvelamus antacidis, acria non advocanda Alcalina in Arte adeò famoſa; nam ſolida non irritanda ſunt, aut in febrilem erethiſmum concitanda. Nobis ergò per doloſos calles incedentibus plura penſitanda ſunt, atque ad amuſſim ponderanda principia, quibus antè oculos obſervantibus difficiliùs error obrepet.

Verùm enim antè omnia animo tenendum eſt Melancholiam non unius diei, uniuſve tempeſtatis eſſe fœtum, ſed ex ipſo Hippocrate duas ſaltem ſimul inter ſe concurrentes anni tempeſtates ad eam efformandam conſentire debere; & omnis noſtra Tractatio ex Hippocratis principiis efficta, in eo conſentit ut duarum concurſus cauſarum inter ſe aliquatenùs oppoſitarum requiratur, undè coaleſcat illa, adeòque tardus cauſarum complexus morbum facit ſub duplici facie ſpectandum atque evolvendum.

Antè omnia enim alia præcepta primò locum hîc invenit axioma illud Hippocraticum, *Quæ longo tempore extenuata ſunt, lentè reficere oportet.* Hinc ergò deſperandum eſt de ejus curatione celeri. Scilicèt illa non poteſt, niſi ab univerſali corporis mutatione effici, quæ lentè ſemper ince-

dere debet, ita ut habitui vitioſo ſalutaris habitus ſubſtituatur. Per vim enim nec dilui craſſities poteſt, nec ſolidorum tenor emendari, ſine aut inflammationis, aut rupturæ metu. Hinc ergò longæ methodi tædia ferenda ſunt, nec niſi repetito habitu, corporis malam diſpoſitionem exſuperante; ne hinc prægreſſæ cauſæ ſæpiùs inflammatoriæ, aut ab erethiſmo natæ noceamus, quæ ſi renovetur, morbo novas vires & igni flamina ſubjicit, illinc verò ne præſentem corporis conditionem vitiatam intendere poſſimus; ut enim prior cauſa irritationem ſupponebat, ſic illa contrà atoniam comitem habet.

2°. Verò annotare convenit quòd craſſities quæcumque liquidorum animalium, nec melancholica minùs quàm reliquæ quævis, primariò ſemper à ſolidorum efficaciâ pendeat, nec poſſit vel aptiſſimo inſtrumentorum apparatu, ſine ſolidorum convenienti motu, in quo tota Naturæ actio conſiſtit, illa aut in melius, aut in pejus immutari; vires enim omnes vitæ in iis reponuntur; ea ſola liquidis & ſanguini & formam & ſoliditatem impertiunt, ex eo primùm tempore quo incubatum calore materno corculum, puncti ſalientis nomine, & rubras & cæteras ſanguinei laticis partes compegit, & ita perpetuo motu inter ſe ſubegit & contemperavit, ut ceſſante illo ceſſent ſimul proprietates ſanguineæ quæcumque.

Craſſior igitur erit ſanguineus latex, quoties partes ejus nimis adunatæ, à ſeſe invicem non ſatis ſeparantur. Nam partes primitivas atque elementares ſanguinis per ſe craſſiores ſup-

ponere, naturæ rerum repugnat. Hæ porrò partes nativâ attractilitate, quâ in ſe invicem ruere ſatagunt, evidenter donantur. Illa autem attractilitas effectum ſuum ſortietur pluribus abſentibus conditionibus, quæ ex inſtituto naturæ in ſanitate concurrunt.

Primò igitur ſi fluidum aqueum quòd partes à ſe invicem ſejungit atque ſeparat, & in rotundam æquali preſſione circumvolvit figuram, minori copiâ adſit; pronum eſt partes à ſeſe invicem minùs recedere, multiplicari puncta contactuum; adeòque ſiccitatem, ut aiunt, intrà ſanguinem naſci, & à ſiccitate craſſitiem molis movendæ, ejuſque ſoliditatem.

Secundò, craſſities eadem augeri debet quoties in eodem dato vaſorum ſpatio, plus craſſarum partium aderit. Adeòque cùm quò tenuiora ſunt fluida, eò etiam magis diſſlabilia ſint, remaneat verò partibus craſſioribus ſanguineis unus tantùm vaſorum ordo, perſpicuum eſt plethoram ſimplicem, per ſe, ad ſanguinis craſſitiem diſponere. Imò & quò pleniora ſunt vaſa, eò etiam magis ad ſe invicem premi partes contentas neceſſe eſt, & motu æquali minorem eſſe velocitatem, undè craſſior eſt plethorici cujuſcumque ſanguis.

Tertiò verò, etiam ſi adſit copia ſatìs larga fluidi aquoſi, licèt deſit plethora partes ad ſe apprimens, atque comprimens inter ſe, motus ipſe ſanguinis per vaſa craſſitiem fingit ſanguineæ molis, eamque determinat; à motu enim fluiditas omnis. Si nimio impete per vaſa tenſa activa ſanguis rapiatur, fluidiora vaſorum exha-

lantium orificiis applicata ſæpiùs calore loci ſimul aucto, exhalare neceſſe eſt. Hinc ariditas & compactus major ſolidiorum atque craſſarum partium ad ſe invicem; hinc puncta contactuum multiplicantur; & denſa illa craſſities, quam vel etiam in vegetantibus ipſis, æſtuantis loci calor producit. Licet ergò magis attenuata ſint principia, ipsâ ſuâ tenuitate magis arctè inter ſe uniuntur. Si deſit contrà motus, tum nixu proprio fruuntur ſanguineæ moleculæ, adeòque licèt craſſiores ſint & minùs tenuatæ, jam vix impulſæ hærebunt ad vaſorum anguſtias, fietque nova, craſſa, indigeſta, indivulſa materies.

Ex his porrò principiis quæ alibi fuſiùs expoſita ſunt, patet non immeritò duplicem diſtingui craſſitiei in ſanguine ſpeciem; & causâ, & effectibus multùm abludentes. Alteram rectè cum Boerhaavio inflammatoriam dicemus, alteram contrà cachecticam & ab inertiâ natam. Hanc motûs imminuti ſobolem, illam contrà ab aucto impete prognatam. Utrique autem alias addemus à prioribus iſtis pendentes, imò & ab earum complexu quaſi ſecundario fonte ſcaturientes, plethoricam ſcilicèt, quæ vix ab Autoribus annotata eſt, cùm ſolvi facilis ſit, & vulgò pro corporis naturâ ad hanc illamve referatur. Melancholicam, ab exuſtis atque glomeratis in unum principiis inflammatoriâ denſitate primùm enatam atque efformatam, tum à ſuccedente atoniâ, verſam in craſſamentum, amurcam, tartareamve indolem, cui nunc medicamenta inveſtigamus.

Licèt autem admodùm inter ſe illæ ſpecies

craſſitiei differant, tamen in hoc uno uniuntur atque ſeſe contingunt, ut immeabilitatem vaſorum faciant, adeòque & viarum anguſtias augeant, & circuitui moram injiciant. Hæc inflammationes facere prompta, illa in ſcirrhos & indurationes abire per ſe proclivis.

Craſſities verò melancholica nunc hanc, nunc illam æmulatur formam. Æquè inflammationis vehementiſſimæ, imò & immedicabilis crudelem perſonam aliquandò occupat, æquè cachexiæ languentis formâ larvata prodit; omnia frigida, torpentia, veterno emorientia oculis exhibens. Quæ omnia triſtis miſcelæ effectus ſunt. Altera præceſſit alteram, evanidiſque denſitatis inflammatoriæ cauſis, tenſione ſublatâ, fibrarum remanſit atonia. Ea jam impotens reſolvi & quaſi in ſolidum ab actione prægreſsâ verſa, acquiſitam tenacitatem ſervavit. Motus enim vaſorum, utut jam deferbuerit, durabilem tamen liquidis notam inuſſit, quæ jam ceſſare per ſe non debet, niſi Ars Naturæ ſuccurrat. Hinc ergò non jam ut in inflammatione ſolida laxanda ſunt, nullatenùs enim tenſa dici poſſunt, aut ſi tendantur atque vibrationem conceperint inæqualem, id ab irritatione repetendum nerveâ, nec conſtantem erethiſmum conſtituit. Parcendum etiam nimiæ fluidorum aqueorum copiæ; res enim jam eò deducta eſt, ut craſſiori & reſinoſo, nimiſque adunato ſanguini minùs miſceantur illæ, admiſſum ergò diluvium aqueum atoniam potiùs inducet atque cachexiam, quàm reſolutionem. Unicum ſupereſt Medicis ad hanc craſſitiem ſolvendam ut eas reperiant partes, quæ tenuitate ſuâ

intrà ſanguinem admiſſæ, necdum immutatæ tamen, medium junctionis conſtituant inter oleoſa atque terreſtria elementa, quæ ſupereminent in ſanguine & aqueas juſtâ proportione admittendas, quibus & diluantur & ſeparentur in unionem nitentes illæ; id eſt, ea ſunt quærenda medicamenta quæ ſolubiles in aquâ reſinas valent efficere. Ut enim in junioribus plantis qui lacteus exilit vulnerato caudice humor, ſaponaceus eſt, in vetulis autem reſinoſus, ſic fluidus & aquæ mixibilis eſt ſanorum cruor, melancholicorum verò quaſi reſinoſus. Verùm cùm ſemel ut plurimùm duriora ſint & quaſi exſiccata, à fervore preſſo ſolida, iis tamen vix aliqua impendi cura debet, eorum enim laxatio atque humectatio à reſtitutâ fluidorum craſi neceſſariò pendet.

Ut ergò craſſities, denſatio, agglomeratio partium ſanguinis melancholica, ab actione vaſorum in ſanguinem in origine ſuâ pendebat, ut etiam poſt extinctum erethiſmum continuata adhuc vaſorum actio compingit, & ad ſeſe adducit cruoris elementa, nil mirum ſi omnes uno ore veteres Medici cenſuerint eſſe exordiendam Melancholiæ curationem à ſanguinis miſſione, imò ſi nec Aretæus, nec Cælius Aurelianus ab aliis diſſentiant. Sanguinis enim miſſione, partium rubrarum craſſarum cùm major vis proportione ad reliquas ſervatâ, educatur, laxari totam compagem neceſſe eſt, elaſticamque earum vim à ſe invicem reſilire, adeòque à ſe mutuò recedere. Undè craſſities non ſolùm minor fit, ſed etiam medicamentis quæ partes & à ſe invicem ſejungere & ſibi unire nata ſunt, liberior

aditus relinquitur. Imò & ſi quam meditata fuerit natura criſim, quâ degeneres & excrementitias melancholicas partes à centro repellat, & amandet in ignobiliora, præludit ipſius actioni venæ-ſectio maturè inſtituta, libratis tamen & accuratè penſitatis naturæ viribus.

Et certè prævia atque quaſi præliminaris venæ-ſectio antè alia omnia remedia rarò locum non invenit, cùm præſertim aliquandò plethora Melancholiæ locum dederit, & eò plus caloris ſæpè ſub medicamentis concipere poſſit ſanguinea moles, quò craſſior eſt. Undè illâ præviâ venæ-ſectione periculum, ne plethora moveatur, prævertitur, & ſimul ipſi præluditur curationi.

Pro variis igitur cauſis à quibus Melancholia pendet, variè uſurpari debet venæ-ſectio. Si enim bilis atra ſubitò per vehementiſſimos animi affectus efficta atque efformata, ut voluiſſe Veteres, Plauto teſte, alibi diximus, totum corpus inficiat, luridis aliquandò etiam maculis, ut Alcmenæ accidiſſe obſervabat Soſias, & fulvo atrove limborum qui ſub palpebris jacent, colore demonſtranda; quod tamen in æſtuanti locorum calidiorum ariditate frequentiùs, rarò admodùm apud nos exardeſcit: crediderim huic ferè in acutorum morborum morem poſſe iteratis vicibus venam ſecari. His enim in caſibus, vulgato loquendi more, conturbari ſanguinem aiunt, & quaſi muſti ad inſtar ſubverti, quod non aliud ſignificat, ſi rem ad Phyſices ſanioris normam enodare velis, quàm quòd proportio partium ſanguinis inter ſe, conturbato ſolidorum

motu ſubverſa ſit, quâ peſſumdatâ neceſſariò homogenea uniuntur homogeneis, fitque craſſities, cum ſtricturâ vaſorum inerti, melancholica illa. Hinc hiſce in caſibus calorem ab externis appoſitis quærere, quâ præcipuè ſanguis hærere poteſt, ad artuum extrema, artis eſt; lenibus frictionibus circuitum ita promovere, ut non langueat ille, nec nimis tamen incitetur, ne cor aut pulmones maſsâ craſſiori ſuffocentur, ſalutare eſt. Tum interiora laxari indicatio eſt; hicque eſt in Arte caſus in quo diluentia levia, calida, aut tepida interiùs ſensìm introducta, non affatim, tum vi caloris, tum etiam aqueo latice, concreta ſolvunt, ſolida laxant, ſicque omnem ſcopum adimplent. Subiti enim mali, ſubita curatio eſſe debet. Laudatur tamen vis leniter tonica plantarum quarumdam infuſarum, indè hîc aliis præferendæ, quòd levitate etiam ſuâ præcellant. Tales ſunt Veronica, Chamædrys, Chamæpytis, folia Aſclepiados, Bugulæ, Saniculæ, Eupatorii, Agrimoniæ, Cardui benedicti, flores Tiliæ, Gallii, Borraginis, aut ſi magis reſolventibus opus ſit, flores Lilii convallium, folia Meliſſæ, Menthæ, Scordii, Sambuci, flores Borraginis, Bugloſſi, Violarum, Echii, aliæque multæ; imò & aliquandò in tenerrimis & iis qui jam nerveâ laborant aliundè atoniâ, poſſunt in uſum vocari aromatica quæcumque; modò levia ſint, nec incendium procreare nata; aut ea ſimplicia quæ antiſpaſmodicorum titulo gaudent, de quibus jam alibi egimus. Verùm rarum eſt quòd ſi verè atra bilis eruperit, non poſteà indubitata ſuî veſtigia relinquat, tuncque jam malum in

claſſem illam recidit quæ à cauſis altioribus repetenda, chronicum in morem graſſatur.

Si verò à ſimplici plethorâ ſumpſerit originem, quæ non reſoluta lentorem melancholicum conceperit, ubi jam adeſt humoris atri generatio, jam plethora adeſſe dici quidem non poteſt, verùm ſolvenda tamen repetitâ venæ-ſectione ſuperabundans cacochymia. Cujus adhibendæ & utilitatem & modum indicabunt vires ægri, pulsûs durities, & ipſa à ſanguine vacuato naſcens alacritas.

Mitiùs agendum & imò aliquandò prorsùs inutilem eſſe, quin imò & nocere poſſe venæ-ſectionem in eâ melancholicæ ſpecie quæ vergit ad cachexiam, nemo diffitebitur, cùm ſcilicèt laxatio ipſa vaſorum, cauſam malo ſuppeditet. Undè etiam patet veteri Melancholiæ minùs conducere illam, cùm jam effœta omnia in ruinam & atoniam ruunt, quàm recenti & viribus adhuc integris, quarum ſumma ſemper habenda ratio eſt.

Non in Melancholiâ hypochondriacâ ſolâ, ſed in omni Melancholiæ genere venæ-ſectionem è pede alii cuicumque prætulere Hoffmannus atque Junkerus. Quod non ſemper verum eſſe poteſt; Aretæus reverà Cappadox hanc aliis olim in mulieribus prætulerat. Nec magis tamen fœminarum menſtruatio ad hanc præferendam nos inducere poteſt, quàm hæmorrhoidum ſalutaris effectus in viris. Eadem enim ratio quâ prodeſſe debet, ſi aliquid aut à menſtruis, aut ab hæmorrhoidibus ſperandum ſit, nos eamdem nocivam fore edocet, ſi metus ſit ne in abdomen

moles ſanguinis nimio impetu irrumpat. Hinc ad ejuſdem Aretæi mentem, ſecundùm ſanctiſſima Alexandri Tralliani dogmata cauſis ſtudendum; attendendum ad loca in quæ minatur impetum atra bilis, ut hæc illi præferatur. Nec magis igitur eorum opinioni ſuffragabimur, qui putant in quacumque Melancholiæ ſpecie, Hirudinum ad hæmorrhoides applicationem, cæteris quibuſcumque ſanguinis vacuationibus præſtare; cùm certè quotieſcumque illæ apparent, Naturæ beneficium Arte promovendum ſit; ſed beneficium illud non omnibus æquè competit; nec vix unquàm Naturæ opera poteſt Ars ad libitum dirigere. Ipſa venæ-ſectio poteſt etiam, ſi inopportunè inſtituatur, nunc agentis Naturæ molimina rumpere, nunc vires jam fatiſcentes proſternere, quas ſemper ut verè medicatrices intueri debemus.

Proximum eſt ut rectè res non naturales ad morbi curationem adminiſtrentur. Quâ quidem in curâ vix ullam Recentiores attentionem poſuere: contrà verò Veteres maximam curationis partem, præſertim verò Methodicæ Sectæ Autores, in harum accuratiſſimâ imò & forſan diligentiori indagatione atque obſervatione poſuerunt.

Cælius Aurelianus locum lucidum, calidum & ideò albeſcentem commendabat, quòd humoris nigredini nihil adeò oppoſitum ſit. Nos verò eum curandæ Melancholiæ judicamus aptiſſimum aërem qui gravis eſt, & elaſticus tamen, ſerenuſque ut plurimùm. Qualitatibus enim hiſce fit aptior oſcillationibus vaſorum adaugendis, ſe-

parandiſque à ſe invicem ſanguinis in ſe nitentibus moleculis. Verùm ut reverà ſpecificum quid adversùs Melancholiam, tum nerveam, tum humoralem ferat, neceſſe eſt ut varietatibus alternis tempeſtatum obnoxius, nunc huc feratur nunc illuc, modò calens, modò contrà gelidior. Indè quaſi perpetuâ agitatione concuſſus, non ſinet ſocordi veterno torpere humores, aut elanguere, ſed contrà ipsâ ſuâ irrequietâ agitatione miſcebit intimiùs. Undè eſt quòd forſan minùs ſcateat melancholicis affectibus Gallia noſtra quàm cæteræ quævis Europeæ regiones, quibus non adeò inſtabilis cœli ſtatus, ſed quos aut torret ſolis vicinia, aut pigra Bootes ſarraca gelu conſtringunt acriori.

Generatim tamen inter temperatas regiones calentior frigidiori quæ nimiùm arctè ſolida cogit præferenda eſt. Verùm ut non ab unius tempeſtatis effectu prædominatur Melancholia, teſte Hippocrate, ſic non una atmoſphæræ temperatura illi mederi apta eſt & contrà obſiſtere. Nec minima fortè cauſa hæc eſt ex illis quæ tot concurrunt ad itinerum ſuadendorum utilitatem, ita ut ſæpè ſoli mutatio Melancholiam ſuſtulerit, redivivam tamen, ſi ſtatione mutatâ in novo ſibi adſcito aëre conſtantiores remanſerint.

Exercitio ſanari Melancholiam vetus eſt & receptum ab omnibus axioma, in quo quidem præcepto cùm univerſa ferè Melancholiæ nerveæ Tractatio comprehendatur, nil mirum ſi etiam ad humoralem pertinere ab omnibus ferè creditum ſit. Alia tamen ſuaſerant antiqui Gym-

naſiarchæ ſeu Pædotribæ, qui ad prævertendam atram bilem varia gymnaſtices exercitia commendabant; ceſſanda atque fugienda ubi certis erumpebat melancholicus humor indiciis.

Quietem jam, nec aut luctam, aut pugilatum illis, ſed curſus matutinos non longos, non defatigantes ſuaſerant Hippocrates & Galenus; huic ſequentibus ipſum & Græcis & Arabibus, vectiones in rhedâ, lecticis, navigationes in amnibus, atmoſphærâ ſcilicèt humidâ aptæ videbantur. Quid enim ſi humori jam per ſe ſpiſſo atque terreſtri fortior motus concilietur, metus eſt ne æſtus exoriatur, vix poſteà compeſcendus, & in peſſimum illud inflammationis genus, quod Melancholiam motam comitatur, protinùs degener. Imò & vehementiori in minimos canales intruſione, quâ arctiſſima vaſa bronchiorum jacent, ſubita mihi viſa fuit viri melancholici ſuffocatio, quâ mortuus concidit catharro ſuffocante, ut aiunt; quod & etiam ſubitum gelu ſæpè fecit, ſemel etiam mihi in bajulo viſum homine craſſarum ſanguinearum partium. Hinc ergò nil niſi lene decet Melancholiâ humorali laborantes. Frictio lenis, non præceps, exercitium aut vires non abſumens, aut impetum ſanguini non concilians, quales ſunt vectationes omnes, navigationes, ſuccuſſus equorum rectè inſtitutorum, ambulationes. Iique dum exercitia inſtituunt, monendi ſunt ne ei ſe ſtatim à paſtu dedant. Tunc enim quodcumque tenuius intrà ſanguinem recens admiſſum fuit, ad colatoria crudum offertur, & per illa elabitur; aut ea præcipiti impetu

ſuffocat, undè nova denſitatis cauſa & uberrima infarctuum ſeges naſcuntur. Nec ſudor ideò apud melancholicos tolerandus, quo tenuiora pariter difflantur. Nec ſuadendus unquam concubitus, quo quæcumque majoris ad reparationem pretii ſunt, ſubtiliſſima quæque è corpore auferuntur. Quod forſan aliquam patitur exceptionem in iis quos veſanus amor, aut denegatum objecti amati conjugium melancholicos effecit. Hinc demùm vacuationes quæcumque per lacrymas, urinas, mucum, tabaci ope ſollicitatum, ſalivam nimiâ ſputatione diffluentem, Melancholiam ut arte præpoſterâ accerſunt, ita ad eam ſanandam, ſi mente meliora ſuadente auferuntur & emendantur, ejus curationi ſummam præbent facilitatem, cùm præſertim ea non Melancholiæ tantùm humorali noceant, ſed etiam nerveæ illi quæ ex irritatione contrahitur. Primus enim vacuantium illorum effectus in irritatione potiſſimùm reponitur.

Animi verò affectus quoſcumque ita regendos habet Medicus, ut antè omnia in ægrotantis mentem ſalutare imperium exercere, ſit ex ejus officio. Ethice & virtutis amor ſoli Medico præcepta ſufficiant. Nunquàm admittenda adulatrix indulgentia. Nec deſperandum tamen cùm fruſtrà affectum affectui opponimus. Tum ſcilicèt mens ex corporeâ labe ſubvertitur; quâ diſcuſſâ, quæ offundebantur ipſi tenebræ, concidunt & diſcutiuntur. Nec tamen pro re natâ aut blandimentis parcendum, aut etiam minaces pœnas intentare recuſandum eſt. In quâ quidem mentis directrice Medicinâ, cavendum eſt ne æquam

omnibus legem ſanciamus, cùm vel in ſummo melancholico delirio mens priſtinum morem ſæpiùs ſervet. Hinc firmandi puſillanimes, compeſcendi ſunt animoſi, imò & ipſis incutiendus terror, ne malo jam facto, novæ addantur vires. Verùm ſæpiùs ex morali petita præcepta plus vulgò proſunt malo necdum vigente, minùs illo jam facto operantur. Priore in caſu cauſam morbi adoriuntur, in poſteriori verò Phyſica ſola medicamenta neceſſarium morbi effectum attingunt atque retundunt, undè in his caſibus præcepta ſæpè prorsùs inutilia ſunt.

De alimentis verò ſumma cura habenda eſt; cùm illa ita poſſint dirigi, ut aliquid medicamenti ſecum importent. In genere verò ex Hippocratis præceptis, paulò pleniori victu, ſi peccandum eſt, peccare licet, quàm tenuiori, cùm tenuior acredini non ſatìs firma vincula injiciat. Quanquàm fatendum ſit tenuiori meticuloſos Melancholicos plus delectari, in quibus metus ipſe famem retundit, cùm præſertim concoctionis alimentorum tempus à difficili chyli cum ſanguine miſcelâ, & ſuperfluo ad varia excernicula hærente, plenum ſit ærumnarum. Undè non rarò vidi evenire ut quaſi fame perirent illi. Verùm victus vires reficiens, non gravans, inſtituendus eſt. Hinc ex generalium de victu præceptorum doctrinâ, ægri viribus, ætati, imò & quæ in Melancholiâ nerveâ ſummi eſt ponderis, conſuetudini, conformis diæta accommodanda eſt. Non ii ſumus qui cum Veteribus alimenta Melancholiam generare apta repudiemus, ſed eo nomine ipſa cogemus exulare, quòd craſſioris ſucci, viſcidi atque

atque indivulſi, principia nimis craſſa, nimis terreſtria, non tenuata ſatìs, ſanguineo latici vix ſolidorum viribus frangenda ſuppeditent. Aberunt ergo à melancholicorum diætâ, farinoſa non fermentata, non coćta. Aberunt terreſtri quæcumque donata principio, auſtera, omphacina, vina ſimilia, ipſaque ſic dićta leguminaè quaſſante ſiliquâ extraćta. Aberit Garum, olea coćta, butyra coćta, laridum, quæ inflammatorio dum hinc ſcatent principio, indè ſolida oleosâ mucagine inertia reddunt. Simplex ex molliſſimis oleribus, pane bene ſubaćto, fermentato, coćto vićtus ſit, cui ſi ita vires, ſi vita exercitata ſuadeant, addantur juniorum animalium teneræ carnes, piſcium ſaxatilium uſus, fručtuum maturorum concedatur liberior uſura. Præſertim verò jejuno ventriculo, & manè poſt ſomnum ſuccus illorum recens verè ſaponaceus adhibeatur, non ut ſuadet mos patrius in ſecundis menſis; cùm jam diverſâ ciborum farragine tumens ſtomachus nihil novi poſtulat. Admiſſus enim tenui mucagine dives fručtuum illorum ſuccus cum aliorum intùs ſuſceptorum alimentorum miſcelâ fermentationem ſubit, ſicque in ſtomacho, clauſo, calido, humido ſpiritus concipit acres, acidos, mirà volatilitate rodentes, ſæpè cum flatibus odore vini aceſcentis & acerrimi erumpentes.

Vidi virum gravem Melancholiâ per totum hyemis decurſum, & quidem humorali miſerè afflićtum quam ſcybala dura, nigra, vultus luridus, inſomnia pertinaciſſima arguebant, quotannis per immodicum Ceraſorum, Fragorum, Mororum uſum, diarrhæâ bilioſâ flavâ erumpente perſana-

tum. Alium vidi qui ex doctiſſimi Medici conſilio maturos quotidiè Racemos, quantocumque tempore vel ingenti pretio redimi poterant, ad libras tres aut quatuor inſigni cum ſucceſſu vorabat. Magnum quidem & forſan potentiſſimis quibuſque in Melancholiâ ſanandâ æquiparandum remedium, ſed in cujus uſu atque conſilio cautè admodùm incedendum eſt. Nam ſi in ventriculo inerti ſaponaceam vim amittant uvæ & fermentationis initia ſubeant, tunc acre fit muſtum, ſolvens quidem obſtructionum vel duriſſimarum, ſed cum ingenti diſcrimine; illius enim uſu liquefacti & quaſi colliquati omnes corporis humores, bilis ſpecie, attenuatiſſimi ſcilicèt liquidi, per alvum & vomitum exeunt, non ſine eroſione, undè fit cholera morbus, ita hominem pauco dierum intervallo emacians ut vix à proximis, ab hoc morbo reſurgens agnoſcatur. Qui morbus ſi non fit, aut ſi mitiùs ſævit, ſupereſt ſæpè dyſenteria ſanguinea, exulcerans & ægrum conficiens. Sic quod aliis præſidium fuit, aliorum in perniciem vertitur, ſi non prudentiâ dirigatur.

Sed ipſa nos diæta ad medicamenta devexit. In univerſali enim Melancholiâ, quæ ſi partes aliquas præſertim & antè alias non afficiat, ſemper levis eſt; diætâ hacce, quiete & animi placidâ tranquillitate plurimi ſanantur, teſte Galeno. Medicamenta porrò quævis adversùs Melancholiam, non ipſo excepto Veratro, ſolventia ſunt, quibus ſi ea addas quæ acidum retundere valent, omnem paginam impleveris. His pro re natâ, ipsâ Naturâ duce, varias virtutes incli-

nante in hoc illudve vitium corpore adjunxeris. Fragrans & penetrans aromaticorum odor plerumque ſtomachum juvat. Salina ſpicula alvum movent, urinas conciliant. Volatilis ſpiritus rector, ſæpè ad ſudores, modò corpus vias offerat patentiores, diſponit. Has facultates tibi præ aliis Cartheuſerus indicabit, ſed præcipua primaria & ſpectanda antè alias, eſt exquiſita illa ſolvens ſaponacea virtus, quam Veteres etſi incognitam, adeò coluere, & quam Boerhaavius adeò luculenter per univerſum vegetabile regnum demonſtravit, immortali de Chymiâ Opere non tantùm Chymicis commendabili, quantùm Medicis auro contrà & theſauris comparando.

De his verò cùm ad morbi cautelam egerimus, hîc rursùs agere inutile eſt; Melancholia enim univerſalis ſuſcipiente oneris partem unoquoque viſcere, ad curationem magis apta videtur & remediis faciliùs cedere. Si tamen & ſeſe rebellem indiciis certioribus & vix ſolvendam demonſtraverit, tunc præceptorum Hippocraticorum memores, corpora ad purgationem præparanda habebimus. Quæ quidem præparatio in eo conſiſtit ut, ſi verbis Dureti uti fas eſt, *Laxentur meatus, humoris feritas mitificetur, ita ut ex humoribus fiat is qui exundando nocet ad exeundum aptiſſimus.* Quod quidem ipſa per ſe in Melancholiâ levi methodus efficit, ex humectantibus, diluentibus, ſaponaceis prorsùs conflata, teſte, quem jam ea proferentem dogmata toties laudandum habemus, Galeno.

Huc etiam tam ob ſanationem, quàm ob præparationem ad catharſim plurimùm conducunt

balnea, & ea quidem ſimplicia, tepida, ſi præſertim ſpaſmi metus reddat in adhibendâ catharſi cautos & timidiores. Fomenta in abdomen, inunctiones, omnia denique laxantium genera, efficient ut molliùs ac mitiùs Catharticum in inteſtina, per quæ neceſſaria via fit, fluat, nec ea erodendo deſtruat acerrimus, vi Cathartici acri elicitus acor.

Verùm ingens hic delectus cathartici habendus. Fruſtrà enim hanc illi ſolam competere actionem, quâ humores eliciat, credideris. Hîc loci non eſt expendere quâ ratione actionem ſuam exerant cathartica quævis, ſeu potiùs quid ſit catharſis ipſa, quam contrà ſentiente veterum omnium Medicorum choro, ad vellicationem glandularum inteſtinalium reduxit Williſius, quâ titillatæ illæ contentum humorem exprimunt ſpaſmodicâ contractione. Hac expreſſione vacuatæ illæ, rursùs affluente humore per vim circuitûs & ſummam vaſorum plenitudinem, quâ omnia premunt atque premuntur, truduntur & trudunt, forſan & ob ſtricturam vaſorum vicinorum per vim irritantis cathartici, implentur vacuandæ, ſicque quamdiù adeſt nondum diluta, nondum torrente liquidi abrepta vis Cathartici, fit illa expreſſio, atque vacuatio quæ in longiſſimo tractu enormis eſſe debet; adeòque omnia vel potentiſſimorum catharticorum phœnomina ſub hac Theoriâ Williſianâ dilucidantur.

Et certè rem ſe ſic habere ut plurimùm, & maximam phœnomenorum quæ ſub purgantium exhibitione accidunt, indè partìm enodari non negaverim; docet rem admittendam quotidianus

Tabaci nares hoc mechaniſmo purgantis uſus. Docet etiam illud obſervatum, quo ſcitur ea quæ ſtricturâ vehementiori, irritationeque potentiori agunt cathartica, dum partes inflammant, tormina quidem concitare, ſed alvum contrà ſtringere, nec ullam materiem elicere; quæ tunc ſolo lenientium, mollium, oleoſorum, fomentorum laxantium uſu prorumpit, ſanatione ſimul mali factâ. Undè nulla forſan eſt in medicinali Phyſicâ theoria quæ cum phœnomenis magis quadret & aptetur. Hinc porrò exolevit penitùs apud Recentiores Cholagogorum, Melanagogorum uſus, remanente tantùm Hydragogorum nomine, quod iis conceſſum eſt medicamentis quæ irritante vi ſummâ donata, potentiſſimâ vacuandi virtute hydropicos ſublevant, & aquam quæ in iis ſuperexundat, ipsâ ſuâ copiâ præparatam ad exitum, vacuant.

Quouſque tamen hæc theoria exceptiones patiatur, & non omninò rejicienda eſſe è foro Medico corpora quæ bilem præcipuè vacuent ut & atram bilem, experimentis tentavit demonſtrare D. Martine, qui ex aperturâ animalium viventium poſt varii generis Cathartica ſumpta, ipsâ ſub eorum operatione mactatorum, varios vidit prodire & exilire humores, ſeu, ſi mavis, irritationem in hanc illamve partem ſpecificâ horum corporum vi determinari. Verùm quid ipſa experientia Medica doceat, liceat Clinicos omnes interrogare.

Hi porrò omnes conſentient in illâ propoſitione confirmandâ, non ex præjudicatâ opinione, ſed ex ipsâ rerum naturâ & experientiâ, fieri

variorum in diverſis morbis purgantium delectum. Nec vi ſolùm catharticâ, ſed etiam facultatibus inter ſe differre purgantes ſubſtantias. Sua cuique dum humores elicit, facultas ineſt, ſua phœnomena ſunt. Nec eſt quòd Rhabarbarum flavedine fæces inficiens, idcircò negetur bilem extrahere, cùm & odor ipſe & conſiſtentia humorem illum detegat, licèt ipſe color non proderet latentem. Aloës verò nonne conſtanti obſervatione venas ani aperire atque ſolvere deprehenditur; & ab hiſce vaſis ſanguinem educere, non eâ certè proportione quâ irritationem ciet. Hinc dum Antiqui à Veratro varios prorsùs multiformeſque colores educi narrant repetuntque mille locis, non certè receptæ Theoriæ ſubſerviebant, quæ nigra tantummodò per medicamenti efficaciam educi poſtulabat. Hinc ergò ad Melancholiam educendam ea medicamenta Cathartica quærenda ſunt, quæ virtute ſolvendi & tenuandi donentur efficaciſſimâ. Hinc pro ſolvendi ratione duplex purgandi modus exurgit.

Ubi enim Melancholia recens eſt, nec in ipsâ corporis ſtructurâ altiùs radicata, atque non omnem humorum molem invaſit atque occupavit, tunc ſi ſolventibus jam multotiès memoratis medicamentis ſtimulos laxantes addideris, ipsâ ejus particularum ſolutione factâ per lenem diarrhæam è corpore, diluta auferetur Melancholia; atque versâ in melius naturâ vacuabitur alvus. Et hac methodo non levem, non ſine atrocibus ſymptomatibus ſævientem dierum viginti ſpatio ſanatam vidi. Cùm ſcilicèt viro evidenter melancholico, cujus luridus atque niger vultus, anxie-

tas intolerabilis, ſurarum atque crurarum tumefactio durior, maculæ atræ morbum non obſcurè demonſtrabant, à Medico clariſſimo infuſum unciarum quatuor Tamarindorum in aquæ communis lib. iij. unà cum ſyrupo Rubi idæi, ita quotidiè plures per dies propinaretur, eo effectu ut initio levis, poſteà copioſior efflueret diarrhæa, quâ jam miſero nec mora, nec requies daretur, ſed ſæpiùs ipſi deponenda foret alvus. Quæ diarrhæa per plures dies tamen fluens, & tumores, & maculas, & morbum ipſum brevi intervallo ſuſtulit.

Idem prorsùs me conſulente eveniſſe vidi ſimplici ſeri lactis clarificati potui ad plures quidem libras quotidiè per bimeſtre ſpatium, ſed eâ efficaciâ, ut ſanctiſſimè teſtari poſſim ſolâ indè natâ perpetuâ noctu diùque diarrhæâ, incipientem jam prorsùs ſublatam fuiſſe inſaniam. Alterâ vice non minùs bellè ſuccedebat illud. Datis Hellebori nigri in extractum redacti granis 15. quotidiè, veterum Medicorum fidem implorante me atque obteſtante, deſæviit pariter humor melancholicus.

Patet ergò ex his in Melancholiâ ſæpè ſoli Naturæ medicatrices manus porrigendas eſſe. Sed quandò ſic agendum ſit paucis in memoriam revocare arduum non eſt. Si ſcilicèt Melancholia recens ſit, ſi ſolida, tenſa & activa, phlogoſeos metum incutiant. Hinc mox ſeſe movendam fore minitanti, nulla alia Medicina competit.

Mirum fortaſſe videbitur quòd in morbo acorem minitanti, adeòque omnibus acidis per ſe infenſo, acida tamen laxantia ſuadeamus; nihili

ingenitam labem facientes. Verùm duplex fiat obſervatio. Primùm acor ille maturorum vegetantium, non debet cum ſtagnantis liquoris animalis acore confundi. Activum enim acidum illud & merè ſaponaceum acidas virtutes non exercet, niſi fermenteſcat, tuncque adhiberi nefas. Poſteà verò in univerſali illâ Melancholiâ diſpoſitio quidem ad acorem ineſt. Sed cùm vera atræ bilis auſteritas nonniſi ſtagnatione evolvatur, nullaque hîc ſupponatur ſtagnatio, nulla poteſt adeſſe, quæ efficaciſſimorum remediorum impediat ſucceſſum aciditas. Hinc porrò intelligitur cur plurima aliquandò ſucceſſerint in uno caſu medicamenta, quæ nocuere in alio, ut primo vere herbarum recentium Eſculentarum decocta, aut foliorum Lactucæ, Sonchi, Graminis, Taraxaci, Betæ, Endiviæ, Acetoſæ, aliarumque omnium quæ ſapone recenti atque facilè ſolubili divites nondùm æſtivam reſinam concepere, vixque colorantem oleoſam terreſtremque partem acceperunt. Cur Ptiſanæ quædam ex hiſce herbis addito tantillo Epithymi, Hellebori nigri, adeò famoſæ; quarum una ſub nomine *Tiſane de la Portugaiſe*, aliquos ad ſanitatem revocavit. Cur Antiquis adeò celebre oxymel, & Geſnero aliiſque oxymel helleboratum?

Verùm ubi jam collabitur ſolidorum tonus, nec jam ullum erethiſmi periculum imminet, ſed contrà frigus illud antiquorum ſeſe ſuis prodit ſignis, fruſtrà aliquam à ſimplici illâ methodo expectaveris efficaciam. Jam ſolventibus opus eſt potentiſſimis, quæ maſſas ipſaſmet molecularum infringant & quaſi penetrando reſolvant.

Qualia ſunt actuoſa illa medicamina quæ partìm Medicinæ Ars Chemica ſuppeditavit, partìm etiam ſubminiſtravit Natura. Huc Helleborus albus Specifici nomine gaudet. Huc ſaltem minor, ſed continuanda magis Hellebori nigri efficacia, quem cùm inter mites in agendo ſubſtantias recenſuerint Veteres, metus tamen fecit ut derelinqueremus. Utrumque medicamen vacuando agit, nec tamen, Theophraſto teſte, etſi non ageret, minùs efficax foret. Hîc ἁδροτερῶς purgandum, ut cum Galeno loquar. Nec unâ tantùm vice, ſed diarrhæa artificioſa omni ope atque operâ molienda, eaque & ultrà mediocritatem perpetuanda. Nihil hîc ſudoribus fidendum qui tenui rore, & maximè ſpiritu rectore animalis fœto, corpus defraudant, nec poſſunt craſſiora amandare. Nihil hîc cum urinis quæ cùm ſalia ſubtiliora rapiant, craſſius oleum vix attingunt. Tenuandus terreſtris oleoſus humor, ita ut cum affini ſuo, bile flavâ per proprios bili ductus rapiatur, ſicque è corpore eliminetur; ita tamen ut dum motum concipit, acredinem ſimul non concipiat: undè quâ vacuatur proportione, Medica Ars humectantia, diluentia, antiputrida reſtituit. Uno verbo, cum tenaci, piceo, effero humore res eſt. Ubi autem in acutis indomabilis humoris feritas per alvum ruere incipit, adeſt Medicus per laxantes & ſolventes ptiſanas, ei quaſi viam ſternens, undè receptum hodiè eſt, ut grano uno aut altero tartari ſtibiati inſigni liquoris copiâ diluti proluatur æger, & ad ſeceſſum alvi concitetur. Sic in chronicis melancholicis, ſtimulus ſolvens ad alvum humores mitificatos deter-

minans, poteſt & debet curationem quæ in humoris morbifici vacuatione tota conſtat, abſolvere. Nec ulla alia eſt ſanationis ratio. Nunquàm enim ut ex ejus generatione hariolari facile eſt, verti in inquilinum poteſt humor melancholicus. Satìs erit ſi adeò mitior fuerit factus ut exeat, & biliofos canales non laceret. Undè nonniſi ſummâ cum cautelâ & laxatis ſufficienter viis, debet methodus hæc noſtra purgans adhiberi. Semper verò antè oculos verſari debent omnia quæ ſapiens Antiquitas de corporum purgandorum præparatione ſtatuit immortalia præcepta. Undè etiam & ad hæc reſpondere facile erit. An omne punctum tollere poſſint Antimonialia? Solventem ſimul atque purgantem vim cùm poſſint obtinere, certè prodeſſe nata ſunt. Id eorum ſcelus eſt quòd facilè in ſudores diffluere cogant corpus. An aliquandò ad ſanandam Melancholiam conferre poſſunt mercurialia præparata? Hanc ipſis efficaciam tribuiſſe videntur non refellenda obſervata. Verùm in eâ quam cum ſalivâ contrahunt, conjunctione, metus idem eſt, ne ſcilicèt particulis tenuioribus corpus exhauriant? Aliundè ſæpè à Mercurio remanſiſſe corpus melancholicum notum eſt. Melancholiam quidem è nervearum genere potiùs quàm noſtram videtur inducere Mercurius, cùm vi ſubtiliſſimâ in ultimos vaſorum nerveorum meandros agere videatur. Sed hæc in illam facilè vertitur. Certè ea omnia non faciunt, quin à foro medico exulem Helleborum non querar & revocari poſtulem. Viderint Sapientiores.

Nec defuere Medici qui ſcorbutum cum Me-

lancholiâ confundentes, ipſam Antiſcorbuticis tollere tentaverunt. Ea porrò aliquandò medicamenta ſi mitia fuerint & cautiùs adhibita, ſucceſſu non caruere. Quòd ſcilicèt hinc virtutem acidis diſpoſitionibus oppoſitam obtineant, illinc verò ſaponaceam vim ſucci recentes plantarum ſemper præ ſe ferant; ſed cùm nullum hîc extet præter ipſius ſanguinis, partiſque ejus craſſioris vitium, cautè omninò cum volatili illâ antiſcorbuticâ vi agendum eſt, ne motum immodicum intrà ſanguinem concitet, ſicque hinc tenuiora ex vaſis per aperta ſemper ſpiracula cogat exhalare, illinc verò craſſius reſiduum in motum concitet peſſimo Melancholiæ exitu, ut alibi jam demonſtratum eſt. Hinc igitur tota morbi noſtri quantacumque ſit curatio, in ſaponaceâ diluente, vegetantium præſertim recentium, imò & juniorum facultate repoſita eſt, & aptâ purgantium atque methodicâ adminiſtratione, quæ purgandi docta methodus præſertim in præparatione laxante ſimul vaſorum & humorum mitificante reponitur. Nec niſi longa catharticorum ſolventium repetitio, aut aſſidua humectatio conferre poſſunt, cùm humorum conditionem immutare non ſit unius horulæ opus, ſed diuturna requirat tum ægri, tum medicantis faſtidia.

Verùm in mutandâ perversâ illâ liquidorum corpori inquilinorum diatheſi non omninò, non ſemper nimis actuoſæ medicamentorum efficaciæ confidendum eſt; imò ſi renuat morbus noſter modò propoſitis cedere, unica ſpes nec vana illa quidem, in eo reponetur, ut quoniam pravus ha-

bitus vitium induxit, mutetur prorsùs habitus ille in alium, ſicque inſtitutum vitæ funditùs ſubvertatur etiam ſi attentioribus oculis inculpatum videatur. Sic enim, vitatâ tamen nimis ſubitâ mutatione, fluxilis illa ſanguinei laticis ſubſtantia prorsùs mutabitur, adeòque ſine ullo alio medicamento ſanatio continget. Non hîc operoſa veterum Methodicorum Metaſyncriſis appellanda eſt, aut ſuperſtitioſa recorporatio. Sæpè morbus graviſſimus eſt, ſymptomata vel vehementiſſima accerſit; ſi tamen nondùm feralem in aliquâ parte ſedem fixit ſola cauſæ artificioſa remotio, ipſum prorsùs ſuſtulit. Sic multis profuit Nabuchodonoſoris ad exemplar, urbes & civium officia deſerere, aëri aperto, campeſtri ſeſe concredere, ſectari apros, venatui indulgere, malorumque cauſas vivaces fugere, ſeque præſertim ipſum, atque Bellerophontæas animi ſollicitudines. Ruſtica illa Naturæ prorsùs conſentiens occupatio animi retundit affectus, ipſum leviter diſtinet, & ab ærumnis, labori pariter atque otio æquè adverſa, avocat. Quos ingluvies atque luxuries fecit ægrotantes, præſertim ſi ex omni genere animantium conferta fuerit opipara menſa, herbis aut crudis, aut coctis uti fuit ſalutare, nec alium cibum intùs admiſiſſe; quam ſalutarem pœnam ſuperbo Babylonis Regi ad corporis ut & animæ ſalutem Deus videtur impoſuiſſe. Nec unus fuit ille quem ſecundis in rebus ſuî impotentem fecit ipſa, quam fruſtrà ſperavere, felicitas melancholicum, res contrà adverſæ, ſobriaque ex paupertate vita, rursùs in priſtinam ſanitatem reſtituit. Cùm ſcilicèt languorem & atoniam quamdam inducat ſuî fidu-

cia, quam frangit & conterit rerum diffidentia activitatem perſuadens. Nec minùs ipſi Melancholiæ medicinam præbuit lis exorta; bellum, quod militibus languida in pace deſidia facit neceſſarium. Imò otioſi milites in navibus plus ſcorbuto afficiuntur, quàm navem agentes nautæ. Notandum eſt in hac vitæ ſubverſione fieri debere, à graviori cibo in leviorem diætam tranſitum, ab otio in activitatem & exercitia, quæ ſemper & ubique proſunt, modò non illa violenta fuerint, aut eo tempore inſtituta quo motum bili nigræ addere parat errabunda Naturæ efficacia.

Lactis uſus aliquandò curationem effecit, teſte Galeno, & quidem Aſinini, aut cui cætera poſtponit, Fœminei à corpore in corpus traducti. Nullam quidem à fœmineo lacte ſic exſucto curationem ipſe teſtis vidi. Sed qui indè ſanatum omninò ſe dixerit, à mœrore diuturno confectum, & ſceleti inſtar emaciatum probè novi fidei integræ virum & illibatâ fruentem ſanitate. Hinc quòd dixerit in Aphoriſmis Hippocrates lac dare Melancholicis malum, de Vaccino quidem primùm lacte intelligendum eſt, poſteà verò de iis quibus aut hypochondria, aut caput, quod ſæpè, ut diximus, συμπαθεία laborat, ab humore melancholico impetuntur. Nam quibus viæ primæ liberæ ſunt, illi tenuiora hujuſmodi lactis genera bene ferunt & ab iis ſublevantur, imò & patientiâ adhibitâ poſſunt omninò ſanari.

Quæcumque autem fuerit, quam tibi ſequendam indicaverit Natura curationis methodum, notare debet Medicus, ſæpè interrumpendam eſſe

illam, & quaſi à medicamentis quieſcendum, ut ſcilicèt eorum actioni non aſſueſcant prorsùs fibræ, ut aliquid Naturæ concedatur, indè illa ſui juris facta propriis viribus in hoſtem agat. Nec tamen etſi omnia tranquillâ pace compoſita videantur, ea continuò removenda ſunt; cùm ſæpè redivivum malum ex ſuis reſurgat ruderibus. Imò Melancholiæ ferax autumnus ingenti plures per annos diluentium, humectantium, ſaponaceorum remediorum agmine prævertendus, ne veteris memorem notam noxæ imprimat. Etſi enim animi affectus malum noſtrum producere potuerint, mechanica labes etiam ſemel altè ſignata, animi affectus poſſet arceſſere.

§. II.

De Melancholiæ Humoralis Hypochondriacæ Methodo curativâ.

Sævior eſt & in feralem exitum abire aptior quæ hanc illamve partem obſidet Melancholia humoralis, ſed nullibi infericiùs angit, quàm ſi in hypochondriis locatâ ſede, hepar, lienem, ventriculi confinia occupaverit; patriam quidem, ut Veteribus viſum fuerat originem, at certè vel recentioribus frequentiſſimam. Indè ſcilicèt toti corpori imperitat, & univerſalia concitat ſymptomata quæ à præpedito per venam-portarum circuitu pendentia, univerſam afficiunt machinam. Hinc licèt methodus curativa eadem ſit, aliquas tamen ſortitur differentias ex ipsâ ſede occupatâ deſumptas.

Primò enim abdomen directiùs patitur, & ut

in eo præcipua mali ſcena luditur, ſic ad eum directiùs medicamenta debent applicari.

Secundò, nervea ſentiens pars crudeli magis modo afficitur, undè complexio atque combinatio Melancholiæ nerveæ cum iſtâ humorali major, antiſpaſmodica efficaciora requirit.

Tertiò, obſtructionum atque infarctuum nunc ad phlogoſim, nunc ad ſcirrhum vergentium periculum majus eſt; undè & promptior & efficacior medela requiritur ne in peſſimum cancrum vergat malum, aut maſſam induratam vix poſteà reſolvendam.

Hinc ergò canones illi ſanciuntur; primò, vacuandum & ſanguine antè omnia ſublevandum abdomen, ut circuitus & liberior & facilior fiat per vaſa ampliſſima venoſa arterioſam ſortita dignitatem, & ipsâ ſtructuræ neceſſitate hærentiæ facillimè cedentia. Plus minùs tamen adhibenda ſanguinis imminutio pro ratione cauſæ, ægri ipſius, regionis, ætatis, ſexûs.

Secundò, longiori ad purgantium uſum opus eſt præparatione, ne ſcilicèt moles indurata tenuiori detracto evadat adhuc ſolidior, & ferè ſcirrhoſam firmitatem adipiſcatur. Mobilis ergò reddenda illa antequàm ad vacuationem nos accingamus. Sivè quod mobilitatis nomine Medici intelligunt, cæteris omnibus humoribus ad exitum promptior efficiendus & purganti vi ita auſcultans, ut primus exeat humor quem extra corpus abigere animus eſt. Hinc rarò in affectibus hypochondriacis ſtatim purgandum eſt, niſi tamen malum jam motu novo raptum, & mox in hanc illamve partem ſeſe deponere ſatagens, ὀργῶν di-

cebant Veteres, Medicina occupet & abripiat, in patentes alvi vias: quæ quidem Naturæ agentis tempora ex præviis ſymptomatibus, ex perturbatione præſenti aliis meliùs divinaſſe videtur Hippocrates, & ad practicos uſus revocaſſe. Statim enim, ut ex *Lib. III. de Morbis* patet, ſuadet Hellebori uſum in morbis quos ipſa ejus deſcriptio ad hypochondriacos videtur revocare, ſed mobiles, ſed exitum molientes ſolos huic methodo ſubjicit. Nec aliter rem intellexit unquàm Galenus, ut ex fine Libri ejus *de atrâ Bile* patet, nec ipſa ratio aliter ſenſiſſe Medicinæ proceres hoſce, tum ex locis citatis, tum ex univerſis eorum operibus indicat.

Tertiò, verò in hac Melancholiæ præſertim ſpecie locum obtinent aperientia illa, quæ propriè ſic dicta vaſis ſtimulum aliquem impertiunt, dum ſimul fluidiores efficiunt partes concretas, undè vulgò ſolventia vocantur. Malo enim univerſali jungitur hìc malum peculiare, obſtructio promptè in ſcirrhum abitura, undè ſumma eſt viſceris hìc habenda cura. Nec mirum ſi inter hujuſce morbi remedia, Reſinoſa gummi, amara aperientia à Veteribus commendentur, ut paſſìm ex modò enarratis eorum curationibus concluditur.

Quartò, ipſo malo edomito atque profligato, rursùs ad roborantia recurrendum eſt. Nam quod ſemel viſcus infarctum expertum eſt, in recidivas ipsâ acquiſitâ debilitate pronum eſt, niſi robur ipſi addatur, undè infirmitas illa ferax malorum profligetur. Nec certè minùs profuit aliquandò, etiamſi nulla mali indicia ſeſe aperta faciant, curativam

curativam methodum iterare ingruente Melancholiæ patre Autumno, præſertim ſi non eam quæ jam ſanata eſt, aliqua invexerit ab externis repetita cauſa, ſed aut ætas, aut intemperies, in ipſam fecerit proclives, eòque magis remediis inſiſtendum, quò graviorem faciunt recidivæ metum prævia ſymptomata.

His igitur ſemel poſitis nemini, ut ſperamus, mirum videbitur, ſi Veterum veſtigiis inſiſtentes, morbum à venæ-ſectione auſpicandum putemus. Hanc ex brachio plerique ſuadent, Hirudinum applicationem Cælius Aurelianus & Methodici, à Methodicis verò Stahlius & à Stahlio omnes aliis omnibus anteponunt. Utrique certè ſua laus ſervanda eſt.

E brachio quidem in omnibus affectibus qui abdomen occupant, ſanguinem eſſe detrahendum communis eſt praxis, à revulſionis quidem legibus expoſita & explanata; ſed à verâ experientiâ Hippocraticâ priùs deducta quàm intellecta. Hac quidem paucis minutis temporis ea affatim ſanguinis copia educitur, quæ laxationem ſubitam inducat, compreſſionem fluidarum partium minuat, totamque molem quâ proportione è venis ſanguineis ſalit cruor, craſſioribus partibus minùs gravem, adeòque fluxiliorem efficit & humidiorem. Id aiebant Antiqui, ſanguinem ventilare. Hinc ejus efficaciâ laxior aditus remediis patet, & corpus ad curationem diſponitur.

Hirudinibus verò ad ani marginem applicatis, ſanguis è directo educitur, & per venam-portarum hæſitanti ea conciliantur commoda, quæ à venæ-ſectione pendent, & quam quærimus

libertatem, præcipuè ſentiunt hepar, lienque. Verùm cùm rapido circuitu gaudeat ſanguis, ut non facilè refellendis calculis demonſtravere Phyſiologi, lenta hæc eductio non tantam toti corpori mutationem inducit, non tantam omni vaſorum ſyſtemati laxationem conciliat. Non ergò tantùm de viribus detrahit; adeòque multis in caſibus altera præcellit alteri. Hirudines ſcilicèt venæ-ſectioni præferendæ ſunt, quoties cum ægro infirmo atque debili res eſt, quoties hepar atque viſcera abdominalia directiùs laborant, reliquæ verò corporis partes intactæ ſunt atque vix affectæ, præcipuè verò ſæpè morbum prodigii ad inſtar tollunt, quoties ſeſe in hanc viam determinans Natura, viribus tamen deficit, quominùs tentatam vacuationem perficiat; undè irritis conatibus malum malo addit. Vel etiam ſanationem perficiunt, ſi morbo huic noſtro ſuppreſſæ hæmorrhoides locum dederint. Quam non raro admittendam eſſe cauſam alibi probavimus.

Verùm nunquàm feliciùs, nunquàm in ſalutem efficaciùs concurrunt Hirudines, quàm ubi prægreſſa fuerit è brachio venæ-ſectio, quæ dum in humores omnes egit æqualiter, jamque liberiorem effecit circuitum, viam aperit revulſioni quam ex abdomine efficiunt Hirudines. Verùm non licèt ſemper utramque ſimul adhibere. Tunc Naturæ auſcultandum, quâ invitâ, nil recti in Arte efficitur. Sanctè enim obteſtor omnes dogmaticos Medicos & interrogare auſerim, an unquàm aliquid promiſſis dignum effecerint Hirudines, quoties in iis applicatæ fuerint ſubjectis quæ nihil cum hæmorrhoidibus, aut menſtruis re-

tentis commune habuerint. In eo porrò earum virtus repoſita eſt ut ſanguinem è directo trahant, hæmorrhoideſque Arte procurent quas Natura concitare amaret.

Inſtitutâ ſemel venæ-ſectione, jam primum ſibi locum poſtulant diluentia illa quæ ſimul vim leniter ſolventem obtinent, nec tamen aut ſtimulare, aut concutere machinam apta ſunt, de quibus jam pluries actum, imò & ut in tanto rerum tumultu impoſſibile eſt ut concoctiones ritè & ex ordine peragantur, utile erit aliquod ex eccoproticis & laxantibus alvum medicamentis quæ ſine irritatione agant, ſeligere,& frequentiùs uſurpare, ut ſunt Manna, Caſſia, Tamarindi, imò & ex antacidis aliqua, ut ſunt Magneſia alba recentiorum. Hoc titulo poſſunt etiam, ſub magni Hoffmanni autoritate, in uſum revocari Terrea Abſorbentia, quæ vir celeberrimus in hypochondriaco morbo, uſu frequenti commendat. Hæc enim tantùm prodeſſe poſſunt, quoties cum ſtomachali, aut inteſtinali vitio acido maritata, in ſeleniticum ſalem vertuntur, tuncque alvum movent. Hæc omnia diluentibus intermixta, aperiente ſaponaceâ ſolvente vi agunt, nec poſſunt dici purgantia cùm in inteſtinali tantùm canali contenta vacuent. Huc etiam duplici titulo conducunt aquæ minerales quædam, quæ bitumine & ſale ſimul unitis, ſaponaceam, volatilem, penetrantem facultatem obtinent; ut ſunt apud nos Vicienſes, Plumberianæ, quarum priores dum ſolvendo humectant, alvum ſæpè ſubluunt.

His verò dum prima curationis ſcena peragitur, molleſcit hepar, mitificatur humor, laxantur

vaſa. Adde ſimul ſi omne punctum tollere velis, frictiones lentas, tardas, in abdomen jejunum; manè oleorum molliſſimorum ex Arabum præceptis applicationes; tum ſolventium reſinoſorum gummoſorum, ut emplaſtrorum, ſaponacei, de Gummi Ammoniaco, Diachylum gummeum, imò & emplaſtrum de Cicutâ, de Meliloto, & alia plura hujuſmodi. Aſſeveranter teſtatur Galenus ſe ſcirrhos viſcerum ſanaſſe, ſolâ vaporum è Gummi Ammoniaco in aceto ſoluto erumpentium frequenti ſuffumigio. Hæc omnia tentare quid vetat? Indè certè tutiùs atque faciliùs ad purgationem pervenies.

Hæc, corpore benè præparato & mobili reddito, tandem inſtituenda venit. Non ea verò per vomitûs violentos nixus operari ſinenda eſt. Ne laboranti & tacitâ forſan inflammatione confecto hepati, aut rupturæ, aut ſuppurationis metus incidat. Præſertim ſi non alia vomitui ſuadendo concurrant. Hinc ergò vulgò ad Helleborum nigrum confugiam. Huncque in decocto exhibens pro re natâ libebit ei varia adjungere, quibus creſcat aut regatur ejus efficacia. Sic ubi infarctus ingens & evidentia obſtructionis indicia reperiuntur, purgantia in ptiſanâ, aut juſculo aperiente miſcebis cum reliquis claſſium modò recenſitarum aperientibus. Huc rectè tum ſolventium, tum ad purgationem adjuvantium titula adeò jurè commendantur, ſalia illa neutra aperientia, quæ bilis efficaciam aut ſupplent, aut intendunt. Talia ſunt Arcanum duplicatum, ſolvens efficax, & ipsâ ſuâ unione tenax: Sal Glauberianum multò diluendum faciliùs, ſalia

vegetabilia, aut ſelenetica quædam quæ è pluribus aquis educuntur. Si ſtomacho ſuppetiæ ferendæ ſint, edocebit te Aretæus cum Thymo Attico purgantia miſcere ; Abſynthio Helleborum junxere aliqui apud Veteres. Alias alii methodos adhibuere quæ omnes ut neutiquam ſingulis accommodatæ ſunt, ſic aliquandò quibuſdam conferunt. Balneis intermiſcere Helleborum, alterniſque hoc medicamentum offerre, alternis per balnea laxare, Tralliani methodus fuit non contemnenda, cùm ſic omnibus fiat ſatìs indicationibus. Redit ſensìm ſub hoc medicamento alacritas, ſicque morbus biliſque meraco Helleboro expellitur.

Generatìm verò in Antiquorum formulis quantùm cumulentur purgantibus draſticis aromatica miramur. Hæc ſub emendantium titulo in pharmacopoliis jactantur. Verùm duplici nomine illa ab his prædicabantur. Primò, ſcilicèt quòd ſi aliquandò aliquid minarum intentent draſtica illa medicamina, pendent illæ ab anxii ventriculi moleſtiâ, quæ tutò ab aromaticis ita mitigatur, ut certò aſſeverare poſſim, vix ullum eſſe purgans, cujus nauſeoſa, ructuoſaque indoles, à ſolo uſu, ſub ipsâ ejus exhibitione, unciæ ſemi aquæ ſtillatitiæ de Menthâ, piperitide præſertim, non conticeſcat.

Secundò, verò aromatica ut tonum æqualem inteſtinorum fibris conciliant, ipſis ſentiendi vim addunt, ſicque virtutem purgantem medicamentorum adaugent & extollunt, tormina verò præcavent, ut ſemel expertis manifeſtum erit. Sicque non adeò rejicienda ſunt; niſi tamen obſtet

aliquid ſivè à causâ repetitum, ſivè à ſymptomate.

Emenſo illo periculoſiori purgationis ſtadio rursùs ipſa hepatis fabrica nos edocet, fortioribus utendum eſſe aperientibus; quibus ipſa bilis natura ad nativam craſim revocetur, & ejus ſtimuletur ſecretio; talia ſunt amara illa ſalina quæ ex radicibus eliciuntur, ut Lapathi acuti, Chelidonii majoris, Acetoſæ, Ruſci, Ononidos; Cortex Capparidos, aliaque hujus generis plurima, quibus Libri Medicorum ſcatent. Salia neutra, texturæ præſertim levioris, qualia ſunt, Sal vegetale, Sal Glauberianum, Terra foliata tartari. Ipſa alcalia, acido hoſtili infenſa, ſi præſertim parcâ olei additione vim ſaponaceam acquiſierint, ut Salia illa Tacheniana à Boerhaavio adeò decantata ſolventem hîc vim exercent. Nam notandum eſt hîc non omnia promiſcuè eſſe uſurpanda, quæ ſolventium titulo gaudent, ſed ea ſola quæ amaris oleoſo terreo ſalinis particulis conflata ſunt, adeòque extricandæ bili præcipuè dicantur, experientiâ rerum Medicarum magiſtrâ teſte. Horum verò uſus ſæpiùs catharticis ſolventibus helleboratis intermiſcendus eſt. Quæ dum alvum ſolvunt, intereà & meatus liberos præſtant & humores mobiles, adeòque fortiorem aliquandò expulſionem efficiunt. Cùm autem plurimæ ſint quæ utramque indicationem, ſivè ſolæ, ſivè addito aliquo è ſalibus neutris ſtimulo adimpleant aquæ minerales, frigidæ præſertim, nil mirum eſt ſi plurimi ſint Practici qui eas cæteris quibuſve medicamentis anteponant, ubi præſertim delicatioribus medicina adhibetur.

guſtum enim multò minùs quàm reliqua quævis medicamenta offendunt illæ, diarrhæamque artificioſam aperiendo ſimul concitant, quâ fit ut humoris morboſi ne guttula una intrà corpus remaneat, ſed totus everratur perpetuâ nec hæſitanti vacuatione. Tales ſunt Vicienſes, Vallenſes, Cranſaceæ, aliæque hujuſmodi plures, pro regionis varietate variæ.

In harum tamen aquarum mineralium uſu notandum eſt, eas vix unquàm aliquem obtinere ſucceſſum, quoties morbo crudo & integro adhibentur. Tum enim cum ſanguine vix ullam admittunt miſcelam, ſed per vaſa raptæ, ſi urinæ vias citò non ſubeant, in anguſtiis thoracis hærent, ad bronchia, glandulaſque ſalivales deflectunt, non ſine ſummâ ſuffocatione; & pituitæ nomine vaſa gravant, necniſi cum tuſſi atque nixibus vacuantur. At jam reſoluto per laxantia, venæ-ſectiones & cathartica, morbo, aperientium præſertim titulo gaudent, & corpus à reliquiis humoris & ſaburrâ melancholicâ liberant, ſummique medicamenti titulo gaudent.

Supereſt ut liberato per efficacem medicinam & diù protractam viſcere, expulsâque Melancholiâ, arceatur mali reditus; ſive, quod idem eſt, corroboretur viſcus, fabricaque ejus minùs facilè cedat cauſarum externarum impulſibus. Ea autem ſummi momenti indicatio duplici ratione adimpletur. Diætâ ſcilicèt ſeu victûs regimine bene temperato & appropriatis medicamentis.

Præcipuum enim eſt rectè ſex res naturales adminiſtraſſe, ne noxa incidat; ut externæ vitentur inſidiæ, aut quoniam vitari non poſſunt illæ,

ita tamen adverſùs illas præmuniatur corpus, ne adeò acutè ſentiantur. Tum decubitus in hepar aut hypochondriaca viſcera præpeditur nunc præcaventis venæ-ſectionis prudenti adminiſtratione, nunc Hirudinum applicatione legitimâ, ſervatâ alvo liberiori, ne duritie ejus abdominales venæ conſtringantur, adeòque moræ ſanguini offerantur. Hinc alimenta levia laxantia ex herbis mollibus, fructibus horæis, tum crudis quàm coctis, hinc frequens Eccoproticorum uſus ad eum finem conducunt.

Medicamenta verò ex iis conflantur, quæ tonum ſolidis ſine irritatione conciliare poſſunt. Ea ne criſpationem inducant, multâ aquâ diluta offeruntur, ut ſunt infuſa Croci, Abſynthii, Salviæ, baccarum Juniperi, Chamædryos, Chamæpityos, aliarumque ſimilium plantarum, quæ levem vim aromaticam in vaſa exercent, inſignique amarore bilem diluunt, ei ſupplent, dum aquâ additâ humectant & tenſionem nimiam præcavent.

Huc antiſpaſmodica ferè omnia vegetantia locum obtinent. Sed præcipuam in ſe operis partem ſuſcipit Ferrum & varia ejus præparata quæ ſummâ ſuâ diviſibilitate id habent, ut quâ ratione, quâ doſi ea exhibere velis, penès te ſit. Tonus verò Martialis in ejus ſulphure, ut cum Chemicis loquar, repoſitus eſt, quod quò majori phlogiſti portione gaudet, quò plus terreſtri defraudatur craſſiori reſiduo, eò magis tonicum, eò minùs ſtypticum eſt. Hinc roborando viſceri, non verò aperiendo, aut laxando atque ſolvendo infarctui, quotidianus aquarum Martialium uſus

conducit, quod quidem medicamentum ita quotidianis uſibus accommodatum eſt, ut nullam eo regionem caruere voluerit omnipotens. Hæ verò accuratè ſeligendæ ſunt. Aliæ enim volatilem, ſummè mobilem & ſummè moventem habent particulam, aëream quaſi, de quâ alibi jam egimus, quâ atoni quantùm exſuſcitentur nervi mirum eſt. Hæ, melancholico exiſtente humore, nocere plurimùm, imò & adaugere infarctus poſſe videntur, quibus ſublatis juvant; ſi à causâ tamen ſolida conſtringente & alligante, qualis eſt importunus mœror, ſemper redivivus, ſemper edens fœcunda malis viſcera, malum non debeatur. Aliæ ferrum ſali ſolventi unitum poſſident, quæ poſſunt etiam aperientium titulo imò & laxantium maturiùs adhiberi, morbo jam ad finem inclinante, nec abſoluto tamen. In tertio demùm genere, ſtyptico terreoque principio devincitur ferrum. Hinc adſtringentes atque ſtypticæ fiunt, & indè nullum hîc uſum invenire poſſunt. Priorum exemplum Spadanæ, ſolventium ſimul Paſſianæ ſuppeditant, quo in vico etiam ſtypticæ, ſeu tertii generis reperiuntur.

§. III.

De Melancholiæ Caput occupantis Curatione.

SI vaſa in cerebro & medullæ oblongatæ principiis mollia, facilè impulſui cedentia, nec ullâ donata vi elaſticâ, ac minimè partium vicinarum adminiculo ſuffulta facilem ſtagnationi locum præbere notaveris, diverſitatem aliquam in curatione ſibi vindicare humorem melancholicum

qui capitis interiora occupaverit facilè ſenties. Locus verò ſolus, non verò morbi natura variatam medendi methodum poſtulat. Craſſities ſemper debellanda, & ad aciditatem atrabilariam proclivitas arcenda. Verùm antè omnia operæ pretium eſt revulſionem à capite inſtituere. Hinc cùm morbi ſpecies venæ-ſectionem poſtulet, educendus ſanguis ab inferioribus partibus, aut ex poplite, ut aliquandò voluere Veteres, duce Aretæo, aut ex pede & ſaphænâ quæ hunc alluit, ut ex receptâ hodiè praxi commune eſt. Docuit enim experientia indè caput maximè ſublevari. Hæc conſtans, uniformis à Veterum ævò ad uſque noſtra tempora, plus apud me valet, quàm pravis fulta talis doctrina revulſionum theoretica. Cùm autem præcipua venæ-ſectionis efficacia indè pendeat, ut imminutâ reſiſtentiâ ſanguis faciliùs & liberiùs fluat, repulſuſque fiat à ramis ad truncos, ſubitò magnâ quantitate ſimul educatur neceſſe eſt, ita ut faciei pallor depleri etiam interiora vaſorum cerebralium arguat. Et ſi repetendam aut cauſa morbi, aut vires ſuadeant, eam minimis intervallis eſſe iterandam ratio ſuadet, modò ea admoveatur cautio, ne vires fatiſcant atque vaſa laxiora evadant; metus enim tunc eſt, ne non ſatìs ad ſe invicem appreſſæ partes globoſam amittant figuram, novâque coagulatione coaleſcant.

Hæc verò nunquàm non inſtituenda, aut ſi occaſio ſuadeat, repetenda eſt, ad præcautionem ſcilicèt quæ hîc in maximâ adhibendorum medicamentorum neceſſitate, ſummi facienda eſt. Etenim licèt eædem ſubſiſtant diluentium adhiben-

dorum indicationes, tamen elaterii in viſcere defectus, & præſentis ſtagnationis metus, faciunt ut hìc tardare malum ſit, moraque periculoſa fiat. Hinc Hippocraticis freti præceptis, ſi viſcera abdominalia ſana ſint, ſi homo aliundè integer, ad ea quæ corpus concutere poſſunt medicamenta, ſtagnantique per cerebri vaſa cruori ſtimulum inducere, convertimur. Verus hic locus datur vomitoriis vel potentioribus ipſique Veratro, præſertim ſi rebellis atque pervicax cauſa fuerit quæ caput affligit.

Enimverò concuti à vomitu cerebrum potenteſque ſuccuſſus in eum ab expiratorio nixu qui ſummam vomitûs partem conſtituit, ſi non probarent, & faciei rubor, & aurium bombus, & oculis affulgentes ſcintillæ, μαρμαρύγας vocant, demonſtrarent experimenta quæ olim circà hanc rem uniformia inſtituere Schligtingius, Hallerus, Lamurius, & ego poſt Schligtingium primus, tantis viris quantumvis impar. Quibus evincitur, vel leviſſimis reſpirationis nixibus parem conatum exerere partes omnes in calvariâ contentas. Hinc ergò diſcutiendæ intrà cerebrum ſtagnationi confert vomitus, ut & ſternutatio, imò & oſcitatio, & quæcumque actiones nixum expiratorium ſupponunt. Hinc in iis omnibus Melancholicis quibus cerebrum afficitur, modò abſit rupturæ metus, vomere confert, nec unâ vice tantùm, ſed quò pluries repetetur actio illa emetica, nixibus atque ingenti ſtipata molimine, eò etiam præclariùs cum cerebri infarctu agetur. Servatis tamen ſemper Hippocraticis de vomitu

& vomendi modo præceptis, nullâ tenuandis exceptione.

Nec minùs exanthlato vomendi negotio catharticis locus eſt. Non jam de eccoproticis agitur, aut alvum ſubluentibus. Fortiora adhibenda ſunt & ea quæ ſolvunt maximè, ita ut in ipsâ purgatione quædam quaſi reperiatur revulſio quæ ſi fortis ſit, experientiâ teſte, & pallorem imò & maciem inſignem & quaſi ſubitam inducit.

Notandum etiam hîc eſt quòd nuſquam alibi magìs manifeſtè quàm in vultu prodit vacuationis alvinæ exundantis effectus; etenim ſub evacuante fortiter alvum medicamento, faciei lineamenta fatiſcunt, oculorum nitor evertitur, & priuſquàm in aliis partibus vel leviſſimus exoriatur effectus, macilenta faciesapparet, & ita penitùs mutata, ut hominem vix agnoſci ſinat.

Nec metuenda eſt potentiſſima cathartico-rum ſolventium efficacia, qualis eſt eorum quæ à Veteribus commendantur. Nam ea uſque ad ſpaſmos, ut ex deſcriptionibus modò memoratis deducere eſt, ab iis adhibita ſunt. Præterea notandum eſt quòd, exerente in caput dominationem humore melancholico, quantumvis majora ſint & vehementiora mobilitatis phænomena, tamen adſit minùs ſenſilitatis illius regularis quæ externis reſponſat irritationibus. Adeſt contrà ἀπαθεία quædam & torpor mœrori quidem, ſed interiori conjunctus. Minùs ergò metuendum eſt à repetito ſuccuſſu quem hinc vomitoria repetita, illinc cathartica nimis aſſidua poſſunt inducere.

Præter hæcce remedia in quorum uſu præcipua Melancholiæ in caput decumbentis curatio conſiſtit, alia etiam cumulanda ſunt. Nuſquàm enim pervicacius malum quàm in vaſis mollibus & omni cedentibus impetui. In hac præcipuè Melancholiæ ſpecie prodeſt ex præcepto Cælii Aureliani, ægrum in loco lucido collocare, oculos variis oblectamentis diſtinere & divertere, fibras variis oſcillationibus quaſi perpetuò arrigere. Nocet his ſomnus protractior, Opio præſertim atque narcoticis concitatus, cùm ea ex Veterum doctrinâ caput impleant, faveantque ſtagnationi ſanguinis per vaſa tumentia. Cùm porrò narcotica in Melancholiâ humorali etiam nerveis ſtipatâ ſymptomatibus rarò locum inveniant, tum verò nunquàm uſurpanda ſunt, cum humore melancholico caput oppletur; morbum enim potiùs procreare poſſint quàm arcere. Hinc ab Opio in hoc caſu aut ſopor nullus, aut turbata chimæris atque monſtroſis figmentis inſomnia, undè quovis pretio vigilias redimere velint. Nec minùs verò remanent tremor, vacillatio artuum, morbique evidens augmentum. Frictione leni uniformi in caput raſum ſomnus ſi advocari poſſit, advocetur; cùm hîc rarefactio noceat, imò & intùs repulſi ſanguinis noxæ, poſſint ſtatim aliqua ſymptomata producere. Cautè mercandum eſt cum balneis, tepidis præſertim. Frigidis uti tutius eſt, quanquam virtus illorum condenſans atque ſanguineas partes cogens, minùs ad capitis vaſa pertingat quàm alia corporis quæcumque. Motu majori inducto, ſanguine condenſato, vaſis roboratis magìs proſunt, quæ ex

alto in caput ipſum fiunt embrocationes frigidæ, in hac noſtrâ Melancholiâ famoſæ. Quæ ſi quid externi prodeſſe poteſt, palmam hîc cæteris præcipiunt. Illæ tamen ſummâ cum cautelâ adhibendæ. Si enim vividior earum fuerit actio, nec tono vaſorum proportionalis, ea rumpere poſſunt & fiſſuras in iis facere lethales. Ingenti igitur arte opus eſt in frigidioribus illis adhibendis balneis, quæ nimioperè celebrantur, in immerſionibus capitis, in embrocationibus, ne dum roborare conſilium eſt, rumpere vaſa tibi contingat, dum ſanguis ad interiora calida confugit. Hinc mors inopina ſuccedit, ut bis accidiſſe vidi. Primò quidem in puellâ viginti annorum, quæ ſi caput exceperis, cæterùm ſana erat. Hæc à menſtruorum defectu in inſaniam verſa erat. Dum autem gelidâ aquâ immergitur per medium hyemale frigus primâ die gelu per omnem diem perfuſa eſt, & quanquam nihil in pulſu mutatum erat, tamen cutis ad tactum frigida erat. Noctu dormit: primo mane evigilata rursùs in balneum præceps agitur. In ipſo balneo ſummè debilitata eſt, & vultu nigricante & livido deformis. Statim à balneo perempta. Cadaver recens, rigidum à me inventum eſt. Aliquid ſeri effuſi intrà calvariam repertum. Alterum ſimilem ferè caſum in viro inſano non ipſe vidi, ſed narraverunt fide digni adſtantes. An ergò balnea frigida adeò decantata, ideò ex Melancholiæ cerebralis curatione repudianda ſunt? Certè cùm ſuperficiem corporis vaſaque per illam diffuſa ſummoperè arctent, adeòque ad interiora calidiora humores remeare cogant, pulmones gra-

vare debent, circuitumque inhibere per illorum ambitum; adeòque reditus ſanguinis per venas capitis, quas aquâ immergere impoſſibile eſt, obſtant. Hinc caput implent ſaltem pro tempore, ut ipſe teſtatur faciei livor. Nec quanquam à concuſſis nervis furor ingens ſæpè in Melancholiâ hac noſtrâ exoriatur, viderim quid ad hunc compeſcendum poſſint illa, cùm raro pendeat furor ab humorum rarefactione, ſæpèque contrà debeatur nerveæ debilitati & corporis exhauſtioni.

Idem ferè dicere licet de methodo illâ quâ aqua ex alto in caput profunditur frigidior. Nam quanquam non ſit animus negaſſe, quòd aqua illa ſubitâ vi immiſſa ex alto, reſolutioni faveat, ſæpèque ſtagnationi medeatur, certè efficacior eſt ad hanc adimplendam indicationem quæ aliquo calore perfunditur, cùm calor ipſe ad reſolvenda quæcumque tumefacta conducat plurimùm.

Nec eſt quòd dicant ſubitâ illâ & inexpectatâ ſenſatione ægrotantes ad ſe revocari, & quaſi ex ſomno expergiſcere. Nam mente ſuî non compote, nova ſenſatio errorem errori addit; nec vividâ impreſſione omnes fortiter moviſſe juvat; ſunt quos contrà dulcibus illecebris allicere oporteat. Quibus ergò quidquid vividum nimis eſt, officit. Raro ergò frigida illa balnea tale in corpus exercent imperium, ut mentem attingat, nec eſt quod ab iis ſæpiùs peractam curationem quivis allegare poſſit, ferè enim nunquàm profuiſſe vidi, niſi inſania à merâ ſanguinis rarefactione & humorum orgaſmo, brevis illa atque fugax pendere viſa ſit.

Multis etiam ſpes illa illuxit, ut humor me-

lancholicus à capite revelli poſſit & ſolvi, veſicantium emplaſtrorum ad ſuras applicatione. Cui quidem methodo manus dabimus, quoties cauſa ab iis remediis attingi poteſt.

Scilicèt ubi ab humore quolibet retropulſo melancholica labes ſanguini indita eſt, ſeu impetigo, ſeu intertrigo, ſeu ſcabies intrà ſanguineum laticem admiſſa, vitium effecerit; profuit ſæpè ulcera arte comparare quibus cauſa mali à partibus nobilioribus ad ignobiles amandetur. Imò & has humor ater aliquandò occupare viſus eſt. Tunc verò vicinia omnis emplaſtro ſubditæ partis ultrà modum turgeſcit, & ferè ſcirrhi in modum induratur, inflammationemque concipit. Sub epidermide in bullas elevatâ eſchara reperitur ſpiſſa, tenax, aſſiduò renovata. Margines duriores & quaſi calloſi aſſurgunt. Sæpèque ingenti partis per humorem rodentem depaſtû liberatur totum corpus à Melancholiâ.

Verùm ſolvente etiam vi cantharides agere poſſunt, quâ ſanguinis partes evidenter tenuant & ſolvunt; ſimul etiam languidioribus vaſis ſtimulum addunt, undè etiam nervis oſcillationem nata ſunt conciliare, quòd ut aliquandò nocivum, aliquandò etiam utile eſſe poteſt, adeòque artificiosâ Medici prudentiâ egent ut adhibeantur Dropaces, Phænigmi, Veſicantia.

Fatendum tamen eſt rarò in Melancholiâ confirmatâ prodeſſe illa poſſe, quæ in incipiente maximi eſſe præſidii poſſunt. Quid enim præſtare illa queant in varicoſis cerebri vaſis, in immeabili ſanguinis craſſitie, cùm acor totam invaſit maſſam, aut ita viſceris cujuſcumque penetravit

netravit ſubſtantiam ut quaſi jus civitatis adeptus ſit.

Tunc enim nihil aliud ſupereſt niſi ut ſpecificis ſolventibus res paragatur, ſimulque totius corporis mutatione ita universâ, ut nihil omninò priſtini habitûs remaneat. Solum vertere aiebant Veteres, id eſt, aërem, victum, mores prorsùs mutare. Tunc enim principia ſanguinis immutari funditùs neceſſe eſt, quæ quoniam in pejus abire non poſſunt, meliorari conſequens eſt. Nec mirum eſt melancholicos aliquos, dum per delirium homines peroſi, in montes atque ſylvas fugiunt, aëre aperto pernoctant, frondibus & ſimplicis herbæ victu utuntur, pocula præbentibus fontibus liquidis, ad priſtinam omninò ſanitatem fuiſſe deductos, ut Nabuchodonoſori contigit, & iis qui ex divitiis atque luxu dejecti ad feliciorem inopiam, laborumque anguſtias deducti, indè ſanitatem adepti ſunt, quam ſine iſtis conditionibus vel efficaciſſima reſarcire non potuiſſet medicina. In hiſce porrò vitæ mutationibus non ſemper lentè curatio procedit, ſed ubi jam dimidium virium recepit Natura, tunc ſui juris facta criſim accerſit, vel ad cutem, vel fluente atrâ materiâ per alvum. Sic quotannis aliqua criſeos ſpecies fit poſt hyemem primo vere, dum laxatis per calorem, ſolidorum habenis ſimulque tenuatâ liquorum mole, herbæ recentes vi ſaponaceâ bilem penetrant, eamque cum ingenti corporis levamine foràs amandant.

§. IV.

De curatione Humoris Melancholici in varias partes decùmbentis.

Humor melancholicus alias quoque partes præter memoratas occupare poteſt, imò ferè nulla eſt in quam deſævire non poſſit. Optimum quidem erit, & inter ingentia indulgentis Naturæ beneficia numerandum, ſi quandò ipſe ſibi viam per alvum atque inteſtina cudat humor niger, & ex corpore, facto impete prorumpat. Quantumcumque enim veneni vis ſæpè dum molitur exitum, ipſas per quas fertur partes, rodat & exulceret, tamen poſt tormina crudelia, poſt cruciatus enormes, dulcem pariet exacto certamine victoriam. Tunc verò nihil Arti ſupereſt, niſi ut gratuletur ægro, Naturæque vires admiretur. Simul verò vias & lubricantibus mucaginibus demulcebit, inviſcabit & quaſi vernicem obtendet eroſæ intimiori inteſtinali tunicæ, & quem mucum natura hîc locorum affudit, imitando æmulabitur; ſed ſive fræna Naturæ injicere præpoſterâ ſedulitate tentaverit, certam intentabit perniciem, felix ſi ingentibus auſis excidat: ſive morantem impellere Ars ambitioſa tentaverit, periculum ingens imminet, ne ſana cum ægris ſimul abripiat, & ordinem Naturæ ſuſdèque vertat. Stabit ergò ſpeculator Medicus, & in omne paratus ſubſidium, nec audax, nec negligens, & nunc fatiſcenti Naturæ vires, nunc irritationi lenimen afferet. Certamine autem pacato, fugatâque procellâ, corroborandis vaſis

atque cavendæ recidivæ, ex modò allatâ theoriâ totus intendet. Cùm autem viſcus aliquod invaſit humor niger, vel impetu facto & veluti criticè, aut ab unâ parte priùs affectâ, aut ab univerſo corpore in illam amandatur, vel in ipsâ poteſt naſci, foveri, enutriri.

Prioris exemplum tam in acutis morbis quàm in chronicis ſuppeditant, hinc anthrax, atque ſphaceli & ſyderationes partium in acutis ſubitò enaſcentes, indè verò cancri poſt longa melancholica ſymptomata producti, eruptiones, Elephantiaſeos ad morem poſt Melancholiam invadentes, partium indurationes, puſtulæque morbum ſolventes, quarum deſcriptio alibi fusè expoſita eſt.

Poſteriorem ſeu in ipsâ parte natam comprehendunt cancri ſcirrhis ſuccedentes, qui in ſanis hominibus quotidiè reperiuntur, & quibus avulſis peſſima illa atræ bilis ſpecies ſuccedit, quæ aciditate & acredine notabili vel ipſammet oſſium ſubſtantiam peredit, ſive in cute, ſive in glandulis quibuſcumque hæſerit illa. Undè duplex nobis curationis argumentum exſurgit.

Priori enim curandæ prima fuit indicatio, melancholicum ipſum humorem curare, cujus curationem jam expoſuimus. Et dum operoſam molimur ſanationem, intereà omni ope & operâ allaborandum eſt, ut ſi partibus nobilioribus impendet funeſta criſis, ab iis avertatur & transferatur in ignobiliores. Undè matura hìc cauteriorum & veſicantium applicatio requiritur, quæ ſi protinùs inuſta fuerint, ſummam ſæpè utilitatem attulêre. At diverſa eſt curandi methodus

ſi melancholicus humor, ſeu potiùs atra bilis in anthracis aut ſphaceli formam decumbat. Utut enim metuenda ſit criſis illa, tamen ſola illa ſupererat in atræ bilis motæ ſanandæ ſpem. Et ſi ſemel in partem tota ſimul depoſita fuerit, roborando partium afflictarum tono & reſarciendæ fluidorum craſi, maximè efficacem demonſtravit experientia Corticem Peruvianum. Non tamen ſpecificâ ullâ vi donatur ille quâ melancholicum humorem profligare atque debellare poſſit, ſed adversùs ejus inſultus firmiorem reddit vaſorum compagem. Hinc prima ejus actio eſt mortuum à vivo ſeparare atque ſejungere,dum jura Naturæ reſtituit. Ars verò ita illius virtutem dirigere edocet, ut ejus tinctura quaſi perpetuò intrà ſanguinem infundatur, nec hujus virtute vel unico temporis puncto vitale fluidum careat. Undè drachmam ejus ſæpè ſingulis tribus quibuſque horis cum ſucceſſu exhibent. Sed de illius virtute adeò fusè alii ut illi diutiùs immorari vix neceſſarium ſit.

Huc verò poſt Kinakinam cætera quæcumque antiſeptica locum inveniunt. Imò & virtutem Kinakinæ intendere queunt, ut ſunt Camphora, Balſama quæcumque quibus ipſa etiam cadavera à putredine præſervantur, Aromatica volatiliſſima, imò & præcipuè ſalia illa quæ tum volatili ſubtiliſſimâ parte juvant, tum etiam alcalicâ quâ acidi humoris melancholici vim infringunt. Tale eſt famoſum illud ſal volatile oleoſum Sylvii, exacto proximè ſæculo adeò decantatum.

Nec tamen omnibus antiſepticis ita promiſ-

cuam impertiit virtutem Natura, ut non illi hanc, hi alteram eminentiùs obtineant. Sic vigente inflammationis vehementiâ omnia urente, ex ſolis humectantibus, diluentibus, imò & ex ipſis acidis reperitur præſidium. Nitrum, Sal ſedativus, Liquor anodynus Hoffmanni, ſola ſunt quæ ex ſalinis hîc paginam implent.

Proximo loco Camphora uſurpabitur. Hæc enim licèt penetrabili vigeat fragrantiâ, nullatenùs tamen inflammat. Sed criſi jam factâ locum invenit Kinakina, dum exteriùs gangrænam condientibus, balſamis imò & cauſticis partem ita adurentibus ne ſerpat, in ipsâ ſuâ ſede adorimur.

Portus ſalutis affulget ubi limbus rubellus roſeus apparet, vique Naturæ ex profundo ad exteriora pus emergit. Hîc Amaris, Stypticis, adſtringentibus ad interiora locus patet. Tuncque vera evadunt Antiſeptica, ſæpè Cardiacis miſcenda, quæ ſcatent partibus volatilibus, fragrantibus, ſpirituoſiſque ſubtiliſſimis, cùm impurum virus in parte ſtagnans, vires totius corporis vulgò opprimat, atque prorsùs deſtruat halitu putidiſſimo.

Verùm ſi à chronicâ Melancholiâ criſis facta fuerit, vel partem unicam ſcirrhi formâ occupat, vel per partes diſſeminatur cruſtarum vel puſtularum formâ.

Scirrhi reſolutio impoſſibilis eſt. Verùm ſi reſolvi ſe ſineret, tunc ſæpè magno machinæ malo reſolutio illa tentaretur. Cùm humor noſter tenuatus quidem, ſed priſtinæ nondùm oblitus ferociæ ferretur huc & illuc. Occupatam ſic reſolventibus glandulam naſcentem vidiſſe memini. Hac

apparente corpus quod Hyſtericis, ut videbatur; jamdudùm convulſionibus laborabat, ab iis liberum & ſanatum fuerat. Glandulam poſt quatuor integros menſes remedia exegere. Rediviva eodem pede quo tollebatur glandula, ſymptomata jam graviſſima, jam certam minitantia perniciem, ſeram tentatæ curationis incuſſere pœnitentiam. Hinc quo gradu ſanantur hujuſmodi glandulæ, roborandum eſt corpus, aut ſaltem adversùs vehementiores humoris melancholici inſultus Cauterio præmuniendum eſt. Aliundè verò nullam aliam illæ ſibi poſtulant curationem, quam quæ ſimplicibus glandulis competit. Vidi felicem unius exitum, dum enim remediis illa plures per annos firma & ſtabilis præter ſpem auſcultat, innumeris fœdis & durioribus puſtulis cutis externa fuit infecta, quæ tamen tædioſo apparatu poſt quindecim integros menſes, tandem curatæ ſunt, nullis jam exiſtentibus glandulæ veſtigiis; nec caſum hunc puſtularum ſæviſſimarum ſanatis ſupervenientem obſtructionibus adeò rarum eſſe practici omnes Medici uno ore teſtantur.

Felicior ſcilicèt eſt exitus ille cùm non in interiora decumbit humor, ſed univerſa, aut ſaltem maxima cutis pars in ſe malum ſuſcipit. Onera enim diviſa minùs gravant. Importunus quidem angit pruritus, vexant vigiliæ, ſcabrities deformis cutis, vultum & artus dehoneſtat. Longa toleranda ſunt curationis faſtidia, ſed mors abeſt. His methodus curativa competit, qualem in Melancholicis deſcripſimus ſimplicibus.

Fugienda ſunt quæcumque irritare & inflam-

mare poſſunt in primo medelæ ſtadio. Balnea & tepida quidem cuti rugoſæ, fiſſæ & in cruſtas lymphaticas abeunti proſunt, longa illa & ſudore, ſi locus patet, excepta. Tum frictiones leves, quibus motus hærenti liquori & ad perſpirationem apto reddendo conciliatur, ſuadendæ. Aliquandò etiam mollibus oleis ungi profuit, modò non diutiùs cuti applicata relinquantur. Tum ſtrigili illa leniter abradantur. Laudantur interiori medicinâ carnes Teſtudineæ in juſculi morem decoctæ; his lenis mucago ineſt, & principia adſunt molliora, quibus mitigetur humorum acrior craſis. Sanguinem vulgari vocabulo *purificare* dicuntur. Emolliunt certè & humectando proſunt, verùm nunquàm aut Hellebori efficaciam, aut medicamentorum aliorum corpus vacuantium vim ſupplere valent. Idem eſto judicium de carnis Viperinæ eſu, quem ſuſtuliſſe elephantiaſim autor eſt Aretæus, ſed obſervatione nimiùm infidâ. Juſcula ex illâ confecta ſumant ægri, per me licet. Modò non illis obrepat error à Veteribus receptus, ſale ſuo volatili Viperas agere, quem nullum niſi concrematæ habent, ut cætera omnia animalia. Sed cum Virorum clariſſimorum ſuffragio fulta ſit hæc mea opinio, plus illis famæ quàm virtutis ineſſe, hanc fidentiùs proponam.

His tamen in caſibus melancholicis ad cutem liberato corpore prorumpentibus, ſine nullâ luis Venereæ ſuſpicione, curam inſigni ſucceſſu peregiſſe vidi ſemel, fruſtrà tamen in aliis caſibus tentatas frictiones mercuriales, lentè atque ſenſìm adhibitas. Nullum aderat nerveæ Melancho-

liæ veſtigium. Sanitas poſt eruptionem modò memoratam illibata perſtabat. Sola cutis deturpata. Inter utramque frictionem quies longa intercedebat. Longa fuit curatio, ſed malum penitùs abactum ſine ullâ aut Melancholiæ præcedentis, aut ſecuti morbi recidivâ.

Verùm ubi in parte ipsâ Melancholia naſcitur, longam ibi & jam à diuturno tempore contractam labem indicat. Imò ſi jam intùs radicatum concipi poteſt virus illud; indomabilis adeſſe debuit obſtructio, quæ remediorum reſpuat actionem, & ipsâ ſuâ corruptelâ ſine ullâ Naturæ vi colliqueſcit. Hinc eſt quòd Hippocrates dicat cancros illos occultos, medicamentis attingere nefas eſſe, ſed ſinendos eſſe. Nulla enim hìc *organiſatio*, ſed in parte verè ſcirrhosâ prorsùs illa deſtructa fuit; nulla hìc vaſorum oſcillatio. Et ferociſſima eſſe debet indè exorta materies, cùm craſſa per ſe & ſtagnando tenuata, jam per univerſum ſanguinem diſpergitur. De quo quidem conſentientes habebimus, quoſcumque horrore & formidine impleverit talium malorum aſpectus. Hic eſt ille quem ſine triſtiſſimo animi affectu nominare non poſſumus, uteri cancer mulieribus adeò deteſtatus. Hepatis, ventriculi, aliorumque viſcerum interiora ſi occupaverit, mortem facit maximè optandam, tardamque infelicium votis. His aſſidere, ille eſt Medici labor, de quo jure dicere poſſit Hippocrates ex alienis miſeriis proprias lucratur calamitates.

Hi ergò ſcirrhi jam corruptelam minitantes, quantociùs, ſi fieri poſſit, excidendi; antequàm veneni portio vel minima intrà ſanguinem irrep-

ſerit. Secùs ferro parcendum, ne occiſi ſpeciem ſubeat quem ſua ſors interemit. Si non poſſint excidi, quid poſſunt Artis ſollicitudines vaſorum organiſmo penitùs ſilente? Adſunt tamen quotidiè Ardeliones, qui quæſtum ex humanâ deſperatione quærentes, falſo nomine ſpecifica venditant, quibus fidem adhibere Medico indignum eſt, qui falsâ ſpe ægros lactare non debet. Si tamen molem hanc concretam reſolvendi ſpes aliqua affulgeret, quærenda certè foret ex alcalicis medicina. Sed cùm hac de re plures doctiſſimi Viri fuſiùs egerint, nihil hîc ampliùs addemus. Cùm jam tractata ſub noſtris obſervationibus miteſcere poſſe deſperemus.

Nec ſpero apud verè dogmaticos Medicos, nobis deerit excuſationi locus, ſi hac in exponendâ curativâ methodo, nullatenùs in tot ſpecificis inſudemus quæ ad varias hujus morbi noſtri ſpecies ab Autoribus etiam Medicis propoſitæ fuêre. Hæc enim & à rationali methodo quam ſolam ſectamur, aliena ſunt & experientiæ teſſeram non obtinent. Repudianda igitur & à foro Medico in perpetuum exilium abigenda ſunt.

CAPUT IV.

De Curatione Morborum melancholicorum, novo nomine diſtinctorum.

Ubi ſemel humor melancholicus ita veteraſcendo invaluit, ut jam fixam firmamque ſedem obtinuerit, nullâ ratione ejus natura mutatur, ſed tunc varia ſortitur nomina, nunc à ſede quam occupat deſumpta, nunc à præcipuo quo diſtinguitur ſymptomate. Sic ſi uterum occupaverit, affectionem infert hyſtericam. Si rationem penitùs conturbet, Mania vocatur; ſi corpus languidum marceſſat, Phtiſis aderit melancholica. Demùm ſi regreſſu per venas præpedito, aqua exundet undequâque, fit Hydrops. Duplex ergò indè apparet conſtituenda morborum horumce claſſis. Alii ſcilicèt ab eâ nullatenùs diverſi ſunt, alii ab eâ pendent tanquàm causâ, ſed ab ipsâ reverâ differunt. Undè curationem eorum ſatagentibus inſtituere alii ab aliis ſummè diſtinguendi ſunt. Priores enim vix aliquid à Melancholiâ diverſum ſibi vindicant. Poſteriores verò ſibi methodum peculiarem deſtinatam tum cauſæ, tum effectui poſtulant. Hinc nobis articuli duo naſcuntur, paragraphi plures.

ARTICULUS PRIMUS.

De Curatione eorum Morborum qui nomine tantùm à Melancholiâ abludunt.

§. I.

De Curatione Affectionis Hyſtericæ Humoralis.

QUAMVIS hujus affectionis ſymptomata ferè eadem ſint atque ea quæ Affectionem hypochondriacam comitantur, tamen ut cauſâ ſic aliquibus effectibus differt. Cauſa enim ſemper eſt uteri muliebris gravamen. Effectus, coxarum atque lumborum dolor aſſiduus, conſentiente hypogaſtrio, in quo pondus ad inceſſum adeſt, non ſine cruciatu per intervalla apparente.

His nigrorum exitus levamen affert, imò & aliquandò ſolutionem, quæ ſi non fiat, meritò timetur miſeris cancer uteri.

Hippocrates qui hoc morbi genus deſcripſit, mixta antiſpaſmodicis fœtidioribus quæ vulgò antihyſterica vocantur, purgantia valentiora præſcripſit, ut Cyclamen & Peplion, quæ certè exprimendo utero, & ei vacuando apta haberi poſſunt.

Nos verò timidiores & præſertim mulierum noſtrarum infirmitatem meritò exhorrentes, laxationem vaſorum & humoris mitificationem antè omnia magno apparatu molimur. Nec niſi jam fluente materiâ reliquias ejus à tergo per

Cathartica ſectamur. Hinc balnea, ſemicupia; exteriùs; interiùs verò laxantia ſaponacea maximam curationis partem implent. Adjungi tamen his antiſpaſmodicum ſæpè poſtulant horrenda nerveæ Affectionis aut complexæ, aut à noſtrâ naſcentis ſymptomata; hoc ex fœtidis & volatilibus petitur, & ſi ſymptomata illa nervea ceſſent, utilitatem jam nullam habet. Cautè verò admodùm ſuſpensâ manu, nec niſi cum timore purgantia uſurpantur, & balneis tantùm adminicula præbentibus.

Verùm cùm niſi ſolutionem ſumat per nigrorum excretionem morbus noſter, ſoleat in infandum atque miſerrimum morbum, Cancrum uteri vocant, abire, efferato ſcilicèt atque ipſam uteri ſubſtantiam & indurante & deſtruente malo, longâ ſæpè pernicie, miſeriſque cruciatibus, quibus compeſcendis vel ipſum opium inefficax ſit, familiare eſt omnibus ferè Practicis ut ſimul atque, præcipuè versùs finem ætatis quâ menſtrua deſinunt, eminet uteri gravamen aſſiduum, coxarum atque lumborum dolor, ad ſuras, imò & talos uſque protenſus, mœſtitiæque atque animi terror; tunc inurant cauterium unum aut alterum, quibus revellatur humor ab utero, & ad ignobiliores partes amandetur, Veterum inſtituta ſecuti, qui vel in ipsâ phtiſi ſimilia inurebant cauteria. Verùm in imminente morbo quæ proſunt illa, nocent ſi jam conſtitutus ſit. De viribus enim non de malo demunt, quod omnibus cauteriis multò potentius eſt.

§. II.

De Curatione Maniæ Melancholicæ Humoralis.

Antiquissimis Autoribus Mania pro Melancholiâ habita fuit. Undè etiam Cicero, L. III. *Tuſc. Quæſtionum*, Latinos ait eam affectionem Furorem appellare, quam Græci Melancholiam. Quamvis verò rem nimis extensè Orator ſumpſerit, tamen ipſi Tralliano nihil aliud eſt Mania quàm extenſio Melancholiæ ad majorem feritatem. Hinc ſi rem autoritate dirimendam ſuſcepiſſemus, inutile foret de Maniâ melancholicâ vel verbum agere. Qui unam exegit, alteram videtur exegiſſe. Verùm & non omnes Maniæ ab humore atro pendent, ut alibi diximus, & non omnis Melancholia furoris nomen habere poteſt (*a*). Hinc ergò licèt Tractatio noſtra de Melancholiæ curatione curationem etiam Maniæ hujus, de quâ agimus, comprehendat, ſpectanda ſuperſunt quæ competunt ipſi ſoli. Non enim ſemper à gradu mali, ſed à ſpecie fit homo Maniacus; cujus ergò deſinentiæ cauſa ab ipſo corpore repetenda, quod ubi ſigna dederit, ſive hæreditatis jure, ſive præviis ſymptomatibus, ſe pronum in Maniam abire, præmuniendum eſt. Ubi miſerrimè ægrotaverit, compeſcendum atque ſedandum eſt. Ubi verò in ſanitatem revocatum fuerit, à metu recidivæ ſi fieri poteſt,

(*a*) Legatur hîc illuſtr. Morgagni Epiſtola *de Maniacis, Melancholicis* Operis nuperrimi Octava Lib. I. Quod Opus venerandi Viri eximium nondùm erat advectum apud nos cùm hæc ſcriberemus.

liberandum. Tria enim hæc peſſimæ huic Melancholiæ conveniunt præter ea quæ reliquis ejuſdem mali ſpeciebus conferunt.

Præmunire corpus adversùs inſaniam imminentem ſæpè admodùm difficile eſt. Cum prædiſpoſitio illa corporea, præſertim ſi hæreditatis infortunio connata, ipſis nativis ſtaminibus altè infixa ſit. Tunc omnis in eo cura reponitur ut avertantur cauſæ quæ humorem melancholicum poſſunt corporis conditioni ſuperaddere. His præſertim ſacrum eſt axioma illud, *Ne quid nimis.* Hos aut negotiis implicare quæ affectus animi moveant, aut nimis magnis motibus exercere nefas. Roboranda ſunt ſtamina præſertim aëris mutatione, exercitio levi, non agitante. Aër purus, non nebuloſus, montanus iis præcipuè conducit. Flecti facilis indulgentia ratione tamen moderante ne in abſurda præcipites ruant, adhibenda; præcipuè verò præceptoris hæc eſto cura, ut ſtudeat quâ parte ad furorem inclinet animus illi commiſſus, hancque præcipuè temperare ſtudeat, non minas aut verbera intentando, ſed oppoſitarum virtutum laudibus, ſed avertendo ab iis quæ poſſunt propenſioni pondus addere. In hoc verò ars conſiſtit ut vis illata non ſentiatur, ne indocilis animus negata occulto ardore concupiſcat. Præcipuè verò ipſi de inſaniæ metu, ſedulò vitandum eſt ne aliquis imprudentiùs loquatur, cùm nihil plus animos poſſit proſternere, quàm ſeſe inviſum atque ſuſpectum reputare.

Cùm verò triſtes animi affectus huic inſaniæ ſpeciei procreandæ aptiores cæteris ſint, ſi præ-

ſertim inexpectati & percellentes, hos ſemper arcendos ſuadet prudentia. Sed nulla ſæpè cura poteſt humanas præcavere calamitates. Effectus ſaltem compeſcere poſſumus diſpoſitioni corporeæ contraria adhibentes, nunc venæ-ſectionem, nunc laxandis fibris idonea, nunc an-antiſpaſmodica; rarò verò narcotica, quæ ſimul inebriantem vim atque rarefacientem fluidorum præ ſe ferunt.

Generatim omnibus iis quos ad inſaniam pronos noveris, alvus libera ſervanda, ne concipiat acredinem intùs cumulata bilis, ne turgeſcat acri materie abdomen, aut circuitus per venam portarum ſanguinis præpediatur. Menſtrua fluant debito tempore & ritè in fœminis. Verùm tum ad alvum movendam, tum ad menſtrua provocanda, ab irritantibus ſummâ curâ abſtinendum. Balnea contrà, ſemicupia, fomenta hîc maximi ſunt usûs, oleorum etiam molliſſimorum apud Antiquos, & præſertim Arabes, teſte Avicennâ, maximus fuit uſus.

In genere verò, quoniam ad Maniam ipſammet ab humorali causâ pendentem, ut plurimùm requiritur diſpoſitio in nerveâ atque ſentiente parte, omnia proſunt mitiùs adhibita antiſpaſmodica ex eorum genere quæ roborando agunt. Nec non & proderit fibras maturè roboraſſe equitatione, natatione, ſine tamen ullo metûs concuſſu, tum & frequentibus aëris mutationibus & delectante variorum objectorum mutatione, qualis per itinera conciliatur ſanitatis causâ ſuſcepta, modò pericula devitentur, tum quæ vera ſunt nec efficta, tum quæ ſibi nimiùm vivida

fingit imaginatio. Nec in ipſis Litterarum ſtudiis abſtruſiùs immorandum aut inquirendum. Cùm ea quæ fortiùs animum occupant atque diſtinent, ad fanatiſmum & enthuſiaſmum devehant, nec raro evenit ut nimiâ Poëticorum Operum admiratione aliqui inſaniam contraxerint. Sæpè lenimen ingens mali attulit Muſices ſtudium (*a*), quæ nervis amicam ſonat homotoniam, & regit errantes, modò compeſcendo animo idonea, modò apta diſcutiendo torpori. Præcipuè verò ſemper iis recta ratio antè oculos cum aliquâ alacritate ita ponenda, ut eam quoquoverſùm ſe vertant, ſemper objectam reperiant, nec ab eâ diſcedere fas ſit. Inhumanum verò foret & cordato viro indignum, miſeros contemptu proſequi, illiſque opprobrium infligere, nec aliquid magis ipſos ad inſaniam adigit, quàm ſenſus ille qui eos de propriâ exiſtentiâ verecundos facit & erubeſcentes.

Hæc autem agendi norma non ſolùm in prædiſpoſitione ad morbum ſervanda eſt, ſed etiam in imminente morbo & per univerſum ejus decurſum tenenda eſt. Quod enim mihi aliquis fide dignus, ſi qui in talibus præter Medicos fide dignus foret, narravit vidiſſe ſe Rectorem agreſtis Parœchiæ, (Curatum vocant) ſolitum inſanos quoſcumque ad ſanitatem revocare fuſtibus, verberibus atque jejuniis, ut pueros inſtituebant Perſæ, teſte Xenophonte, certò aſſeverare poſſum nullâ tamen experientiâ fretus, quòd ille hac

(*a*) Α᾽ριςὸς εὐφροσύνα
Πόνων κεκριμένων
Ι᾽ατρός. αἰδε σοφαὶ
Μοισᾶν θυγατέρες ἀοιδαὶ
Θέλξαν νιν ἀπτόμεναι.
Pindar. Nem. 4.

ratione

ratione non omnes perduxerit ad ſanitatem, imò & ſimpliciter Maniacos hac methodo acutiùs ægrotaſſe, teſtantur etiam ii qui incluſis per vim & vincla recuſantibus aſſidere coguntur.

Sed jam morbus imminet, jam non obſcura ſuî dedit indicia. Plures tamen inſani delirio corripiuntur protinùs. Una omnium vox eſt tum Methodicorum, tum Dogmaticorum, tum Empyricorum pertundendam eſſe venam. De ejus delectu differunt inter ſe; pro ſede morbi tamen varianda eſt. Generatìm eam quæ in fronte patet, plures poſt Aretæum ſelegere. Hanc Mediam Veteres vocavere. Recepta ſuo tempore praxis fecit ut Juvenalis exclamaret: *Mediam, Medici, pertundite venam.* Hanc etiam Trallianus commendat & Arabes. Haly-Abbas tamen Arteriotomiam quâ temporalis arteria ſecatur prætulit, ita etiam ſentiente, ut videtur, Galeno. Res tamen multùm differt, nam ſanguis paucus, ſed affatim ex arteriâ prorumpit. Stillare poteſt multus, ſed paulatim ex venâ frontali.

Hac venæ-ſectione peractâ, cucurbitas, nunc omoplatis, nunc cervici, nunc ad hepar aut lienem affigebant. Nos verò niſi cauſa aliter ſuadeat, ſanguinem è ſaphænâ pedis, aquæ præſidio calentis, ubere copiâ educimus. Non ſemel, ſed bis & ter, & ad libras integras extrahimus affatim. Nec multa viribus tribuimus: præclarè cum ægris agi autumantes, præſertim ferocibus, ſi debilitate inductâ vires importunas fregerimus. Verùm ſi dicere fas eſt quod mihi ſedulum hujus nimiùm repetitæ examen extorſit, nec contradicendi ſtudio natum, nec ullius præ-

conceptæ opinionis favore obſcuratum, nunquàm has juvare vidi venæ-ſectiones, niſi pro causâ evidenti plethora fuerit. Imò nocuiſſe aliquandò crediderim. Fruſtrantur enim viribus ad toleranda remedia neceſſariis ægri. In nerveâ Melancholiâ quid poſſit venæ-ſectio, alibi dictum. In Melancholiâ humorali, mutanda ſanguinis compages, venæ-ſectione mediocri laxanda vaſorum ſtrictura, ventilare ſanguinem aiebant Veteres, non exhauriendæ venæ.

Admiſsâ igitur in ipſo morbi initio venæ-ſectione, tum ne plethora aliqua lateat, tum ad revellendum, ab iis quas impetit partibus, humorem, imò & quia laxatis vaſis, minùs ingruit à vehementi medicamentorum concuſſu periculi; nec eâ per morbi decurſum repudiatâ, ſi videtur eam requirere remediorum adhibendorum vis, ab eâ pro tempore ſaltem ceſſandum puto; præparat enim ad alia, non curat. Si revellentibus opus eſt, fomenta ad partes oppoſitas, hirudines ad cutem dum ſanguinem lentè avehunt, balnea pedum, frictiones, & neglectæ nimis hodiè cucurbitæ, adeò vel ab ipſo Hippocrate decantatæ, adhibendæ, repetendæ & quotidiano uſu applicandæ, ut morem mos vincat, novaque inducta conſuetudo priſtinam deſtruat.

Laxato per venæ-ſectionem vaſorum ſyſtemate, cauſæ rationem habebant Veteres, ſeu potiùs ſedis quam invaſerat humor melancholicus; generatìm tamen ex laxantibus & humectantibus, tum victu, tum medicamentis præparatio ad majora conſtabat. Hinc decocta Borraginis, Bugloſſi, Endiviæ, Sonchi, Taraxaci, Cichorii, Cetherac,

additis floribus Violæ, Nympheæ, methodum implebant. Aliquandò ſi hepar aut lien humori ſedem aptam præberent, addebant amara fortiora quibus pluries in die uterentur ægri. Potus erat ptiſana ſimplex, nec vino utebantur. Carnes juniorum animalium ſi vires ita ſuaderent, permittebant. At ceſſabat carnium omnis eſus triduo antè purgationem.

Balnea adhibebantur mollia, quies ingens; aër purus, cameris retinebatur æger vaſtis, ab omni immunditie & ſordibus ſecurus, quam munditiem præcipuè commendat ad cautelam Cælius Aurelianus, qui etiam parietes dealbatos vult oculis objici. Tum concentibus Muſicis, blandis amiciſque colloquiis, & quæ iis maximè placuiſſent dum ſani vegetique fuerant, ægros præcipit delectari. Imò & pluribus deambulatio lenis conceſſa fuit per amœna, opaca, humidiora virideta. Aërem locorum quos habitabant floribus & frondibus, Salicis, Sambuci, Viticis ſeu Agni caſti, purum ſervare edocuerant, imò & frondibus ornare cubilia, quæ omnia ex veteribus Medicis paſsìm deduces.

Addidêre Recentiores plurima non contemnenda; ſerum lactis, verno præſertim tempore quo ſale plantarum turget recenti, nitrum quo non aliud præſtantius medicamentum, ſedare, compeſcere, & humorum moli refrigerium inducere. Addidit Hoffmannus præſtantiſſimum illud Guttarum anodynarum munus, cujus maxima eſt ad ſedandum efficacia, & ad motus irregulares machinæ compeſcendos, ſi debitâ doſi uſurpetur. Antè illum gratâ aciditate acidi vitrio-

lici utebantur, teſte Sennerto, quem non libenter in acido morbo adhiberem. Nec toto hoc tempore, niſi turgeret ad exitum maturus humor, purgante corpus vexabatur. Teſtes hìc appello Hollerium, Duretumque Scholæ Pariſienſis magna illa lumina, niſi forſan aliquandò Epithymi drachmæ tres, ſecundùm Trallianum, ex ſero lactis, aut lacte ebutyrato propinarentur.

Hinc certè ſi naturam morbi luſtremus attentiùs, patebit non ſemper è ratione eſſe, ut ſtatim à venæ-ſectionibus, antimonialia vomitoria propinentur. Verumtamen conſentientibus Hippocrate & Galeno, circà Helleborum, imò & Aretæo atque Tralliano in morbo ſubito erumpente, aliquandò methodus hæc poſſit & morbum & cauſam morbi avellere & jugulare, credebant enim Antiqui, atram bilem ſubitò efferatam protinùs poſſe ſanari. Licèt etiam minor requiratur præparatio ad purgationem in inveteraſcente Maniâ, ut notavit Trallianus, tamen exigua eſt utilitas Catharticorum maturiùs adhibitorum, imò, ut notat Autor Libri *de Veratri uſu*, metus eſt ne per hanc praxim nil de malo detrahatur, colliqueſcant verò ſana, undè morbo nova vis, vitæ verò debilitas nova inſpiratur.

Nec verò magis à naturâ & cauſis mali ſentitur, cur & undè gelida illa balnea, quæ vulgò inſanis poſt venæ-ſectiones atque vomitorii purgantis uſum, non ſine ingenti reluctantis ægri concuſſu adminiſtrantur. Jam quid de illis atque embrocatione in caput cenſeremus, alibi dictum. Hìc autem Medicos omnes interrogare licuerit, quot ab illis ſanatos viderint? Caſum verò ſa-

natorum perpendi velim. Sed procul eſto nimis univerſalis medicamentis tum rejiciendis, tum admittendis regula. Saltem nullus erit qui methodum hanc frigidorum balneorum omnibus inſanis applicandam contendat, & qui non in tenſo atque ſpaſmodeo homine, humoribus craſſioribus, infarctumque minitantibus per molles viſcerum meandros, tepida balnea frigidis, ſemicupia integris non prætulerit.

Sed jam ingens remanet, ad quod cætera omnia collineabant, purgationis negotium. Jam verò de eo aliundè actum, ubi de Melancholiâ agebamus, verba igitur addere inutile eſt. Repetere purgationes non ex Helleboro nigro tantùm, ſed etiam ex Veratro artis eſt. Vires ponderandæ. Inflammationis metus venæ-ſectione arcendus. Sed is in catharſi ſcopus proponitur, ut à nervorum origine excutiatur hærens acrimonia, ut totum penitùs mutetur corpus, & quod valentibus illis purgantibus proprium eſt, univerſa humorum moles colliqueſcat.

Tria tamen ſtadia purgationis diſtinxit in hoc morbo Sennertus, quorum alterum ſingulis diebus in alvo liberâ ſervandâ occuparetur, alterum fortius eam aliquâ vi ſingulis hebdomadis ſubduceret, vehementiſſimum verò cum vi mochlicâ ſingulis adhiberetur menſibus. Verùm ab uno ad alterum menſem nulla exiſtit proportio, nulla correlatio. Undè ut celeriùs atque vividiùs egiſſe videntur Veteres, iis etiam adſtipulamur. Nec ulla nobis alia ratio habenda videtur, præter virium atque præparationis, quam è laxantibus balneis & antiſpaſmodicis totam conflari, jam

ſatìs ſuperque indicavimus. Generatìm verò nulla univerſalis regula ægri temperie & malo incognitis ſtatui poteſt, ut & non ſine ſummo erroris diſcrimine formulas exſcribere licet. Nunc enim purgantia cardiacis, Veterum in morem, ad vires ſuſtentandas maritanda ſunt, nunc ad Hippocratis & uberiùs Galeni exemplum, antiſpaſmodicis mitiganda eſt vis eorum in nervos. Nunc deferendus eorum uſus, ut poſteà ad illa acriùs redeamus. Nunc pulveris, nunc boli formâ, ſecundùm Aetii & Pauli methodum, ſumuntur illa, nunc pomis incoquitur Helleborus, aut radiculis ſeu rapis Galeno jubente. Uno verbo, nulla eſt quæ exceptiones non patiatur methodus.

In univerſum tamen nihil nos prudentiores atque magìs cautos in uſu purgantium ſervare poteſt, quàm complicatio inſaniæ nerveæ cum humorali. Ab unâ ad aliam ſapiens Medicus deflectet, ne hanc aut illam negligat, aut dum uni prodeſt, alteri noceat: ſimulque ita activitatem Hellebori moderabitur, ne motum humor efferus concipiat, & ſalutare conamen in atram dyſenteriam deſinat. Nec minùs cauſæ quæ humores ad atram bilem deflectere coëgerit invigilabit. Nunc hæmorrhoides per hirudinum applicationem vacuando, nunc per aloëm ſollicitando. Nunc verò veſicantibus, aut rubefacientibus emplaſtris applicatis retropulſos Herpetes, eryſipelata ſuppreſſa, aliaque hujuſmodi quæ in cutem effloreſcere nata forent, ad nativas & innocuas ſedes revocabit. Profuit etiam in ſuppreſsâ ſcabie eam per inſitionem revocare: imò & videtur

illa pro remedio habita fuiſſe, quæ anteà non extiterat.

Verùm ſi ea te non inceſſit audacia, ut Veterum veſtigiis inſiſtens, Veratri jura reſtituere non reformides; adhibendi Epithymi, Aloës, Scammonii, Lapidis Lazuli; Armeni tibi exempla præbebunt Aëtius, Paulus Ægineta, Trallianus, aliique ex Græcarum Scholarum ruderibus redivivi Medici; Arabes præcipuè qui dum purgationi inſiſtunt, ſuſpensâ tantùm manu Veratrum ad medicos uſus vocavêre. Scammonium, Aloës, Cyclamen ἐνιαύσιον, Hippocratis ſi adhibueris, ſi ex antimonialibus mochlica, iis eadem eſto regula, eadem competant præcepta.

Duo tibi tantùm antè oculos obverſentur. Corpus ſæpiùs concutere & humorum molem liquefacere. Hinc factum ut in hodierno uſu cætera omnia remedia eviluerint; nullumque aliud remedium propinetur ægris, præter Tartarum illum ſtibiatum, qui vomitus parcâ doſi concitat, parciori verò alvum movet, indèque ſolvens optimum nuncupatur, quòd urinas ſimul, ſudores ſimul provocet. Et certè niſi in Helleboro ſpecifica vis ad Melancholiam ſolvendam lateat, medicamentum illud cæteris omnibus anteponam.

Sed in eo deficit methodus, quòd parcâ & ſuſpensâ nimis doſi, nec ſatìs repetitâ, offeratur. Eandem crediderim methodum inſaniæ competere, quam quæ colico dolori Pictonum; hac obſervatione fretus, quòd viderim ſuppreſſos illos colicos dolores in inſaniam ſemel abiviſſe, nec liceat ipſa illius doloris tenax atque pervicax natura ipſum à melancholicis morbis eximere,

teſte Huxhamo, nunquàm ſine laude vocando.

Ut autem audaciùs atque fortiùs medicamenta inſanis propinemus ſuadet ipſe eorum corporis ſtatus, quod quaſi ſentiente parte avocatâ ferreum eſt, & vix ad alia mobile. Ferinum factum eſt illud, & ea & perpetrant & patiuntur inſani, quæ vix per ſe innocuè pati poſſit illorum natura, frigus, famem, verbera, lora tolerant. Vociferantur ſine ullo intervallo & ejulant ſine ullâ intermiſſione per menſes integros. Dupla, triplaque doſis vix in eos agit, quæ alios ad extremas ageret anguſtias. Hinc inveſtigando ea invenienda eſt doſis quæ unumquemque eorum commoveat & ſolvat funditùs.

Prætereà verò rationi & experientiæ concors eſt veterum Medicorum autoritas, præſertim verò Hippocratis atque Galeni, qui nunquàm hæſitanter, nunquàm timidè in iis ſe geſſerunt, ſed vehementiùs ἁδροτερῶς melancholicos quoſcumque vacuandos præſcripſere. Unica tantùm Medico cautela incumbit, ut diagnoſim morbi rectè inſtituat. Noxium enim foret eos qui inſaniâ tantùm nerveâ laborant, ab humore qui non exiſtit melancholico liberare velle : aut eos ita vexare, quos atomi paucæ peſtiferæ, ut herpetum, ſcabiei, luis Venereæ intrà humorum molem in viſcus aliquod depoſitæ ad inſaniam adegere. Sed viro prudenti & ſingula ponderanti, erroris ille metus nunquàm poterit obrepere.

Nec obeſt methodus illa quin ſymptomatibus à morbo diverſis obviàm eatur ſi quæ emerſerint : quanquàm à cauſarum externarum impulſu ſua inſanos faciat immunes ab omnibus alienatio,

ita ut inſani, teſte Diemerbroeckio, vix graſſantis luis peſtiferæ & per dirum ſerpentis contagium pericula ſubeant, nec aliundè mania vetat, quin alia quævis remedia cum propoſitis concurrant.

Sed ubi jam ſalutari methodo proſtrata, ablata, vacuata eſt morbi materies, dimidium tantùm facti habemus. Remanet ad inſaniam diſpoſitio, quæ tollenda, ſi enim non removetur illa, fruſtrà recidivam præcavere tentaveris.

Huc autem lyncæis oculis, ſeu potiùs exquiſito utendum eſt judicio, ut cauſis jamdudùm in caput deſævientibus occurratur. Jam enim non agitur de inſaniâ, ſed de causâ hujus prædiſponente. Hinc de eâ tollendâ ſatagentibus revocandus huc foret univerſus Medicinæ ambitus. Artem jam callentibus loquor, undè ſaltem liceat ad Autores qui de cauſis morborum fugandis egerunt, præcipuè magnum Boerhaavium amandare.

Verùm ad omnes æquè caſus pertinet attentio quâ expulſo malo fibris atque fluidis ab inſaniæ inſultu fatigatis opitulamur. Illis ut roboratæ tonum proprium recuperent, his verò ut fluidum Naturæ tenorem ſervent.

Prioribus ergò eadem conveniunt, quæ roborandis à Melancholiâ nerveâ reſurgentibus conducunt, cautè tamen in uſum revocanda, & depulsâ prorsùs Melancholiâ. Secùs timendum eſt ne humor efferus fiat & in Melancholiam motam abeat. Huc referuntur Mars & Martialia omnia præparata, cæteraque quæ roborantium & tonicorum titulo celebrantur antiſpaſmodica.

Nec verò eodem in ſtatu, ſcilicèt victo atque debellato humore melancholico, ſua etiam medicina fluidis non competit. Undè diuturnus aquarum levium acidularum Martialium uſus pro potu ſæpè omnem recidivæ metum ſuſtulit. Has verò præferendas crediderim Thermalibus quibuſcumque, quas tamen Antiqui roborantium titulo videntur ſub finem morbi commendaſſe. Hæ enim dum activitatem nimiam exerunt, oſcillationeſque nimias inducunt, dum liquida rarefactione inſigni turgere faciunt, ſæpè, ut Veterum more loquar, caput implent, fatuitatemque inſaniæ ſuccedere cogunt. Saltem ſi uſurpandæ ſunt illæ, maxima habenda eſt attentio, ne aliquid intrà corpus lateat priſtinæ labis reſidui. Nocere enim tunc debere ex ipsâ expoſitâ theoriâ patet.

Uno verbo demùm, recidivæ metus eaſdem omninò cautiones indicat, quas ad præcavendam diximus eſſe invocandas. Hinc vitæ animique tranquillitas, hinc ab affectibus vacatio, hinc medicamentorum quorumcunque actuoſorum fuga, balnea, nec gelida, nec calentiora, vere præprimis, quo tempore ſæpè reviviſcit furor, omnem cautelarum nimis ſæpiùs inutilium circulum comprehendunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Morbis ab Humore melancholico degenere pendentibus.

Ubi melancholicus humor per criſim ad externas partes vi Naturæ abactus eſt, fortior certè illa fuit quæ tantum hoſtem debellavit natura, debilius verò venenum, quod dominatum in corpus non obtinuit; hinc licèt ſæpè ex ipsâ ſui exilii ſede perniciem corpori minitentur, Elephantiaſis, Scirrhi, Sphacelus, tamen eos vinci aliquandò & profligari præcedentes paginæ probaverunt. Verùm anguſta ſpes eſt poſſe in priſtinam revocari integritatem corpus, quod ita ab humore melancholico peſſumdatum eſt & quaſi proſtratum, ut functiones ad vitam maximè neceſſariæ labefactentur. Quid enim? Factos jam & altè impactos infarctus vel in abdominalibus, vel in thoracis viſceribus latere demonſtrat hydrops Melancholiæ humorali ſuccreſcens; jam verò omnia prorsùs actione naturali deſtitui phtiſis indicat. Undè vix poſſit deficiente Naturâ Ars nova miniſtrare adminicula. Liceat tamen præcepta quædam de hydrope & phtiſi melancholicâ ſanandis ponere. Dein per ea quæ motus & efferus morbus noſter indicat, opus propoſitum abſolvemus.

§. I.

De Hydropis Melancholiæ humorali ſupervenientis curatione.

Licet aquâ omnia exundent & quaſi ſubmergantur, remanet tamen cauſa morbi intùs, magma craſſum, terreum, vaſa infarciens, & ipsâ ſuâ duritie quâ velut è craſſo caſeo ſerum exprimitur, fit indomabile. Et certè non video ſi Helleborum forſanque & Scammonium, & alia excipias, quæ ſimul purgant atque ſolvunt, quid Arti ſuperſit peragendum. Quæcumque enim ſiccant, liquoreſque exhauriunt, craſſitiem melancholicam adaugere nata ſunt. Ex alia verò parte ſi quæ tenacitati melancholicæ reſolvendæ apta ſunt, admoveantur, metus eſt ne corpus totum diffluat in aquoſam colluviem, aut ſtimulante horum acrimoniâ, nec deficiente acri nativo, rodantur atque rumpantur vaſa. Hinc in præcipiti poſitam ſortem ſuam lugere debet Medicus; cui tamen ex ægri temperie, ex vetuſtate morbi, ex viribus præſentibus augurandum eſt ad quam partem deflectat, nunc exundantem aquam vacuaturus, nunc ad craſſitiem melancholicam debellandam ſe vertens. Utramque tamen virtutem aliquo modo obtinere valent ſucci plantarum recentes, ex earum præcipuè genere quæ diureticæ vocantur, ut ſunt Taraxacum, Sonchus, Becabunga, Naſturtium, Trifolium fibrinum, Rapæ, Cærefolium, radices Dauci, Paſtinacæ, Petroſelini, Apii, radices quinque ſic dictæ aperientes, quibus purgantia leviora in-

termiſcentur, ſalina præſertim ex ſalibus neutris, aut ſaponaceis conflata; ut ſunt Tartarus vitriolatus, Sal vegetabile aut Senietanum, Sal Glauberi admirabile, Sal Febrifugum Sylvio dictum, aliaque hujuſmodi, quibus ſaponaceâ virtute aliquibus in caſibus, præſtant, Terra foliata Tartari & eminentiùs Salia fixa præſertim more Tacheniano parata, inter quæ præter alios commendantur, ſivè præjudicatâ opinione, ſivè experientiâ ſuffragante, Sal quod è Geniſtâ comburitur, aut illud quod cineres ſtipitum Fabarum ſuppeditant.

Ubi minor eſt metus ne phlogoſi infarctus augeatur, uſum felicem præſtant Salia volatilia oleoſa parcâ doſi & ſuſpensâ manu propinata, quæ dum virtutem diureticam & ſolventem habent, ſimul antiſpaſmodica ſunt & acidum debellare nata. Minoris eſt efficaciæ niſi quòd urinas magis eliciat Sal ammoniacus & Spiritus volatilis Mindereri. His porrò tota cura conſtituitur; in quâ ſi inter ipſa medicamenta ab eorum efficaciâ aliqua naſcatur phlogoſis oxymel vulgò pro medelâ, hydropem ſimul & inflammatorium ardorem retundente adhibetur. Hinc præparata illa aliquandò maximi uſûs ſunt oxymel Scilliticum, oxymel Helleboratum adeò decantatum Geſnero.

Verùm aquis jam mobilioribus factis & ad exitum diſpoſitis, quid vetat ſolventia draſtica adhibere? Inter quæ ſpecificâ ſuâ virtute eminet Helleborus albus etiam multotiès ut in vulgari Melancholiâ locum inveniens. Hoc ſcilicèt aqua ſimul educitur, ſimul tenuatur humor in unâ

parte fixus melancholicus. Adeòque ſi poſſibilem vires vitæ curationem præbeant, ille eam poteſt abſolvere.

Verùm ſacrum eſt & ineluctabile poſt felicem horumce medicamentum ſucceſſum, tonicis, quæ vires fibrarum, quas & aquea moles & ſub ipsâ extenſio prodigialiter aucta,omnimodò relaxavit, reſtituant in integrum, longo tempore immorari; nec ea jam aquis mineralibus mixta adhibenda ſunt. Nocet hìc quidquid ab elementari aquâ ſuas mutuatur virtutes. Crocus Martis, tinctura Martis, Æthiops Martis, limatura ipſa purioris ferri ſcenam implent. Tum verò tonica cum aperientibus ut radice Enulæ campanæ, aliorumque ſimilium jungantur, ita ut ſimul binæ adimpleantur indicationes; imò in ipſo reconvaleſcentiæ initio, vix unquàm tonica ſine aperientibus offerri nefas eſto. Quæ praxis apud omnes Medicos dogmaticos obtinet; nec ſemper ſucceſſibus deſtituitur.

§. II.

De curatione Phtiſeos quæ Melancholiam humoralem excipit.

Curationem recipere vix poteſt quæ humori melancholico ſupervenit phtiſis. Etenim antequàm incœperit illa, jamdudùm invaluit malum, jamque imparia evaſere ſolida ad nutritionem ſuſcipiendam, ut ad eam præbendam fluida. Maſſa ſcilicèt iners humorum atque picea miſcelam recentioris chyli reſpuit, adeòque ad ſubactionem alimentaris ſucci ejuſque coctionem concurrere

impar eſt. Solida verò dura, rugoſa, criſpata & penitùs exſucca ei jam non hiant. Fit phtiſis, quam pro ſymptomatibus emicantibus aut ſiccam, aut humidam vocamus.

Incipienti tamen occurrere ſi quandò datum fuerit, nihil addere poſſumus methodo illi exquiſitæ, quam nobis Galenus, *Methodo medendi Lib. X.* indicavit. Humectandum tam forìs quàm intùs. Huc conferunt vapores lenes, ſed altè penetrantes, aquæ tepidioris, ita in aëre ſubfrigido corpori applicatæ, ne ſudoribus diffluat. Aëris puri, ſed humidioris uſura. In Scaphâ frequens per placidos fluminum alveos navigatio, quies & ſomni per anodyna non narcotica, per frictiones lenes provocatio. Cibus humidus, ſimplex, facilè concoquendus, non gravans, ſed parcâ doſi admittatur. E vegetalibus præſertim ſaponaceis, oleribus conſtet diæta, aut ſucco leni fructuum horæorum. Abſint dura quæcumque tenacem indivulſam mucaginem præ ſe ferunt, adeòque ſolidiori nutrimento materiem præbent. Iis etiam attendendum eſt, quæ ſpontè fermenteſcendo poſſunt acorem illum volatilem contrahere, qui nervos nimiùm vellicet, & ſi hanc proprietatem tollas, optima ſunt tum alimenta, tum medicamenta adversùs melancholicam craſſitiem. Id ſaltem habet hæc facultas commodi, quòd à coctione per ignem tollatur, aut ſaltem minuatur multùm, intactâ ſaponaceâ virtute.

Verùm tota ex his conflatur atque conſtituitur cautelis potiùs quàm medicaminibus curatio; quis enim in tenore adeò infirmato, viribuſque fatiſcentibus medicamina audeat proponere. Jam

non hîc Helleboro, aut purgantibus agendum; incertum eſt quid detrahas, quid poſteà addere poſſis incertum. Alterantia aperientia plus dè bono quod ſupereſt, quàm de malo detrahunt. Solus rerum non naturalium uſus mali progreſſum tardare poteſt, ſi humectantibus, diluentibus, ſaponaceis, ingenti animi atque corporis quiete conflatus fuerit. Ubi verò jam incœperit per anxiam ſedulitatem quaſi irrorari atque reviviſcere flexilitas humidior vaſorum, tunc per communia Melancholiæ medicamina res poterit reſarciri.

Somni verò ad phtiſin melancholicam ſanandam maxima eſt efficacia. Is omni ope atque operâ conciliandus. Tempore enim ſomni laxantur vaſa & aridiora humectantur, ita ut facies dormientis multò plus vigilante turgeat, & laxato vaſorum tono, ipſa de ſuâ denſitate remittit ſanguinis craſſities. Hinc Mandragoræ radicem pro ſomnifero ſuadebat Hippocrates, aliàque ex narticorum genere. Recentiores verò plurimi Opium & varia ejus præparata eumdem in ſcopum ſuadent.

Opium verò in phtiſi melancholicâ adhiberi non vetem, licèt in illis Melancholiæ ſpeciebus quæ functiones animales adoriuntur, eum ſemper peſſimo ſucceſſu adhibitum viderim, ut & ipſe Trallianus aliique videre, quibuſcum hac de re colloqui contigit Collegæ. Furentibus enim, inebriantis ad inſtar, furorem auget, nedum conciliet ſomnos. Imò & convulſivos in facie motus inducit, ut non raro obſervavi. Eadem de Mandragorâ Hyoſciamoque non auſim pronuntiare inexpertus;

inexpertus ; verùm ſuadet analogia, eadem ab ipſis timenda eſſe ſymptomata, cùm præſertim hujuſdem claſſis plantæ venenatæ, delirium ſoporoſum, unà cum convulſionibus inducant, teſte Wepfero.

Satius erit ſomnum conciliare lenibus anodynis refrigerantibus, ut ſunt Nymphea, Salicis folia, Sambuci flores, Camphora, Sal ſedativum, Nitrum, aliæque hujus generis ſubſtantiæ. Tum proderit animi affectus antè ſomnum blandimentis, hortationibus compeſcere, repellere terrores, animum inſtaurare, nec niſi rarò confugere ad narcotica.

Nihil verò potentiùs, nihil efficaciùs ſomnum advocat uſu lactis tenuiſſimi, Aſinini ſcilicèt aut Fœminei, cujus effectibus etſi Melancholia repugnet acido infecta tabo, tamen aliquandò re in phtiſim vergente ſucceſſu non deſtitutum eſt.

Et certè ubi jam ad ſummam ariditatem omnia pervenere, nec acrimoniæ prævalent effectus, poteſt tenuitate ſuâ prodeſſe fluidum altè ſe inſinuans, ſpiritibus fætum, animali analogum, & ferè ſine ullo labore vires inſtaurare natum. Superet modò ventriculi & inteſtinorum fermenta, quæ retundere, imò & corrigere non negatum eſt. Abſorbentia alcalina huc conferunt. Verùm quantâ cautelâ opus eſt ut malum præpoſtero ejus uſu non increſcat?

Primò, quodcumque tenuius eſt lac, cæteris præferendum. Hinc fœmineum cætera antecellit. Ab eo aſininum, aut equinum, poſteà caprinum aut ovillum, nunquàm verò conducere poteſt quod à vaccarum uberibus emulgetur.

Secundò, antè omnia perpendendum eſt an aliquid emicet, aut emineat acidi, in melancholicò corpore ad phtiſim vergente. Tunc enim coloſtrum verè melancholicum à lacte enaſci poterit, cui vitando omnem curam impendimus.

Tertiò verò ſuſpensâ manu & parcâ doſi ſenſim inſinuari debet intrà corpus, ne vires obruat, & concotrice vi defraudatum corpuſculum in perniciem ſubvertatur, quod ſi viribus fuiſſet accommodata doſis, non eveniſſet.

His ſemel poſitis attentionibus, ſi intrà corpus ſubigi ſe poſſe lac demonſtraverit primis mediocribus ſuſpenſiſque doſibus, audaciùs ingrediemur diætam lacteam; Hippocratis dogma reveriti lac Melancholicis nocere, ſed ipsâ exceptione ejus firmantes regulam.

Certè Galenus aridâ phtiſi laborantes in quibus & ſpiſſior humorum compages, & aduſta atque exſiccata fibrarum textura noſtram mentiuntur Melancholiam, ægros ad Tabias deduci volebat, in aëre aprico & humidiore, lacteque veſci volebat, undè & priſtinum vigorem & debitam contrahebant illi corporis molem.

Verùm ut ſpiritibus fætum eſt lac, partibuſque illis ſubtiliſſimis quæ puriſſimum vigoris fontem conſtituunt, forſan ingens ejus perit utilitas, dum liber illi conceditur aëris ingreſſus; quem negavit Natura quæ à mammis in os infantis, nullo intermedio aëre exſugi voluit. Id ergò præſcribit Galenus, ut ore ex ubere ducatur, quod certè optimum. Sed fatendum eſt non obvium, aut facilè cuique eſſe ut lac ſic poſſit educere. Sudantes præ labore videre eſt ægros, dum

nixibus validis tentant lac exſugere incaſsùm. Sicque perit ab hac ſuctione pendens beneficium. Quod maximum fuiſſe aliquandò plures demonſtrant Practicorum obſervationes. At ſaltem quoniam id licet, cavendum ut lac recentiſſimè emulſum ſit, ut minùs quàm fieri poſſit, aëri expoſitum fuerit, ut demùm tepiditati debitâ tantùm exhibeatur, nec ultrà incaleſcat, ne proportio ſubſtantiarum illud componentium infracta, virtutes ejus retundat.

§. IV.

De Melancholiæ motæ curatione.

PESSIMUS eſt Melancholiæ exitus quandò effera illa, & motu circulatorio ſanguinis abrepta non tantùm infarcit & indurat, ſed etiam inflammat partes longè latèque, nec inflammat tantùm, ſed erodit, avellit, perrumpit; nihil Arti ſupereſt, niſi ut per efficaciſſima promptiſſimaque remedia ferocienti ſeſe incaſſum opponat. Huc venæſectiones repetitæ, huc antiphlogiſtica, diluentia, refrigerantia, quæ tamen etſi ſola convenire poſſunt, vix aliquod ſolamen afferunt. Niſi tamen criſi violentâ in partem aliquam decumbat humor efferus. In ſphacelo ſpes tota reponitur, qui ſi impete facto unam in partem deſæviat, reliquas à labe immunes relinquet. Liberatur ſic corpus, ſed truncum ut plurimùm remanet. Criſi factâ vix aliud ſupereſt Arti, niſi ut omnes in unam partem mali reliquias, ſi fieri poſſit, pellat. Ars verò cardiacis titubans corpus firmet, limites ſphacelo aſſignet. Antiſeptica omnia hîc

ſibi locum vindicant, præcipuè verò Cortex Peruvianus qui ſpecifici titulo agit, ſed methodo hodiè adeò vulgatâ, ut illi diutiùs inſiſtere ſupervacuum ſit omninò.

FINIS.

INDEX RERUM

QUÆ IN DUOBUS VOLUMINIBUS CONTINENTUR.

A

ACETUM, quantam vim habet ad ſedandum, II. *pag.* 272

Acidum, ſemper præſens eſt in ſanguine animalium, I. 253

—— Liquamen viroſum illud quod in ulcere cancroſo effunditur, cum abſorbentibus efferveſcit, I. 254

—— Variæ morborum hiſtoriæ quæ acidum præſentem denunciant, I. 254. *& ſeq.*

—— Vitrioli in acido morbo ſuſpectum habet autor. II. 388

Acida, excepto aceto, virideſcentem colorem bili conciliant, I. 240

Acor maturorum vegetantium non acori melancholico comparandus, II. 344

Actionis tonicæ ſunt effectus actio elaſtica, reactio, vibratilitas, mobilitas, &c. I. 16

Admiratio, quandoque nimia, in ecſtaſim & mortem converti viſa fuit, I. 144

Æger quidam, præ ſtupore nimio tetanodes factus, I. 62

Aër. Ejus eſt maxima habenda ratio in curatione Melancholiæ, II. 214

—— Campeſtris, purus, levis longè optimus, II. 215

—— Qualis ſeligendus in curatione Melancholiæ, II. 332

—— Quare ſalubrior in Gallia, II. 333

Affectio hyſterica tres potiſſimùm ſymptomatum periodos affectat, I. 161

——Ejus differentia à Melancholiâ ſimplici, I. 163

—— Hypochondriaca ra-

rò uno impetu viros, ut hyſterica mulieres invadit, *ibidem.*
Affectiones ſciaticæ in Phrygiâ per Muſicen ſanatæ, I. 96
—— Variæ ſtomachi, hepatis, lienis, capitis membranarum & organorum generationis in utroque ſexu Melancholiam pediſſequam habent, I. 99
Affectionis hyſtericæ duo ſtadia, I. 153
—— Pendet à causâ in utero deſæviente, I. 154
—— Adeſt etiam quandoque, ſed rariùs in viris ſimilis morbus, *ibid.*
Affectus, animi affectus varii, frequentior ſunt cauſa Melancholiæ, I. 92
—— Duplex eſt eorum genus, vel vividi ſunt, vel tardi, I. 93
—— Animi duplicis ſunt generis ex Sanctorio; unum perſpirationem promovet, ſupprimit alterum, II. 33
—— Hypochondriacos non ſtatim purgante aggredi fas eſt, II. 351
Alexander Trallianus plura de Melancholiæ curatione nos docuit, II. 268 *& ſeq.*
Alexander Magnus ex pleuritide laborans, ſumpto pharmaco purgante, convaluit, II. 306
Alimenta non dantur quæ ſemper & per ſe intra corpus admiſſa, nutritionem & robur concilient, II. 35
—— Viſcoſa & mucilaginea, non niſi robuſtis danda, II. 37
—— Magis ex varietate quàm ex qualitate proſunt, II. 38
Alimentorum præcipuè ſumma cura habenda eſt, II. 336
—— Quæ ſunt rejicienda & quæ eligenda, II. 337. 338
Alvus, alvi conſtipatio diuturna ſymptoma commune omnibus Melancholicis, I. 336
—— Quando ſummè pertinax eſt ſtercora ſicca, & inſtar ovili ſtercoris formata redduntur, I. 337
—— Servanda libera ut præcaveatur inſania, II. 383
Amurca, quoties in paroxyſmo melancholico fœminis ex alvo exit ſcena componitur: non itidem in viris I. 341
Anglia non à naturâ ſoli aut cœli temperie tantùm pendet frequens ibi nervea Melancholia, II. 48
Angli, quodnam illis Melancholiæ genus endemium eſt ac veluti ingenitum? I. 94
—— Morbis nervorum vexati mutatione ſoli om-

nes ferè ſanantur, II. 49
—— Melancholiæ nerveæ magis ſunt obnoxii, dum è contrà Hiſpani & Itali humorali ſæpiùs laborant, I. 285
Animus; conſtantia animi corporis robori videtur adjuncta, I. 21
Animi relaxatio & hilaritas ſummæ ſunt neceſſitatis ad Melancholiam, non ſecùs ac ſcorbutum rectè curandum, II. 242. 248
—— Affectus diverſo modo regendi, II. 335
Anodyna refrigerantia tutiùs narcoticis in phtiſi melancholicâ adhibentur, II. 401
Anticyræ, Hellebori optimi feraces, II. 290
Antihyſterica, quando purgantibus maritanda, II. 379
Antimonialia, quid proſint, II. 346
Antiſpaſmodica, magna intereſt differentia, ea inter & anodyna, II. 138
——Non ſemper cum narcoticis conveniunt, *ibid.* Plurimæ eorum ſpecies, & varia genera & agendi modus, II. 139. *& ſeq.*
Antiſpaſmodica ex regno triplici deſumuntur, ſed eminentiùs ex regno animali. II. 141
——Vehementia roborantia competunt intervallis Melancholiæ nerveæ ex atoniâ, II. 149
—— Roborantia non niſi in morbo ex atoniâ conveniunt, II. 177
Aperientia, quando in uſum adhibenda, & quæ, II. 358
Apoplexia ſpaſmodica morbus non ita rarus, I. 115
Aquæ frigidæ, acidulæ, minerales optimè ad prævertendam Melancholiam humoralem conducunt, II. 230. *& ſeq.*
—— Aliquando antiſpaſmodicis jungendæ, *ibid.* 232
—— Minerales ſaponaceæ optimè aperientium loco præſcribuntur, II. 359
—— Quas cautiones requirant, *ibid.*
——Martiales quando proſunt, *ibid.* 360
—— Acidulæ Martiales in confirmandâ inſaniæ curatione conducunt, II. 394
Arabes, parum rectæ Melancholiæ curationi addiderunt, II. 274
Aretæus optimè de Bile atrâ ſcripſit, I. 210
—— Optimè morbum melancholicum deſcripſit, & in eo curando verſatiſſimus fuiſſe videtur, II. 263
Aretæus, venæ-ſectionem, quando opus, è directo inſtituendam vult, *ibid.* 264
—— Primus inter Veteres

uſum aquarum thermalium nativarum commendavit, II. 265
Aromatica ſapienter draſticis maritata, II. 357
Aſthma periodicum & convulſivum ſæpè ex humore melancholico pendere vidit Autor, I. 343
Aſtra, eorum influxus aliquid in convulſionibus concitandis conferre videtur, I. 175
Aſtringentia, quantùm valeant in debilitate nerveâ, II. 71
——— Acido - auſtera non ex lege generali ad roborandum invocanda, II. 36
Atra Bilis ex Hippocrate ſub triplici conditione ſpectanda, I. 199
——— Quid ſit ex Galeno, I. 205. *& ſuiv.*
——— In quibus differat à melancholico humore & à ſucco nigro, *ibid.*

B

BALNEA, de eorum uſu non convenit inter Medicos, II. 233
——— Ejus cautiones variæ & nocendi modus, *ibid.* 234
——— Tutiùs in Melancholicis tentarentur poſt frictionem oleoſam, II. 235
——— Quando metus adeſt ſpaſmi, in adhibendâ catharſi ſunt priùs advocanda, II. 340
Balnea aliquantulùm frigida in curatione Melancholiæ proſunt, II. 125
——— Tepida, ſpaſmo jamjam ſævienti curando apta, II. 169
——— Frigida ſpaſmum præſentem augent, ſed debilitatem ſequentem tollunt, II. 168
——— Calida, ex iis ſuffocatio & mors quandoque ſuccedere viſa eſt, II. 170
——— Frigida, embrocationes & duciæ frigidæ quando proſunt & nocent, II. 366. *& ſeq.* 388
——— In inſaniâ ab orgaſmo ſanguinis proſunt, *ibid.* 367
Bangue, ſeu ſolanum furioſum, ejus effectus Melancholiæ ſpecies eſt habendus, I. 88
Bilis, quoties viridi fingitur colore acidum præſentem indicat, I. 143
——— Abſque acidis ſolâ ſtagnatione virideſcit bilis, I. 241
——— Picea aliquando ſurſùm deorsùmque criticè erumpit, I. 246
——— Atræ, duplex eſt ejus ſpecies, I. 237
——— Atra quantùm à ſanguine nigro differat, & quibus notis diſtinguatur, I. 250. *& ſeq.*

Bilis, omnia ejus vitia inertis præcipuè ad Melancholiam vergunt, I. 271
—— Atra poteſt naſci ſubitò in vehementi animi furore, I. 302
—— Atra contra Galeni opinionem in acuto morbo gigni non poteſt, I. 392
——Pars ejus colorata non diſtinguenda à parte rubrâ ſanguinis, I. 251
Boerhaavius neglectam Antiquorum de Melancholiâ doctrinam reſtauravit, I. 223. 224

C

Cachexia, puellarum exemplum familiare præbet atoniæ cum ſpaſmodicâ diſpoſitione conjunctæ, I. 54
Cancer, vulgò tanquam atræ bilis motæ progenies habendus, I. 399
Canes, quomodò illis arte mercatili brevis ſtatura conciliatur, II. 37
Cardiaca, quo in caſu narcoticis ſunt ſubſtituenda, II. 134
Caro edenda, non niſi ætati increſcenti concedenda, II. 23
Catharſis, quomodò ex Williſio ſuccedat, II. 340
Cathartica ſemper in nerveâ Melancholiâ cum antiſpaſmodicis apud veteres Medicos maritata, II. 162
Cathartica varia pro vario morbo ſunt eligenda, II. 342
Cauſæ Melancholiæ procatharticæ vel ſunt peculiares, vel univerſales, I. 82
—— Utræque in phyſicas & morales dividuntur, *ibid.*
—— Diverſæ pro varietate cœli, I. 84
—— Melancholiæ nerveæ ad tres claſſes revocari poſſunt, I. 120
—— Melancholiæ nerveæ quæ ab animi influxu pendent, I. 126
Cauſam morbi melancholici plerùmque ſub larvâ plurimarum ægritudinum latere certum eſt, I. 119
Cauteria ſæpè nullo mali levamine inuruntur, II. 380
Cerriti qui fuerint olim, I. 138. Cerritus morbus, malum Herculeum, II. 202
Cæſar Auguſtus, ope balnei frigidi ſanatur, II. 40
Cinnabaris perperàm in convulſione venditatur, II. 191
Cortex Peruvianus in Melancholiâ nerveâ quæ cum atoniâ conjuncta eſt, ſolummodò prodeſt, II. 164
—— In eâ verò quæ ab irritabilitate fibrarum ſum-

mè nocet, *ibid.*
Conſenſus ingens eſt uteri cum larynge, I. 343
Convulſio, quid ſit, I. 170
—— A Melancholiâ nerveâ plerumque pendet, *ibid.*
—— Erumpente convulſione definit delirium, I. 171
—— In convulſione fortiùs convelluntur muſculi flexores extenſoribus, *ibid.*
—— A potenti causâ ſemel nata, habitum convulſivum inducit, I. 175
—— Melancholica à paralyſi peculiaris notæ & ab hydrope ferè ſemper excipitur, I. 188
—— Ab inanitione longè periculoſior quàm à repletione, II. 153
Convulſiones, ſacrarum convulſionum phœnomena non ſemper ſupernaturali potentiæ tribuenda, I. 143
Crœſus, ejus filius præſenti patris periculo actus vocalis evaſit, II. 100
Criſis humoris melancholici per humorem in cute, I. 325. 328
Curatio Melancholiæ circa duo tempora dirigi requirit, II. 119
—— Niſi in ſummâ acceſsûs vehementiâ venæ-ſectionem non patitur, *ibid.* 120
—— Eorum qui ad Melancholiam jam ſunt prædiſpoſiti, II. 205. & *ſeq.*
Curatio præcavens Melancholiæ uſu lactis aſinini finienda, II. 200
—— Melancholiæ abſoluta duplici cardine innititur, ut diluatur materies, & poſteà ſubducatur, II. 282. 322
—— Melancholiæ quacumque methodo inſtituatur, ſæpè interrumpenda, II. 349
Cutis color ad inſtar malicorii ſplenis vitia denunciat, I. 272

D

Debilitas nervea junioribus præſertim Alpium incolis familiaris, II. 49
—— Nervea longiùs protracta itinera poſtulat, II. 64
—— Partium, rarò in eâ aliquid emolumenti medicamenta conferunt, II. 89
Denſitas inflammatoria, in quo differt à denſitate melancholicâ, II. 217
Diæta prava & ingluvies vulgò Melancholiam humoralem pariunt, I. 87
Diætæ leges ad Melancholiam præcavendam, II. 209
Dolor ex anteriori capitis parte familiare Melan-
Dolor à liene ortus ſæpiùs

maximè diſſitas partes invadit, liene intereà vix patiente, I. 274
Dolores colici in Armeniâ per ignis applicationem ſanantur, ſimili modo apud Japonenſes, I. 95
Dyſenteriâ ex atrâ bile ortâ qui pereunt, ſemper intrà dies quatuor moriuntur, I. 394

E

Ebur in juſculo aceſcente perindè ac in in lacte molleſcit, I. 253
Ecſtaſis, quid ſit, I. 133. 238
—— Promovendæ occaſio ſemper fuère Poëſis atque Muſice, I. 148
Enthuſiaſmus, quid, I. 134
Epithymum, ejus virtus plurimùm celebrata ab Antiquis; laudatur etiam à Recentioribus, II. 248. Ejus uſus nimis obſolevit, II. 249. Ejus doſes variæ, *ibid.*
Equitatio ſua habet incommoda, II. 18
Erethiſmus ex magnâ ſenſilitate & mobilitate pendet, I. 34
—— Cauſam irritantem generalem arguit, ita ut totum corpus rigeſcat, I. 62
Exercitatio, varia exercitationum genera apud Antiquos, & ſingulorum uſus peculiaris, II. 81. & *ſeq.*

F

Facies prior mutatur ſub medicamento fortiter evacuante, II. 364
Fanatiſmus, ejus effectus corporei, I. 133
Febris nervea Melancholiæ inveteraſcenti ſuccedit, I. 177
—— Ejus diagnoſis & ſigna, I. 178
—— Intermittens eſt aut continua, *ibid.*
—— Ejus in febrem hecticam mutatio, I. 180
—— Lentæ nerveæ tres ſpecies, II. 192. & *ſeq.*
—— Intermittens antiquas ſuſtulit palpitationes, II. 166
Ferrum inter metalla primas facilè obtinet propter efficaciam, II. 74
—— Partem rubram ſanguinis ab eo effici jam ferè ab omnibus creditur, *ibid.* 75
—— Ejus efficacior inter antiſpaſmodica roborantia, præſtantia & ejus laus, II. 150. & *ſeq.*
—— Frequenter à Riverio in perficiendâ Melancholiæ curatione adhibetur, II. 284
Fibra, ut celeriùs vibrat, ita ſentit acutiùs, I. 21. Sed promptiùs quoque conquieſcit, I. 22. Quò laxior

atque flexilior eò minoris vibratilitatis capax eſt, I. 23

Formulæ antiſpaſmodicorum pleræque, quæ apud Pharmacopæas proſtant, ſuſpectæ, II. 176

Frictio nocet, quibus in Hypochondriis cauſa latet, II. 184

Fructus horæi Melancholicis conveniunt, II. 221

G

Galenus ea medicamenta quæ ſummâ fiduciâ Hippocrates & Aretæus ſuadebant, in uſum adhibere reformidat, II. 267. 268

Germanicus ex gracilitate crurum laborans, arte curatur, II. 17

Gummi fœtida ſunt convulſificæ Opii proprietatis antidotum, II. 133

Gymnaſtices, triplex erat apud Antiquos ejus inſtitutum, II. 14

—— Olim duplicem in finem inſtituta, II. 16

—— Quo ordine inſtituebatur apud Veteres & Spartanos, II. 29

—— Uſus non itidem in Melancholiâ humorali convenit ac in nerveâ, II. 334

H

Habitus ſenſationum duplex, I. 27. Alter inertiæ, *ibid.* Alter verò convulſivus, I. 29. Illi, duo conſtituunt extrema, quæ inter tanquam in medio, optimus tum vitæ tum ſanitatis ſtat habitus, I. 31

Helleborus niger, an planta hæc eadem fuerit apud Veteres ac hodiè apud nos, dubitatum fuit, II. 292. Negat Tournefortius, *ibid.* 293

—— Cautiones circa hujus adminiſtrandi modum, II. 305. 306

—— Niger, longè mitior albo, *ibid.* 307

—— Quomodò eviluit uterque, *ibid.* 308

—— Non ſemper antimonialibus ſuppletur, II. 311

—— Plures dæmone vexatos ſanavit, *ibid.* Hiſtoria ejuſdem exhibiti, *ibid.* 313. & *ſeq.*

Hellebori quæ fuerit apud veteres Philoſophos celebritas, II. 288

—— Ejus ſpecies, earumque caracteres, II. 289

—— Cyrenaicum præfert Dioſcorides, *ibid.* 291

—— Infuſum in vino apud Veteres, II. 294

—— Quâ cautione utebatur veratro Hippocrates,

tutiùs per vomitum, II. 296
Hellebori ſymptomata quæ uſum comitantur, *ibid.* 299. 300
—— Nigri extractum feliciter adhibitum, II. 343
Helleboro vim ſpecificam ineſſe ſuſpicatur Autor, II. 391
Hemicrania, maximum eſt ejus cum Melancholiâ hypochondriacâ conjugium, I. 350
—— Sæpè etiam illius impetum ſolvit, I. 351
Hepar, ejus ſtupenda conſenſio cum capite, & vice verſâ, II. 251
Herodicus, diætæ athleticæ inſtitutor, II. 15
Hippocrates, ejus doctrina circa Melancholiam & atram bilem, I. 193. *& ſeq.*
—— Non primus curandæ Melancholiæ cenſendus autor, II. 260
—— Sed primus curationem methodicè inſtitutam nobis tradidit, *ibid.* 261
Hirudinum applicatio venæ-ſectione præſtantior, II. 332. 354. Non applicandæ niſi priùs inſtituta venæ-ſectio è brachio. *ibid.* Rarò ſuccedunt niſi quando fluxum hæmorrhoidalem aut menſtruum ſollicitat Natura, *ibid.*
Hiſtoria ſingularis Fœminæ illuſtris, quæ minimâ de causâ convellitur, I. 32
Hiſtoriæ quædam Melancholicorum ſingulares, I. 73
Hæmorrhagiæ valdè ſunt timendæ in melancholicâ conſtitutione, I. 69
Hæmorrhagia melancholici multò minùs hæmorrhagiis ſubjiciuntur quàm ſcorbutici, II. 244
Hæmorrhoides fluentes infarctum lienis, hepatis & Melancholiam tollere, ſicut & ſuppreſſæ inducere poſſunt, I. 279
Humor melancholicus nullomodò recenſetur inter humores naturales, I. 224
—— Melancholicus ſæpè fœminis, raro viris per urinas expurgatur, I. 332
—— Raro in incipiente morbo, aut quando à nativâ temperie pendet, per alvum excernitur, I. 328
—— Melancholicus nunquam in inquilinum mutari poteſt, II. 346
—— Niger ſummo Naturæ beneficio quandoque viam ſibi cudit, II. 370
Humores, unde humorum ſpiſſitudo picea ſeu melancholica, & denſitas inflammatoria pendeant, & in quo differant, I. 231
—— Humorum in Melancholiâ humorali vitium primarium, II. 230

Hydrophobia aliquando merè ſpaſmodica eſt & ex affectu melancholico pendet, I. 70
Hydrops in Melancholicis non ſe manifeſtum facit niſi poſt confirmatam cujuſcumque abdominis viſceris conſtrictionem, aut per ſpaſmum conſtantem, I. 382
Hydropis ex Melancholiâ humorali curatio, II. 396
Hydropicis à Melancholiâ factis ſecuritas animi eſt etiam familiaris, I. 383
Hypochondriaci morbi cauſa & ſedes ex Sydenhamo, I. 222
—— Duplex hodiè ſiſtit ſe Medicorum opinio, *ibid.*
Hyoſciamus, ex eo apud Indos parantur ſucci ad inſtar opii, II. 131
Hyſterica & hypochondriaca affectio non differt à merâ Melancholiâ nerveâ, II. 183
Hyſtericis quando ſolvitur paroxyſmus tunc ſæpè erumpunt urinæ nigræ, I. 246
Hyſtericæ virgines quæ convelluntur, ſemper aliquid cachectici cum morbo conjunctum habent, II. 147

I

INSANIA pro variis rerum circumſtantiis minùs aut magis frequens, I. 166
Inſania, ejus diagnoſis, I. 168
—— Prognoſis, I. 169
—— (In) quando duplâ aut triplâ hydrargiri doſi utendum, I. 168
—— Hoc commune eſt omnibus Melancholicis inſanientibus, ut de rebus ad ſe pertinentibus ſolùm delirent nunquàm de aliis, I. 346
—— Triplex eſt ejus ſpecies, I. 363. Et hoc eſt commune in ſingulis ſpeciebus ut ſine ullâ intermiſſione ægrum excrucient, aut nunc brevioribus, nunc longioribus diſtinguantur intervallis, *ibid.*
—— Qui eo morbo agitantur fiunt quaſi nova machina, & ſuum indè nanciſcuntur peculiarem ſentiendi modum, I. 371. 373
—— Ad primum inſaniæ inſultum ceſſant ſi qui priùs fuerint in corpore morbi, *ibid.*
—— Pleraque inſaniarum genera quæ mulierculas laceſſunt, ad nerveam furoris ſpeciem plerùmque pertinent, I. 377
—— Raròcuratur niſi per commotionem violentam inductam corpori & criſim aliquam copioſiorem, I. 377
—— Vix inſanabilis apud

Veteres habebatur, II. 289. 312. 317
Inſaniam, eamdem curationis methodum ac dolor Pictonum colicus requirere putat Autor, II. 391
—— Duplam & triplam doſim medicamentorum ferunt inſani, *ibid.* 392
Inſani fuſtibus, verberibus & jejuniis ſanati, II. 384
—— Quâ ex parte illis educendus eſt ſanguis, *ibid.* 385
—— In eorum cadavere poſt mortem nihil aut parum reperitur in encephalo, I. 380
Iter, Itineris laudatio, II. 65
Juvenis ex odio Magiſtri in Melancholiam collabitur, eoque mutato mox convaluit, I. 104

K

KINAKINA, quando conveniat; an ut ſpecificum melancholici humoris eſt habendum? II. 372. & *ſeq.*

L

LABOR durus & exercitium optima contra nerveam Melancholiam prophylaxis, II. 12
Lac in debilitate acquiſitâ & non in nativâ prodeſt, II. 37
Lac, Maximi momenti alimentum, aut ſummè prodeſt, aut vehementer nocet, II. 172. & *ſeq.*
—— Obſervationes circà Lactis uſum, II. 237
—— Aſininum vappidâ & ſine efficaciâ exiſtente bile venenum potiùs evadit, II. 256. 257
Lactis ſerum plurimùm ad curationem Melancholiæ diù continuatum confert, II. 124
—— Serum cum melle optimum imminentis Melancholiæ ſpecificum, II. 207
—— Aſinini uſus potenter ſomnum in phtiſi melancholicâ conciliat, II. 401. Fœmineum longè etiam præſtantius eſt. *ibid.* Lac è mammis ſugere, quàm ex poculo haurire ſatius eſt, *ibid.* 402
Lacticinia, quibus juvant, ferrum nocet, & prodeſt ferrum quibus nocet venæ-ſectio, II. 184
Lapis Armenus, num idem habeatur ac Lapis Lazuli, II. 318
—— Loco Hellebori fuit adhibitus, *ibid.*
—— Magnum ſolvens, *ibid.* 319
Larvati qui fuerint olim, I. 138
Laxantia, nullum in tenſione nerveâ præſtat aquâ, modò tamen aliquo ve-

getabili ſaponaceo ſucco ſit medicata, II. 122. *& ſ.*

Lien, ab antiquis temporibus uſque ad Harvæi tempora, uno ferè omnium Medicorum conſenſu pro receptaculo ſucci melancholici habitus eſt, I. 220

—— Error Paracelſi & Chymicorum circa viſcus illud, I. 221

—— Pro hepatis pulmone à Boerhaavio habetur, I. 222

—— Malè affecto liene malè ſe habet ſecretio bilis, I. 242

—— Raro morbo acuto laborat, *ibid.*

—— Si corrumpatur, tunc diarrhœa nigra & vomitus niger adeſt præ foribus, I. 245

—— A carnivoris animalibus non devoratur, II. 211

Lienoſi, Lienoſis oculorum ſplendor, colorque nitidus faciei fœdatur, I. 142

Liquores ſpirituoſi nerveam Melancholiam ſæpè ſæpiùs adciſcunt, I. 87

Lætitiâ (ab immoderatâ) majus imminet periculum quàm à mœſtitiâ & deſperatione, I. 289

Lues Venerea, eam naturæ acidæ eſſe ſuſpicatur Aſtruccius, I. 254

M

MACULÆ quæ variè & pertinaciter cutem deturpant, aliquid melancholici latere denunciant, I. 353

—— Fuſcæ Melancholicorum ab ſcorbuticis in eo differunt quòd in iſtis profundiùs inurantur, nec colore mutentur, I. 354

Magneſia, quando prodeſt in morbo hypochondriaco, II. 355

Mala quæ viſcera abdominis infeſtant timorem ac metum comites habent, I. 276

—— Quæ verò pectoris viſcera adoriuntur, vulgò ſecuritatem afferunt, *ibid.*

Malum ecſtaticum, imitatione & lectione contractum, in carcere poſteà harum privatione ſanatum, I. 143

—— Hujus mali doloris morſus aliquando medela eſt, I. 144

—— Quando hepar aut lienem occupavit, brevì bonis aut malis ægri rebus terminatur, I. 339

—— Lentiùs ſerpit in mulieribus, *ibid.*

—— Quod gangræna intrà ſanguinem vocatur, pendet ab atrâ bile commotâ, I. 394

Mandragoræ

Mandragoræ radix in triſtibus ægrotis & ſe ſtrangulare volentibus commendatur, II. 262
—— Pro ſomnifero adhibebatur ab Antiquis, II. 400
Mania nervea Melancholiæ eſt effectus, & ejuſdem patitur differentias, I. 164
—— Inter hæreditarias labes recenſitus morbus, I. 165
—— Ejus cauſæ variæ, I. 166
——Pro varietate tempeſtatum magis aut minùs ſævit, I. 167
—— Rarò intra cerebrum primaria ejus cauſa hoſpitatur, I. 366
Maniæ variæ ſpecies, II. 186. Melancholiæ ſymptoma, II. 188
—— Quantùm in ejus curatione erratur ſæpè, *ibid.*
Maniaci, in quo differant à Melancholicis, I. 57
Martiale principium,) nihil aliud eſſe quàm halitum hunc ſummè volatilem, qui ſemper ex acidulis aquis mineralibus avolat, II. 152
Materia nigra quæ in paroxyſmo melancholico aut per vomitum aut ſedes ejicitur, fuſco tingit colore vaſa & præcipuè argentea, I. 230
Medicamenta ab antiquis fortiora, & majori doſi quàm apud nos uſurpabantur, II. 270
Medicus, quid agendum Medico prudenti ad curam Melancholiæ ſe accingente, II. 179
Mel optimè humores ſpiſſos ſolvit, ſed non æquè in omni Melancholiæ genere prodeſt, II. 225
Melampodium, à quâ herbâ ſanatæ fuêre filiæ Præti; eadem eſſe videtur ac Helleborus, II. 201
Melancholia, ejus definitio à Boerhaavio, I. 1. Ab Autore, I. 2. In quo differant, I. 3. Quid eam conſtituat, I. 4. 5
—— Varia ejus ſymptomata quæ progrediente atque graſſante morbo diſtinguuntur, I. 6
—— A ſolidorum vitio, ſeu nervoſa, I. 10
—— Eadem eſt ac intemperies Veterum ſine materiâ, *ibid.*
—— A vibratilitate partium oritur, I. 15
——Spaſmodica, quid ſit, I. 42
—— Ex triplici modo quo variabilis poteſt eſſe actio organorum, oriri poteſt, I. 43
——Ejus hiſtoria, I. 51
—— Spaſmodici, omnes nervorum morbi, exceptis qui à torpore pendent, ad Melancholiam ſunt refe-

rendi, I. 46
Melancholia ſpaſmodica, cauſæ illius nullatenùs aut rarò in humores agunt, I. 47
—— Primi generis, ejus ſymptomata, I. 62
—— Alterius, I. 65
—— Simplicior in compoſitam tranſiens convulſiones & motus inconditos pediſſequos habet, I. 63
—— Semper ſymptomatis causâ excitante gravioribus ſtipatur, *ibid.*
—— Spaſmodica, in quo eſſentialiter ab humorali differt, I. 68
—— Duplici modo plerùmque terminatur, I. 71
—— Nervea in Aſiæ regionibus frequentior & quaſi nativa, I. 84
—— Nervea & quandoque humoralis cauſam frequentiſſimam habet vacuationes quaſcumque, aut retentas nimis, aut extrà modum factas, I. 90
—— Veneris abuſus Melancholiæ nerveæ in junioribus præcipuè anſam dat, I. 90
—— Nervea Litteratis, Juriſconſultis, Geometris, &c. familiaris, I. 91
—— In violentâ febre conticeſcit, I. 129
—— Ex læsâ ſolùm imaginatione, *ibid.*
—— Ab amore, I. 131
Melancholia nervea ſua habet ſymptomata peculiaria pro parte affectâ, ut cæteri morbi, I. 152
—— Nervea à capitis vitio, I. 154
—— Nervea, quomodò dignoſcenda, I. 158
—— Humoralis juxtà Hippocratem & Veteres non differt ab ipſomet humore hujuſce nominis vitiato, I. 193
—— Vitiata eadem eſt ac atra bilis, *ibid.*
—— Autumnali tempeſtate & eâ ætate hominis quæ autumno ſimilior denominatur, I. 195
—— Quævis ab alacritate ceſſante exordium ducit, I. 230
—— Humoralis undè oritur; ad acredinem acidam potiſſimùm vergit, I. 264
—— Humoralis, ejus cauſæ variæ, I. 266. *& ſeq.*
—— Sæpè ſæpiùs cerebrum invadit, I. 301
—— Mota, quid ſit, I. 306
—— Ubi venenum illud acredinem quamdam ſuſcepit, glandulas lymphaticas potiſſimùm invadit, *ibid.*
—— Humoralis continuò vexat ægros, dum nervea intermiſſiones patitur, I. 334
—— Nervea, duplex diſtingui debet, prima ſub

ſpaſmi nomine Antiquis cognita, II. 3
Melancholia, non idem ſemper in eâ curandâ medicamenti genus eſt adhibendum, II. 95
——— Ex vitio alicujus partis orta, huic ſanandæ connitendum, II. 179. & ſ.
——— Humoralis & ab eâ pendens Mania, meliùs à veteribus quàm neotericis Medicis curata, II. 201. Ideò apud illos nulla ad coercendos inſanientes deſtinata loca, *ibid.* 202
——— Humoralis generatim ſumpta eſt morbus verè compoſitus, II. 321
——— Humoralis per diarrhœam curata, II. 342
Melancholiæ humoralis curatio ex Veteribus rectè inſtituta, II. 262
——— Curatio optimè à recentioribus Stahlio, Hoffmanno & Boerhaavio inſtituta, II. 285. 286
——— Sæpè poſt vehementiſſimas febres, compoſito febrili æſtu, ſupereſt, & reconvaleſcentiam protrahit, II. 216
——— Sæpè iteranda curatio, ne recrudeſcat morbus, II. 352
——— Hypochondriacæ humoralis curatio à venæſectione inſtituenda, II. 353
——— Motæ curatio, II. 403
Melancholicus Athenienſis, I. 5
Melancholici, non delirant omnes, I. 3
——— Ex debilitatis ſenſuum organis, mente laborant omnes, I. 4
——— Quando in delirium tranſeant, I. 5
——— Ingruentibus imaginationis figmentis firmiter adhærent, I. 6
——— Sunt qui à Naturâ melancholicam diatheſim accepêre, *ibid.*
——— Alii contrà à morbo, *ibid.*
——— In quo differant, I. 7
——— Qui ructibus & flatibus infeſtantur ſtatim à paſtu meliùs ſe habent, I. 336
——— Statim ab alvo depoſitâ in pejus ruere ſibi videntur, I. 337
——— Iis commune eſt ut urinæ frequenter exeant, I. 341
Melancholicis, quibuſnam lac convenit, II. 349
Mercurialia parùm quidem aut nullomodò juvant, II. 346
Milites in navibus otiantes magis ſcorbuto laborant quàm Nautæ, II. 349
Mineralia rarò proficiunt in morborum nervis, II. 73
——— Dubium eſt an primas poſſint vias ſuperare, *ibid.*
Mochlicum, quid fuerit olim, quid ſit hodiè, & undè

nomen? II. 294
Morbus niger recentiorum non differt ab atrâ bile Veterum, I. 328
Morbi qui paroxyſmis conflantur vehementiùs convellunt, quàm qui aſſultu perpetuo hominem conficiunt, I. 171
——— Periodici ſemper aliquid nervei habent, I. 163
——— Chronici ex triplici origine natales ducunt, I. 269
——— Diuturni, quando in acutos mutantur, longè periculoſiores evadunt, II. 392
——— Commune ſymptoma eſt omnibus morbis ex atrâ bile oriundis, ut mens ſui juris non ſit, I. 397
Moſchi uſus ſalutaris in hydrophobiâ confirmata, II. 146
Mulieres & pueri naturâ debiliores ſunt viris, & ideò ſpaſmis magis obnoxii, I. 113
——— Gravidæ melancholicæ evadunt, & larvatur aliquando facies, I. 300. Hiſtoria hujuſce phœnomeni ſingularis, I. 301
Muſice, quid ſit. Ejus ortus, progreſſus & caſus varii, II. 105. Quot modis conſtet, & quænam ſingulorum natura, II. 106. Ejus Rythmi priores, II. 107. Ejus ſumma majeſtas, II. 108
Muſice, Ejus potentia in hominum mentes, I. 148
——— Maniæ nerveæ medelam affert, I. 168
——— A Veteribus ad perſanandos morbos adhibita, II. 110
——— Triplex ejus in ſanitate tuendâ aut revocandâ effectus, II. 111
Muſices varia genera pro diverſo Melancholiæ genere ſunt adhibenda, II. 274

N

NARCOTICA in Melancholiâ humorali non conveniunt, II. 365
Natrum aut Nitrum Antiquorum, in quo à nitro noſtro differat, II. 271
Navigatio ad phthiſim pulmonalem præcavendam celebrata, II. 17
Nervi, an à concuſſis nervis aliquando in parte affecta pendeat violenta pulſatio, I. 336
Nigritæ ad tympani ſonum agros ſuos excolunt, & ſic ardentiſſimi ſolis æſtum perferunt, II. 114
Nutritio, quo diei tempore firmior evadat, II. 26

O

OPIUM Melancholiæ nerveæ occaſionem dat, I. 88

Opium, in debilitate nerveâ nonniſi ſummâ cautione dandum, II. 98
——— Ejus vis & efficacia, effectus, quibus conveniat aut non; quæ cautiones, II. 130. *& ſeq.*
——— Hippocrates radicem Mandragoræ libentiùs Opio offerebat, *ibid.* 132
——— Nocet iis qui à capite laborant, II. 184
——— Sæpè in plurimis Melancholiæ ſpeciebus peſſimè ſuccedere vidit Autor, II. 400
Oplomachia, vulgò *l'Eſcrime*, optimum exercitatationis genus, II. 18
Oxymel helleboratum Juliani, II. 310, 316
——— Summæ eſt efficaciæ in aſthmate, &c. *ibid.*
——— Helleboratum, optimè conducit in hydrope à Melancholiâ humorali orto, II. 397

P

PALESTRA, Juvenes paleſtræ non priùs addicebantur quàm ex urinæ inſpectione concoctio facta judicaretur, II. 80
Palpitatio cordis frequens utrique Melancholiæ ſymptoma, I. 345
Paracelſus, Helmontius ridicula de Melancholiâ protulerunt, II. 276, 277
Paralytici aliquandò præ ingenti timore aut acri deſiderio, artuum uſum recuperaſſe viſi ſunt, II. 101
Paroxyſmorum in intervallis ubi tenſio adeſt, ſeri lactis uſus frequens & lactis Aſinini optimus, II. 177. Quare tunc purgantia nocent, *ibid.* 178
Paroxyſmo Melancholiæ nerveæ deferveſcente gymnaſtice & uſus rerum non naturalium omnem curationis ſcopum adimplent, II. 176
Pathemata animi ſub cœlo fervidiore & aridiore vehementiſſima, I. 146
Philoſophia Melancholiæ nerveæ ſæpè optima medicatrix, II. 217
Phrenitis à bile atrâ duplex diſtinguitur, I. 398. Semper mortifera, I. 399
Phtiſis melancholica duplex eſt, ſicca & humida, I. 385. Siccæ phtiſeos deſcriptio, *ibid.* Humidæ varia phœnomena, I. 387
——— Defunctis ex eâ phtiſi, ſeu ſicca ſit, ſeu humida, ſemper viſcera abdominis atrâ bile contaminata fuêre reperta, I. 386. *& ſeq.*
——— Melancholicæ curatio perdifficilis, II. 399
——— Plurimùm prodeſt illi ſomnus, *ibid.* 400

Phtiſeos variæ origines numero tres, I. 182
Phtiſici, ex quâ hominum claſſe formatur eorum infelix ſoboles, II. 5
Pituita, ſeu glutinoſa pars ſanguinis atræ bili anſam dat, II. 252
Plantæ, enumeratio quamplurimarum ſtirpium quæ ut opium, ſed modo tutiore habent ſopiendi vim, II. 133
—— Quæ in curatione Melancholiæ inſtituendâ diluente & tonicâ virtute gaudent, II. 330
Plethora abdominis peculiaris dignoſcitur ex ipsâmet univerſâ ventris duritie, I. 305
Podagræ aliquandò ſub Melancholiæ larvâ procedere viſa eſt, I. 156
—— Hac ſæpè erumpente Melancholia ſolvitur, I. 280
Poëſis, quantùm hominum animos mutare valeat, I. 149
Pollen nigerrimus cum bonis ægri rebus aliquandò evacuatur, I. 245
Proprietates fibrarum duplicis ſunt generis, aliæ ſunt mechanicæ, I. 12. Aliæ organicæ, *ibid.*
Ptyaliſmus Melancholicis frequens, I. 349
Pulſatio enormis in regione epigaſtricâ quæ manum tangentis repellit, & totum abdomen concutit; oritur ex ipsâmet aortâ, I. 313
Purgantis tumultus narcotico leni quando ſedandus, II. 178
Purgantia unâ voce in curatione Melancholiæ humoralis eſſe adhibenda conclamant tum veteres, tum recentiores Medici, II. 280
—— Qualia & quo modo adhibenda, II. 356. 389
Purgatio, Hippôcratis præceptum circà purgationem inſtituendam, II. 305
Purgationem in incipientis morbi melancholici exordiis ſuadebant uno conſenſu veteres Medici, II. 207
Purgationis tria diſtinxit ſtadia Sennertus, II. 389

R

RACHITIS Infantum tota acida eſt, I. 254
Raphani quomodò cum Veratro olim parabantur, II. 298. 390
Ratio victûs, quænam magis convenit iis qui ultrà marinas terras versùs meridiem petunt, II. 48
—— Mutata ſubitò in contrariam plurimùm nocet, II. 53
—— Plus ab eâ ritè habitâ quàm à medicamen-

tis expectandum, II. 55
Robur, hujus adaugendi cupido ad ſuperſtitionem acta eſt apud Antiquos, II. 39
Rufus Epheſius, quis Autor; de atrâ bile diſſeruit, I. 209. *& ſeq.*

S

SACCHARUM, ejus laus, & quibus plantis poteſt elici, II. 227. Quibus in caſibus noceat aut proſit magis, *ibid.* 228
Sol Melancholicis vitandus, & quare, II. 210
—— Alkali Tachenianus potentiſſimum eſt aliquandò reſolvens præcipuè quandò amaris conjugatur, II. 252
Saltatio, quid contrà affectus animi melancholicos valeat, II. 113
Sanctorius circa ſomni effectus cum Antiquis non conſentit, II. 24
—— Primus doctrinam de perſpiratione inſtituit; auxêre poſteà & emendavêre Dodartius, Keillius, Gorterus, II. 30
Sanguis, varia eſt pro ejus vario motu denſitas, I. 229
—— E brachio potiùs detrahendus, II. 353
—— Quandò è ſaphænâ educendus, *ibid.* 362
Sanguinis, ejus miſcelam, qualitates diverſas atque mutationes ab ipſo motu ferè pendere affirmat Autor, I. 228. 229
Sanguinis craſſities duplicis ſpeciei cenſenda eſt, II. 326. *& ſeq.*
—— Ejus miſſio ſæpè in curatione inſtituendâ locum invenit, *ibid.* 329
—— Quo in caſu nocere poteſt, *ibid.* 331
Saponacea quantùm in Melancholiæ curatione præſtent cæteris medicamentis, II. 339
Scabies Melancholiæ larvam inducit, I. 156
—— Retropreſſa hebetem fecit, quem poſteà ejus inſitio iterùm ſanavit, II. 246
Scirrhi reſolutio ferè impoſſibilis & ſummè periculoſa, II. 373. 376
Scorbutus quibus ſignis à Melancholiâ exteriùs ſe prodente diſtinguatur, I. 354
—— At ſi cum Melancholiâ confundatur, tunc ex ipſomet remedio ritè proficiente manifeſtum ſe faciet, I. 335
—— Quæ eſt analogia eum inter & Melancholiam, & in quo differant, II. 242. 243
Secretio nulla ſuppreſſa potiùs atque promptiùs quàm hæmorrhoidum Melancholiam inducit, I. 277. *& ſeq.*

Semen, quanto corporis diſpendio in primâ ætate deperdatur, II. 32
Senectus eſt ſtatus aut conditio corporis ex naturâ ſuâ melancholica, I. 294
Sennertus plurima notatu digna de Melancholiâ ſcripſit, I. 219
Senſatio, varia in diverſis hominibus ſenſationum diverſitas ex majori vel minori fibrarum tenſione pendet, I. 20
Senſilitas ex majori aut minori vibratilitate fibrarum pendet, I. 20
—— Gracilioribus major quàm robuſtioribus, *ibid.*
Seſamoïdes planta, an eadem ac Helleborine fuerit, ambigitur, II. 291
—— Tutiùs ad ſedes movendas adhibebatur, II. 296
Signa Melancholiæ humoralis incipientis, I. 309
—— Adultæ, I. 319
—— Inveteraſcentis, I. 359
—— (Inter) hoc omnibus Melancholicis competit ut colorem è viridi flavum habeant urinæ, I. 342
Simſonus (Thom.) non Boerhaavio aſſentitur, I. 226
Solanum furioſum, ex eo parantur ſucci opio ipſo perículoſiores, II. 131
Solida, quo ſenſu Melancholia humoralis à ſolidis pendere dicenda eſt, II. 228
Solonis oratio ad Scytham *Anacharſim* reſpondentis, de Gymnaſticæ utilitate, II. 62
Spaſmus duplex, vel variabilis eſt, & tunc convulſio dicitur, I. 36
—— Vel conſtans eſt, & idem eſt ac rigor & erethiſmus, I. 37
—— Animi deliquio ſæpè ſolvitur, I. 39
—— Rarò per ſe, ſed ex occaſione mortem inducit, I. 70
—— In vehementi ſpaſmo cuncta emunctoria ſunt occluſa, I. 116
Specifica ſuam habent determinatam doſim ut agant, II. 317
Stimulantia plurimùm poſſunt ad ſedandam impreſſionem ſubitam factam in nervis, II. 128
Sudor non Melancholicis ſuadendus, II. 335
Sympatheïa & Antipatheia Maniæ duæ ſpecies, II. 167
Symptomata accuratè ſunt expendenda, ſi cauſam ſæpè fallacem hariolari velis, I. 119
—— Quæ mulieres dirè vexant, I. 339. *& ſeq.*
Syrupus Regis ſapor, ex Helleboro paratus, II. 309

T

TABACI uſus Melancholiam creavit. Exemplum, I. 123
Tabacum, ex inſanientibus vix unum reperies qui ejus pulvere non delectetur, I. 374
Tabes melancholica Britannorum, I. 186
—— Nervea quando febrem conjunctam non habet, plures per annos immota remanet, I. 187
Tabis nerveæ curatio, II. 196
—— Huic diæta lactea & præcipuè lac fœmininum convenit, *ibid.* 197
Tarentula, ejus morſus morbum in Melancholiæ nerveæ non abſimilem concitat, I. 88
Terpandrus Muſicem primus Lacedemone inſtituit; ejus gloria; ab Ephoris mulctatur, quòd chordam unam ſeptem aliis contrà legem addidiſſet, II. 108
Terror enthuſiaſmo & plurimis animi affectibus medetur, II. *99.* 101
Tonus partium, ſeu vis tonica, quid ſit? I. 14
—— Differt ab actione mechanicâ, I. 16
Tonica reconvaleſcentiæ initio, niſi cum aperientibus non ſunt adminiſtranda, II. 398
Tranquillitas animi varios nervorum motus inordinatos præſentes compeſcere, aut imminentes præcavere prima antè alias poteſt, II. 129
Troxymum ſolvens potentiſſimum in ſpiſſitudine melancholicâ habebatur, II. 223
Tuſſis importuna, acris, ſicca ſymptomatibus ad uterum pro causâ referendis eſt adjungenda, I. 153
—— Hyſterica apud mulieres noſtras quàm apud Anglos frequentior, I. 153

V

VENÆ-SECTIO, cautè & prudenter adhibenda in Melancholiâ nerveâ, II. 137
—— Remedium præſtantiſſimum in violenti convulſionum paroxyſmo modò non oriatur ab inanitione, aut à causâ mechanicâ, II. 156
—— Agit pro momento, ſed non recidivam præcavet, *ibid.*
—— Quando in Melancholiâ nerveâ vena ſecanda eſt, primùm & ex grandiori aperturâ detrahendum eſſe ſanguinem ſuadet Autor, II. 159
—— In convulſionum pa-

roxyſmo optimè conducit, II. 190
Venæ-ſectio, quot annis inſtituenda commendatur in iis qui hepatis obſtructioni ſunt obnoxii, II. 254
Venæ-ſectione major vis partium rubrarum, ſervatâ ad reliquas proportione educitur, II. 328
—— E pede ſæpè celebranda, *ibid.* 331
Venæ-ſectionem, nonniſi plethorâ præſente in inſaniæ curatione conferre contendit Autor, II. 386
Venus immodica, & poſt diuturnum ejus abuſum omninò interdicta, æquo paſſu Melancholiam nerveam accerſunt, I. 290
—— Melancholicis nociva, II. 335
Veratrum, Recentiores qui eo uſi ſunt, ejus efficaciam ſanantem celebrant, II. 301
—— Cæcitas ab eo accerſitur, *ibid.*
—— Ejus parandi modus, *ibid.* 303. Quibus convenit aut nocet, *ibid.* 304
Veſicatoria & fonticuli aliquandò ad curationem Melancholiæ adhibentur, II. 281
Veſicantia, quandò proſunt, II. 368. 371
Vinum peſſima Melancholiæ cauſa, I. 292
—— Ita quoad effectus cum opio convenit, ut ipſi ſupplere non ſecùs ac opium vino poſſit, *ibid.*
Vinum, ejus utilitas ſumma in nerveâ debilitate, II. 70
—— In palliativâ Melancholiæ curatione plurimùm valet, II. 136
—— Ejus abuſus & cautiones habendæ, *ibid.*
—— In leviori paroxyſmo ſæpè profuit, II. 177
—— Antiſcorbuticum non ſemper utile, quin imò apud nos ſæpè damnoſum, II. 245
Viperæ, majorem virtute famam nacta ſunt earum juſcula, II. 375
—— Nullum ſal volatile, niſi concrematæ, continent, *ibid.*
Vitæ genus penitùs mutatum plurimis profuit, II. 369
Vomitoria & cathartica Melancholicis nociva, II. 161
—— Draſtica, caput gravante humore melancholico, conveniunt, II. 363. Tuncque minùs metuenda, *ibid.* 364
Vomitus quem requirat ſtatum ventriculi ut rectè ſuccedat, II. 306
Urina copioſa eaque limpidiſſima, in Hyſtericis & Hypochondriacis ferè ſemper mingitur; at ſe-

dato ſpaſmo, eadem craſſa & turbida exit, I. 116
Urina aliquandò bono omine in hyſterico affectu mingitur, I. 246
Uterus, nimis illi in Melancholiâ concitandâ tribuêre Veteres, non ſatìs Sydenhamus, I. 152
Uterus, ejuſdem affecti ſymptomata varia, *ibid.*

Explicit Index Rerum.

APPROBATIO.

JUſſu VICE-CANCELLARII legi Manuſcriptum *de Melancholiâ & Morbis melancholicis*, *&c.* Datum die 15. Junii anni 1764.

MALOUIN.

PRIVILÉGE DU ROI.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amés & féaux Conſeillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; SALUT. Notre amé le Sieur CAVELIER, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre, *de Melancholiâ & Morbis melancholicis*, s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce néceſſaires: A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer

ledit Ouvrage autant de fois que bon lui ſemblera, de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de douze années conſécutives, à compter du jour de la date des Préſentes. Faiſons défenſes à tous Imprimeurs-Libraires & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangère dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun Extrait, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts. A la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caractéres, conformément à la feuille imprimée, attachée pour modele ſous le contreſcel des Préſentes, que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril 1725, qu'avant de l'expoſer en vente, le Manuſcrit qui aura ſervi de Copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France le Sieur De Lamoignon, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle dudit Sieur De Lamoignon, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, Vice-Chancelier & Garde des Sceaux de France le Sieur De Maupeou; le tout à peine de nullité des Préſentes: du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons, de faire jouir ledit Expoſant ou ſes ayant cauſes pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit

Ouvrage ſoit tenue pour duement ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conſeillers & Secrétaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Paris le vingt-ſeptieme jour du mois de Février, l'an de grace mil ſept cens ſoixante-cinq, & de notre Regne le cinquantieme. Par le Roi en ſon Conſeil.

LE BEGUE.

Regiſtré ſur le Regiſtre XVI. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 148. *fol.* 266. *conformément au Réglement de* 1723. *A Paris ce* 6. *Mars* 1765. LE BRETON, Syndic.